STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE



DECOR CARMELI

CURSUS THEOLOGIÆ MYSTICO-SCHOLASTICÆ

TOMUS PRIMUS

in duas partes distributus

R.P. FR. JOSEF DEL ESPIRITU S.
PROV. ANDALUCIA VAJA GEN. XXVI.
ELECTO MDCCXXX VI.

BIBLIOTHECA CARMELITANA

CURSUS THEOLOGIÆ MYSTICO-SCHOLASTICÆ

IN SEX TOMOS DIVISUS

IN QUO SCHOLASTICA METHODO EXPLANANTUR
DUBIA MYSTICA IUXTA MIRAM SOLIDAMQUE DOCTRINAM

Angelici Præceptoris Divi Thomæ
sacræ Theologiæ Principis

auctore P. Fr. Ioseph a Spiritu Sancto
Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hispaniæ Generali

EDITIO NOVA
ad antiquas editiones et fontes, collatis auctoritatibus,

a P. Fr. Anastasio a S. Paulo
in Collegio philosophico eiusdem Ordinis Cortracensi historiae et scientiarum praelectore

accuratissime exacta

APUD CAROLUM BEYAERT, EDITOREM PONTIFICIUM
6, RUE NOTRE DAME, BRUGIS (BELGII)

1924

De Licentia Superiorum Ordinis.

NIHIL OBSTAT :

Brugis, die 23 Aprilis 1924,
JOS. VAN DER MEERSCH,
Can. Libr. Cens.

IMPRIMATUR :

Brugis, die 23 Aprilis 1924,
H. VAN DEN BERGHE,
Vic. gen.

Ratio huius novae editionis

Quo lector benevolus accuratissimam huius novae editionis diligentiam ac oneris suscepti magnitudinem aestimare queat, industriae meae modum paucis verbis referam.

In primis ad operum his nostris temporibus modo critico editorum exemplar hanc editionem meam curavi, adhibitis virorum huius rei peritorum consiliis.

Ut genuinus auctoris textus integer remaneat, tantam huius editionis novae cum antiqua servo similitudinem quantum hodierna censura critica permittit. Quapropter orthographia et interpunctione hodierna utor, abbreviationes verborum absoletas tollo; innumeris auctorum locis et relationibus prorsus nihil immuto, ne propria argumentorum auctoritas minuatur; perspicuum enim est vim argumentorum omnem non e textu hodierno critico hauriri, sed ex integris textibus ab ipso auctore cognitis et adhibitis. Omnes tamen hos locos ac relationes cum optimis editionibus, ad quas in notis remittitur, contuli. Insuper locos et relationes, in quibus aliquid complendum occurrit aut corrigendum, vel quid aliud notatu dignum, similiter in notis congero. Inter quae notatu digna aestimavi inscriptiones prout in originali lingua operum leguntur, et auctorum nomina in his libellis inscripta. Plerumque enim P. Ioseph a Spiritu S. has inscriptiones latine tantum refert; immo non raro auctoris nomen reticet, maxime si de auctore Carmelita Excalceato agitur; quae designatio ipsi videbatur otiosa, eo quod tunc temporis optime noti erant isti auctores qui nostris diebus non raro ignorantur.

Deinde variis itineribus ac praelaturarum occupationibus detentus, in consulendis ac referendis auctoribus usu eiusdem editionis eorum operum impeditus est; de quo ipse se excusans iuste dolet, prolegom. III, num. 24-27. Hanc igitur originem duxit diversitas verborum de eodem auctore depromptorum ; quod quidem in verbis ex operibus P. N. S. Ioannis a Cruce et Pseudo-Dionysii exscriptis frequentius accidit. Ideo proprias editiones ac versiones, quibus auctor variis in locis usus est, indicare pro viribus meis enitor. Locos Pseudo-Dionysio tributos referendo res ut volui cecidit; at relatio locorum innumerabilium a P. N. S. Ioanne a Cruce mutuatorum parum processit, cum primas editiones hispanas prae manibus non habeam.

Denique ad maiorem lectoris utilitatem quasdam breves notitias bio-bibliographicas auctorum Ordinis Nostri, quorum auctoritas in volumine adducitur, velut supplementum collegi et ad voluminis calcem edendum curavi.

Postremo cum hucusque temporis tomus I quater typis mandatus fuerit, nempe 1° Hispali 1720, 2° Neapoli 1724, 3° Venetiis, 4° Hispali 1730, huius ultimae editionis textum elegi, quia « *per suum authorem recognitus, et a ferme innumeris mendis, quibus spondialium negligentia scatebat, absolutus* » est. Varias tamen aliarum editionum lectiones in notis refero, excepta editione Venetiis facta, quam, diligenter quidem conquisitam, hucusque vero invenire non potui. Tomi secundi textum editionis Hispalensis 1721 cum illo editionis Neapolitanae 1724 contuli, immo partem primam huius tomi II (i. e. Praedicabile I) cum textu Ms. 12. 716, Matriti in « *Bibleoteca Nacional de España* » asservato, comparavi.

Reliqui autem tomi III, IV, V et VI, semel tantum typis mandati sunt, nempe Hispali et Matriti an. 1730-1740.

Libenter gratum offero animum Superioribus nostris tum Hispanis cum Gallicis, qui tempore peregrinationis meae in eorum regionibus, tam amanter me exceperunt et omni ratione investigationes meas faciliores reddiderunt. Insuper maximo auxilio mihi fuerunt plurimi magistri a bibliothecis publicis et privatis tam in Belgio, quam in Gallia et in Hispania. Plures tandem ex Confratribus meis consilio et opere adiuverunt; inter quos R. P. Fr. Archangelus a Regina Carmeli, qui initio mihi adfuit, sed postea officiis praepeditus est.

Faxit Deus ut haec operis eximii nova editio a lectore benevolo benigne excipiatur, multum S. Theologiae mysticae illustrationi conferat et in omnibus uberrimos fructus afferat.

P. Fr. Anastasius a S. Paulo, C. D.

Cortraci, die 8 Decembris 1923.

Vita Patris Iosephi a Spiritu Sancto

Praeclara eruditione atque doctrina ornatum opus, quod denuo in lucem edo, auctorem habuit P. Iosephum a Spiritu Sancto, Carmelitam Excalceatum.

Petrus Matheo Velarde et Anna Gomez (1), coniuges pietate insignes, praeter P. Iosephum a Spiritu Sancto, et alios duos filios, nempe P. Michaelem a Christo et P. Petrum a Cruce Ordini Carmelitarum Excalceatorum tribuerunt (2).

Ioseph a Spiritu Sancto in civitate Huelva, Hispalensis Archidioecesis, in Hispania meridionali natus, habitu religionis in collegio Hispalensi Sancti Angeli Custodis (3) indutus, in novitiatu Cordubensi probationis annum feliciter transegit, ibique die 14 Novembris anni 1683 vota emisit. Inclyto P. Ferdinando a S. Antonio praelectore, philosophiae ac theologiae operam dedit. Studiorum curriculo splendide transacto, « *disciplinarum studiis ac religiosissimis moribus clarus* » (4) apparens, Ioseph pro dignitate a Superioribus probatus est ; quo factum est ut per totam fere vitam variis officiis insignitus sit. Astigii Hispalique « *magno cum auditorum suorum proventu* » (5) philosophiam theologiamque per novem annos docuit. Fuit secretarius suae Provinciae S. Ioannis Baptistae (6), prior collegii Astigitani (1709-1712), ter Rector collegii Sancti Angeli Custodis Hispalensis, necnon Provincialis suae Provinciae (16 Maii 1712-1715) et ter

---

(1) P. THOMAS A S. RAPHAELE, C. D., *Bibliothecae Carmelitanae P. Martialis parva correctio,* num. 268. Ms. 333-121 universitatis Hispalensis.

(2) Pater PETRUS A CRUCE, Paternae natus et in coenobio Cordubensi professus, Astigii (Écija) diem supremum immature obiit mense Iunio anni 1703, aetatis suae 26, professionis vero 6. — Pater MICHAEL A CHRISTO autem, Escazenae natus similiterque Cordubae professus, vir praestantissimi ingenii, litteras sacras ac theologiam moralem maxima cum laude docuit variisque praelaturis in Congregatione Hispaniae insignitus est: semel prior collegii Astigitani (1700-1703), bis Provincialis suae provinciae S. Ioannis-Baptistae (i. e. Baeticae Inferioris); postea per 18 annos officio Procuratoris totius Congregationis Hispaniae functus est Romae, ubi etiam a Benedicto XIII tum erectionem statuae S. P. N. Eliae in Basilica Vaticana inter fundatores Ordinum (26 Iunii 1725), tum canonizationem S. P. N. Ioannis a Cruce (die 27 Decembris 1726) obtinuit. Gadibus (Cadiz) obiit anno 1734, aetatis suae anno 74, relictis aliquot operibus. — Cf. *Ms. Hispal.* 333-121, l. c.; — P. THOMAS A S. RAPHAELE, C. D., *Memorias de los Carmelitas Descalzos de Andalucia Baja,* t. II, p. 65; Ms. 332-29 universitatis Hispalensis; — *Protocolo deste convento de la Concepcion de Carmelitas Descalzos de Ecija,* num. 49. Ms. asservatur in conventu nostro Astigitano; — MARTIALIS A S. IOANNE BAPTISTA, C. D., *Bibliotheca Carmelitana,* pp. 297-298; Burdigalae, P. Sejourne, 1730; — COSMAS DE VILLIERS, O. C., *Bibliotheca Carmelitana,* t. II, col. 449, num. 147; Aurelianis 1752; — BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO et HENRICUS A Ss. SACRAMEN., C. D., *Collectio scriptorum Ordinis Carmelitarum Excalc.,* t. II, p. 45, num. 72; Savonae, 1884.

(3) Aderat alius conventus Hispalis, nempe conventus « *de los Remedios* » dictus, cuius ruinae adhuc nunc existunt.

(4) MARTIALIS A S. IOAN. BAPT., *Biblioth. Carmel.,* p. 268, num. 87; — COSMAS DE VILLIERS, *Biblioth. Carmel.,* t. II, col. 192, num. 209.

(5) l. c.

(6) Id est Baeticae Inferioris. Haec numerosa provincia, initio Reformationis Theresianae instituta, in capitulo generali anni 1610 suppressa fuit; nam conventus in Lusitania constituti in provinciam separatam sub antiqua invocatione S. Philippi redacti sunt; reliqui vero conventus provinciae Baeticae Superioris sub invocatione Sancti Angeli adnumerati sunt. At ob innumeras difficultates ex gubernatione provinciae numerosissimae (circa 30 conventus virorum) ac nimis ampiae exortas, capitulum generale anni 1688 hanc provinciam Baeticam bipartito divisit, scilicet : in provinciam Baeticae Superioris sub invocatione Sancti Angeli et in provinciam Baeticae Inferioris sub invocatione S. Ioannis Baptistae; quae ultima provincia in constitutionibus anni 1786 et in ultimis capitulorum generalium catalogis sub invocatione S. P. N. Ioannis a Cruce venit. Ideoque Ioseph a Spiritu Sancto, prius ad provinciam Baeticam, ab anno vero 1688 ad provinciam Baeticae Inferioris pertinebat.

Definitor Generalis (5-16 Maii 1712; 1718 et 1724). Ab electoribus Capituli generalis, Pastranae mense Maio anni 1724, in conventu S. Petri congregatis, Praepositus Generalis totius Congregationis Hispaniae in primo et secundo scrutinio cum maiori parte votorum electus est; quam duplicem electionem Pater Sebastianus a Conceptione (7), Praepositus officio functus Capitulique praeses, non publicavit; sed, quamquam ipse partes Patris Iosephi a Spiritu Sancto fovebat, maiori tamen numero votorum nimis fidens, tertium scrutinium instituit; at vota deflexerunt in P. Paulum a Conceptione (8), qui in Generalem inde renuntiatus est; et Ioseph a Spiritu Sancto electus est quartus Definitor Generalis (9). Cuius hic miremur praeclaram humilitatem; perspectam enim habens nullitatem electionis novi Generalis, nedum ei non restitit, sed electionis sanitatem a Sede Apostolica postulandam consuluit. Quod cum successu factum est (10). Auctor anonymus biographiae « *del Duende critico de Madrid* » (11) censet (p. 162), hunc Patris Sebastiani modum agendi insolitum tribuendum esse origini baeticae Patris Iosephi a Spiritu Sancto, asseverans Seraphicam Sanctam Theresiam in Baeticos vehementer invehisse et noluisse ut ullus eorum unquam Praepositus Generalis assumeretur. Errat iste auctor anonymus; furor in Baeticos in operibus S. Matris Nostrae Theresiae frustra quaeritur, quamquam negari non potest ipsam S. Matrem regionem Baeticam aliis Hispaniae regionibus semper posthabuisse (12); quam tamen S. Theresiae sententiam nimis adauxit auctor anonymus ut in P. Iosephum a Spiritu Sancto invehi quiret; quod et in aliis adiunctis

---

(7) Pro biographia P. Sebastiani a Conceptione vide P. EDUARDO DE S. TERESA, C. D., *Prelados ó Superiores de la Congregación de España,* in *El Monte Carmelo,* (Burgos), t. IX, num. 202 (1º de Diciembre 1908), pp. 891-897.

(8) Paulus a Conceptione, in saeculo Paulus Ximenez Navarro de Xaso, frater germanus P. Ioannis a S. Ioseph et P. Didaci a S. Ioseph, Peraltae in Navarra die 15 Ianuarii 1666 natus, excelluit nativitate, scientia atque sanctitate. Palentiae fuit lector philosophiae (1691-1694), Burgis primus lector theologiae (1694-1715), Soriae vicarius hospitii, Definitor generalis (1715-1718), prior Tudelensis (1718-1721), rector collegii theologiae moralis Oxomensis (Burgos de Osma) (1721-1724) ac demum Generalis totius Congregationis Hispaniae (1724-1730). Vergente iam suo generalatu, a viro quodam nomine Philippi V, regis Hispaniae, de re occulta atque maximi momenti consultus est. Sententiam suam indicare initio noluit Pater Generalis; postea tamen, re toto animo contemplata, opinionem suam manu scriptam retulit; at responsum regi displicuit. Officio vero functus prope civitatem « Bilbao » in sancto deserto secessit die 30 Septembris 1730. Sanitatis causa, a P. Provinciali ad collegium nostrum Pompelonense vocatus, sanctum desertum relinquens die 22 Decembris 1730 et in conventu nostro in Bilbao per aliquot dies consistens, ibidem die 25 Decembris a satellitibus regiis captus et continuo Illiberi (Granada) perductus, in angustissimo, obscuro ac foetido carcere palatii « *El Alhambra* » inclusus est. Incredibile est quanta mala P. Paulus a Conceptione in via et in carcere passus sit; quae omnia amore Christi patiens ac gaudens pertulit; ibique squalore tandem confectus magna cum sanctitatis fama obdormivit in Domino die 2 Decembris 1734. (Non autem anno 1726 ut scribit Hurter, S. I.: *Nomenclator,* t. IV, num. 438, col. 1017, Oeniponte, 1910.) Multa mirabilia per reliquias huius venerabilis martyris operatus est Deus.

P. Paulus a Conceptione insigne opus theologicum nobis reliquit, nempe: *Tractatus theologici iuxta D. Thomae et Cursus Salmanticensis F. F. Discalceatorum B. Mariae de Monte Carmeli primitivae observantiae doctrinam.* Quod opus in quatuor tomos in-folio, compendium sapientissimum Cursus Salmanticensis, ex mandato Definitorii generalis confectum, ut esset manuale nostris scholasticis, ubique summa cum laude exceptum est pluresque in variis regionibus statim habuit editiones: 1ª...; 2ª Parmae (in Italia) apud Haeredes Pauli Monti 1725 (4 tomi in-fol.); 3ª Augustae Vindelicorum (in Germania) sumptibus Joannis Strötter 1726 (4 tomi in-fol.).

Insuper opus asceticum scripsit sub forma epistolae pastoralis « *ingenii acumine ac sacra eruditione refertum* » Matriti 1726. (P. MARTIALIS A S. IOAN. BAPT., *Biblioth. Carmel.,* p. 312, Burdigalae, 1730). Cf. P. EDUARDO DE S. TERESA, C. D., *Prelados ó Superiores de la Congregación de España* in *El Monte Carmelo,* t. X (Burgos, 1909), pp. 87-93; 247-253; 327-334 et 407-415.

(9) Cf. Ms. 332-29 iam citatum, p. 65.

(10) *ib.,* l. c.

(11) Id est *Biografia de Don Manuel Freire de Silva ó sea F. Manuel de san José Carmelita Descalzo, autor del Duende critico de Madrid;* quae est pars secunda (a p. 137 ad 192) libri *El Duende critico de Madrid* (Madrid, imprenta de D. Domingo Vila 1844); prima vero pars (a p. 5 ad 136 continet *Escritos del Duende critico de Madrid.* Invenitur Matriti in *Biblioteca Nacional,* num. 2-51522.

(12) cf. S. THERESIA, *Las fundaciones,* cap. 24 et 25; edición crítica del P. Silverio de Santa Teresa, C. D., Burgos, typ. de « *El Monte Carmelo* » 1905-1919, t. V, pp. 206, 213 y 215. — P. GRÉGOIRE DE SAINT-JOSEPH, C. D., *Lettres de Sainte Thérèse,* 2e éd. Rome, Pustet, 1905, t. I, Lettre 76, pp. 209-210; Lettre 87, p. 247; Lettre 92, p. 272.

fecit, ut ex infra dicendis apparebit. Tandem in capitulo generali Pastranae die 21 aprilis 1736 celebrato P. Ioseph a Spiritu Sancto Generalis electus est.

Dum omnibus his officiis functus est, semper se praebuit tanquam verum vitae religiosae exemplar; et quia in gubernando singulari prudentia ac sapientia praeditus erat, summam in Religionem atque in suos subditos voluntatem innumeris argumentis comprobavit. Revera inter primos aetatis suae numerandus suaeque Congregationis decus atque firma columna, totis viribus suorum tam in scientia quam in sanctitate profectui indefessam operam navavit. Ad quod confirmandum sufficiat paucis verbis hic referre quae fecit P. Ioseph a Spiritu Sancto dum prior Collegii Astigitani exstitit. Sibi concreditos tanta omnium aedificatione gubernavit ut « *El Protocolo* » huius conventus (13) testificaverit ipsum hoc Collegium verum « *Ierusalem pacificam* » constituisse; Collegii aedes auxit et ad meliorem statum redegit, bibliothecam innumeris selectis libris locupletavit, quo suorum animum ad scientiarum studium perficiendum fructuosius inflammaret; cultui divino novum splendorem addidit; tandem quadraginta scholasticos ibi commorantes suo exemplo ac doctrina optime instruxit.

Vix Generalis renuntiatus, Ioseph a Spiritu Sancto gravissimum negotium pertractandum habuit. Pater Emmanuel a S. Ioseph, Carmelita Excalceatus, in saeculo Emmanuel Freire de Silva, ex illustri familia Lusitana natus, vir ardenti ac praestantissimi ingenii, in arte belli, litteris, eloquentia, omni denique scientia optime instructus, belli Successionis Hispanicae partes austriacas secutus, exercitum Lusitanum contra Hispaniam duxit. Pace restituta (1713), ordinem Carmelitarum Excalceatorum ingressus est; in provincia Navarrae novitiatu studiisque feliciter peractis, variis officiis functus est. Postea a Superioribus Matritum missus est [si auctori vitae P. Emmanuelis (14) fidendum est] non sine aliqua collusione regis Lusitaniae, cui vir prudens ac peritus his difficillimis temporibus Matriti opus erat. Oratorium ingenium P. Emmanuelis a S. Ioseph brevi tempore omnium, praesertim optimatum, plausus excitavit non solum Matriti, verum etiam Olisippone, ubi anno 1734 a Definitorio generali ad negotium gravissimum componendum missus fuerat. Matritum reversus negotiorum politicorum curam habuit et occulte in vulgus emisit folium hebdomadale, « *El duendo critico de la Corte* » (15) nuncupatum, quia sequentibus verbis inceperat: *Yo soy en la Corte el critico duende* ». Satira erat, maiori ex parte carminibus constans, in qua P. Emmanuel versibus disertissimis et aculeatissimis regem, reginam ac ministros Hispaniae acerrime impugnabat illudebatque. Quod folium non solum Matriti, sed in universa Hispania et in exteris regionibus avide excipiebatur a vulgo, ab eruditis optimatibusque, qui omnes concinnitate abundantiaque asperarum facetiarum atque occulti scriptoris mentis acie delectabantur. At Hispaniae gubernium se pergraviter offensum habens consilium cepit ut audacem huius folii scriptorem inveniret ac morti traderet; ideoque multis investigationibus eum conquisierunt, multosque quam levissime quidem suspectos in carcerem detruserunt; denique permagna pecunia promissa est ei qui huius auctoris saltem vestigium aliquod indicare vellet. At nullum vestigium deprehendi potuit. Attamen iam per

(13) *Protocolo deste convento de la Concepcion de Carmelitas Descalzos de Écija*, num. 52.

(14) In *El Duende critico de Madrid*, pp. 151 et 153.

(15) Iterum typis mandatum est Matriti 1844, ut supra vidimus. Haec tempora et locorum mores a nostris temporibus locorumque moribus valde discrepant. Non solum P. Emmanuel a S. Ioseph, sed et plures alii coaetanei folia politico-satirica ediderunt; sufficiat hic quosdam Carmelitas Excalceatos referre: P. Emmanuel a S. Thoma Aquinate (Traggia) fuit auctor folii « *El amigo de la Verdad* ». Alius P. Emmanuel instituit rexitque folium hebdomadale « *El Murciélago* »; at praesertim P. Ioannes a Conceptione, poeta eximius et omni exceptione maior inter poetas Hispanos saeculi XVIII, orator celebris, unus ex Academicis Hispanae linguae, qui cognomen « *Monstruo de la Sabiduria* » meruit, edidit periodicum opusculum censorium: «*Resurrección del Diario critico general de España* », et duo folia: « *El Patán de Carabanchel* » et « *El Poeta oculto* ». cf. P. EDUARDO DE S. TERESA, C. D., in *El Monte Carmelo*, t. X, num. 218 (1° de Agosto, 1909), pp. 575-578.

sex menses, i. e. a feria quinta 8 decembris 1735 ad feriam quintam 17 maii 1736, singulis hebdomadibus folium divulgabatur; et quidem tanquam vera « *duende* », i. e. larva, usque in intimiores palatii partes perveniebat, ut in mappa mensae reginae, in vestimentis ministri D. Ioseph Patino, supra mensam Cardinalis Gasparis de Molina, Castellae praesidis, etc.

Dum ergo « *El duende* » plebem optimatesque recreabat, Matriti inopinata fama pervenit eius scriptorem in civitate Talavera de la Reina captum servari. Quid igitur acciderat? Ut autem Generalis Ioseph a Spiritu Sancto, aut ex suspicionibus, aut etiam certa ex scientia cognovit P. Emmanuelem a S. Ioseph verum esse auctorem « *El duende* », continuo ei mandavit ut via Talavera de la Reina Lusitaniam peteret; quod cum debita cautione factum non est; antequam enim in Lusitaniam pervenit, illius exsilium a curia Matritensi divulgatum est, ansamque praebuit quo magis et magis de scriptione folii « *El duende critico de la Corte* » suspicaretur. Pater Generalis ad aulam regiam vocatus atque a Cardinali Gaspari de Molina (16) super hoc negotio interrogatus totam rem detexit, si auctori vitae P. Emmanuelis fides adhibenda est (17). Ideoque Pater Emmanuel a S. Ioseph in civitate Talavera de la Reina ab auctoritate saeculari captus atque Matritum reductus, in conventu nostro Matritensi carcere inclusus nocte 30 maii 1736, diu noctuque a multis militibus servatus est. In iudicium adductus hoc crimine argui non potuit, quia ipse multis artificiis ac diverticulis iudicem illusit defatigavitque. Tandem mense decimo suae captivitatis currente, nocturno tempore modo valde ingenioso e custodia evasit (18) omnesque satellitum regis Hispaniae insidias deludens Lusitaniam petiit. Postquam per aliquod tempus Olisippone et Florentiae commoratus erat, a civitatis regnique optimatibus vocatus, Matritum reversus est. Auctor vitae « *del Deunde critico de la Corte* » (19) P. Iosephum a Spiritu Sancto graviter accusat de captivitate P. Emmanuelis a S. Ioseph, quemadmodum in omnibus adiunctis solet facere. At quicumque, favore seposito, omnia attente voluerit inspicere, iam huius scriptoris criminationes dissolutas videbit. Attendamus modo tumultuosa huius saeculi tempora regemque in Ordinem nostrum saevientem. Nonne innocens P. Paulus a Conceptione, ex-Generalis Carmelitarum Excalceatorum, diuturna diraque custodia recenter ad mortem cruciatus erat? Nonne igitur in universam Congregationem saevitum esset, si regii satellites in verum folii scriptorem, scilicet in P. Emmanuelem, manus iniecissent? Et quia auctoris nomen citius tardiusve divulgatum iri certissime animo praesumendum erat, valde prudenter egit P. Ioseph a Spiritu Sancto regium furorem ab universa Congregatione avertendo, et, quantum potuit, etiam P. Emmanuelem per celerem abscessum in Lustitaniam a gravissimo periculo abstrahendo. Ideoque aequum est rationem exsilii Patris Emmanuelis e civitate Matritensi quaerere, non « *in desiderio blandiendi gubernio Philippi V et ut animum reginae sibi conciliaret* » (20), sed in prudenti suae Congregationis regimine.

Dum haec gerebantur, Ioseph a Spiritu Sancto, die quadragesima secunda sui Generalatus, repentino apoplexiae accessu correptus est, mox sacramentis rite munitus, vespere inter subditorum lacrimas in pace quievit Matriti, die 2 Iunii 1736, aetatis suae 69; magnaque cum funeris pompa in coemeterio conventus S.

---

(16) Cuius theologus fuit P. Ioseph a Spiritu sancto. Cf. Ms. 332-29 citatum, p. 65.

(17) *Biografía de Don Manuel Freire de Silva ó sea F. Manuel de san José*, pp. 165-166.

(18) l. c., p. 167 seqq. Nempe nocte inter 16 et 17 martii 1737; in carcere omnia intacta reliquit; prima secundaque ianua exterior sera clausa remansit; tertia vero, ianua scilicet interior, intus pessulo obserata.

(19) l. c., pp. 161 seqq.

(20) l. c., p. 165. Cf. etiam P. EDUARDO DE S. TERESA, C. D., *El Monte Carmelo*, t. X, num. 218 (1° de Agosto 1909), p. 572.

Hermenegildi sepultus est. Multis in locis laudationes funebres habitae sunt, quarum quaedam typis mandatae (21).

Hic quaedam documenta afferam ad probandum mortem Patris Iosephi a Spiritu Sancto reapse die 2 Iunii anni 1736 accidisse, non autem anno 1739, ut multi nostris diebus falso putant (22).

1) Facultas Ordinis pro tomo sexto « *Cursus theologiae mystico-scholasticae* » (23) in Collegio nostro Caracensi a P. Generali data est die 4 Octobris 1738. Quia vero tomus sextus datur ut posthumus, necesse est P. Iosephum a Spiritu Sancto ante diem 4 Octobris 1738 e vita cessisse.

2) P. ANASTASIO DE SANTA THERESA, C. D., in opere « *Reforma de los Descalzos de N. S. del Carmen* » circa finem tomi septimi (Matriti 1739) (24) ponit elenchum Generalium qui Congregationi Hispaniae praefuerunt ab anno 1593 ad 1739. Ibique legitur : « *1736 Capitulo en Pastrana a 21 de Abril: XXVII El R. P. Joseph del Espiritu santo Matheos Velarde: nació en Huelva: professó en Cordova : electó de 69 años : governó 42 dias : murió en Madrid a 2 de Junio de 1736. — 1736 Junta en Avila a 23 de Junio, eleccion de Vicario Gener.: Desde 23 de Junio governó como Vicario el Padre Fr. Miguel de san Pedro Alcazar... — 1736 Capitulo general en Avila a 2 de octubre: XXVIII El R. P. Fernando de s. Juan Bautista Fernandez Ximenez: nació en Roa: professó en Valladolid: electó de 60 años: vive, y governa al presente la Religion* ».

3) P. MANUEL DE SAN IOSEPH, C. D., in tomo octavo inedito (25) eiusdem operis « *Reforma de los Descalzos* », p. 832, 1 col., etiam habet : « *Murió en Madrid de 69 años, en el de 1736, siendo General* ».

4) P. THOMAS A S. RAPHAELE, C. D., in opere inedito « *Bibliothecae Carmelitanae P. Martialis parva correctio* » (26) dicit: « *Denique ad totius ordinis Generalatum assumptus, die 42 suae electionis inter subditorum lachrymas quievit in pace 2 Iunii 1736, aetatis suae 69* ».

5) Idem auctor in opere inedito iam pluries relato: « *Memorias de los Carmelitas Descalzos de Andalucia Baja* » (27) narrat: « *Murió (como dicho es) a los 42 dias de Generalato en Madrid en 2 de Junio de 1736 con 69 años* ».

6) Idem affirmat auctor operis: *Biografia de Don Manuel Freire de Silva ó sea F. Manuel de san José Carmelita Descalzo,* p. 167.

7) Denique *Declamacion funeral... Impresa en Cadiz 1736,* de quo supra nota (21).

8) Tandem P. EDUARDO DE SANTA TERESA, C. D., in *El monte Carmelo,* t. X, num. 218 (1° de Agosto 1909), p. 574.

Opera quae P. Ioseph a Spiritu Sancto nobis reliquit, sunt:

1) *Sermones varii* in tres tomos in-4°, quos P. Andrés de la Encarnación (28) declarat suo tempore Mss. asservari in archivo sancti nostri Deserti « *del Cuervo* »,

---

(21) Ut, v. g., *Declamacion funeral en las exequias celebradas en nuestro convento de Carmelitas Descalzos de San Lucar en Barrameda por N. R. P. General Joseph del Espiritu santo, predicada por el P. Martin de san Vicente.* Impresa en Cadiz 1736. — Exemplar huius laudationis servabatur in bibliotheca conventus Carmelitarum Excalceatorum Metymnae Campi, ut ex antiquo catalogo constat; sed nullibi in Hispania eam invenire potui, quamvis ego aliique plures confratres eam multa diligentia investigavimus.

(22) Inter quos HURTER, S. I., *Nomenclator,* t. IV, num. 443, col. 1027, ed. Oeniponte, 1910; — P. BENEDICTUS MARIA A S. CRUCE (Zimmerman), C. D., in prologo libri *The Ascent of Mount Carmel by David Lewis,* 1906, p. 20 ; — POULAIN, S. I., *Des grâces d'oraison,* 7e éd., Paris Beauchesne 1909, p. 649; item 8e *éd., ib* 1909, p. 649 dicit : « *Mort en 1639* » quod est typographicum mendum, loco 1739, quia ibi ponitur inter auctores saeculi XVIII: — *La Vie Spirituelle,* t. VII, num. 1 (Oct. 1922), p. 162, note 2.

(23) Matriti apud D. Michaelem Rodriguez 1740.

(24) Madrid en la Imprenta real, por Don Miguel Francisco Rodriguez.

(25) Ms. asservatur in conventu nostro Burgensi.

(26) num. 268. Ms. 333-121 universitatis Hispalensis.

(27) T. II, p. 65. Ms. 332-29 universitatis Hispalensis.

(28) *Memorias historiales,* t. IV, Ms. 12.254 *Biblioteca Nacional de Madrid,* i. e., *Asuntos de los manuscritos que habia en el archivo general de los Carmelitas Descalzos.*

in Baetica. Martialis a S. Ioanne Baptista vero, ante annum 1730 scribens, unum tantum volumen commemorat (29): « *Concionum volumen, scripturarum sacrarum scientia, ac sanctorum Patrum doctrina, completissimum* ».

2) *Cursus theologiae mystico-scholasticae in quo methodo scholastica explanantur abditissima dubia mystica, iuxta miram, solidamque doctrinam Angelici Praeceptoris D. Thomae, sacrae theologiae Principis.* Hunc *Cursum,* cui per totam vitam suam adlaboravit, ex praecepto Definitorii Generalis confecit. Andrés de la Encarnación, l. c., asserit exemplaria Mss. huius permagni operis suo tempore asservari in sancto nostro Deserto « *del Cuervo* » ; quae tamen exemplaria Mss. invenire non potui praeter manuscriptum primi praedicabilis, id est, primae partis tomi secundi, quod Matriti in « *Biblioteca Nacional* » asservatur (Ms. 12. 716) et constat ex 612 paginis in-folio.

Hoc opus sex tomos in-folio diversae amplitudinis complectens, incompletum est, deest enim expositio quinti praedicabilis mystici (30), i. e., accidentis; de qua expositione in animo habebat quod exponit in prolegomenon VI (31): « *Haec accidentia sunt raptus, extases, revelationes, gratiae omnes gratis datae aliaque innumera, quae accidentia communia sunt; siquidem sine illis datur perfectio completa. Impossibile est de illis omnibus disputare; unde ea sólum attingam, quae magis nostram mysticam materiam concernunt maioremque difficultatem praeseferunt* ».

Historiam, materiam divisionemque totius huius operis hic exponere non intendo, cum auctor hoc fecerit in suis prolegomenis tomi primi, ubi septem circumstantias: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo* et *quando* exponit. Sufficiat ideo relatio editionum cuiusque voluminis cum brevi indicatione rei tractatae. Etenim opus tam magnum conficere auctori ab initio in animo non fuit, ut liquet ex his quae scribit variis in locis sui operis. Scripsit enim in prima editione tomi primi (anni 1720) (32) se in tomo secundo quinque praedicabilia mystica amplecturum esse. At in prooemio tomi secundi (anni 1721) (33) iam de duobus primis praedicabilibus tantum loquitur, promittens se reliqua tria in tomo tertio explicaturum esse. In prooemio vero tomi tertii (anni 1730) monet praesentem tomum tantum partem tertii praedicabilis continere, et rationes ob quas promissis stare non potuit, ibidem exponit. Denique in editione quarta tomi primi (anni 1730) (34) totum opus in quinque tomos perfectum iri affirmat. Neque hoc promissum servavit; sex enim tomos habet opus, et nondum est completum. Ideoque dicendum est auctorem scribendo operi suo incrementum continuum attulisse.

Tomus primus continet a) *septem prolegomena ad Lectorem;* b) *Isagogen,* ad modum summularum logicalium confectam, ut studiosis esset introductio et manuale; c) *duas disputationes prooemiales,* in quibus tractat 1° de obiecto, natura et nomine mysticae theologiae, et 2° de mystico directore. Hic tomus primus quatuor editiones habuit: 1a Hispali apud Franciscum Garay 1720, non autem 1710 (35). 2a Neapoli, ex typogr. Stephani Abbatis 1724. 3a Venetiis, cuius editionis exemplar invenire non potui. 4a Hispali « *In Collegio Carmeli-*

---

(29) *Biblioth. Carmelit.*, p. 268, num. 87; quem exscripserunt P. COSMAS DE VILLIERS, *Biblioth. Carmelit.*, t. II, col. 192, num. 209 et BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A Ss. SACRAM., *Collect. scriptor. O. Carm. Exc.*, t. I, p. 363, num. 129.

(30) Ad quod verbum intelligendum, vide t. I, prolegomen. VI, §. 4, pp. 13-15 huius novae editionis.

(31) §. 4, num. 55, p. 15b huius novae editionis.

(32) Prolegom. VI, §. 1, num. 41, p. 15; et §. 4, p. 18.

(33) p. 1.

(34) Prolegom. VI. §. 1, num. 41, p. 15.

(35) Ut affirmat HURTER, *Nomenclator,* t. II, p. 987, num. 375; quem secutus est POULAIN, *Des grâces d'oraison,* 7e éd.: Paris Beauchesne 1909, p. 649, num. 100; item éd. 8 (*ib.* 1909), p. 649, num. 100.

tarum Excalceatorum sub titulo, ac protectione Sancti Angeli Custodis, Typographia laborantes Coloni Viduae Francisci De Leefdael 1730 ». Quae editio est « *per suum Authorem recognita, et a ferme innumeris mendis, quibus spondialium negligentia scatebat, absoluta* », ut dicitur in fronte huius editionis.

Tomus secundus duo praedicabilia mystica habet: *1m praedicabile:* De natura mystice perfectibili, impressum, « *Hispali, apud Franciscum Sanchez Reciente 1721* »; et *2m praedicabile:* De natura mystice perfectiva, excussum « *Hispali, ex typographia Francisci Garay, 1721* ». Altera editio huius tomi secundi prodiit « *Neapoli ex typogr. Stephani Abbatis* MDCCXXIV ».

Tomus tertius complectitur *primam partem tertii praedicabilis:* De natura mystice perfecta. « *Hispali, in Collegio Carm. Exc. sub titulo, ac protectione Sancti Angeli Custodis, Typographia laborantes coloni Viduae Francisci Leefdael, 1730* ».

Tomus quartus comprehendit *secundam partem tertii praedicabilis:* De natura mystice perfecta. « *Hispali, in Collegio... Leefdael, 1730* ».

Tomus quintus capit *primam partem quarti praedicabilis:* De proprio mystico, scilicet, de purgatione activa. « *Matriti, ex officina regia, apud Iosephum de Rodriguez de Escobar, sanctae Cruciatae Typographum,* 1730 ».

Tomus sextus complectitur *secundam partem quarti praedicabilis:* De proprio mystico, scilicet, de purgatione passiva. « *Matriti, ex officina regia apud Michaelem Rodriguez,* 1740. » Est igitur tomus posthumus, in cuius extremo (p. 626) ceteroquin sequentia leguntur verba: « *Hucusque Author: sed abhinc dolor. Nam Authorem operis in litteraria provincia acclamatissimum: velut sydus novum, quo arcana Mysticae Theologiae affatim patefiant, a Sapientibus habitum, Busiride saevior ipso nobis rapuit Libitina ferox. O quam eximium amisimus Parentem! O quam praeclarum perdidimus Doctorem! O quam irremediabilibus lacrymis planget Religio nostra virum nullius imparem merito secum coaequandum, panegyri qualibet altiorem! Ah! Provincia Baetica nostra filium plorat, luget Parentem; et renuit consolari, quia non est. Bone Deus! Siccine premit amara mors! Omnes transfixit, dum unum extinxit. Ecquis possit opus Theologicum Mystico-Scholasticum perficere istud? Lacrymis scatent oculi: mens arrepta silet. Faxit Deus, ut ad operis consummationem alius exurgat a Spiritu Sancto.* »

Hurter (36) quoque P. Iosephum magnifice laudat, dicens: « *Dolendum, auctorem piissimum ac doctissimum tantum opus imperfectum reliquisse, nec ultimam ei manum apponere potuisse. Scriptoris dictio clara est ac perspicua, et vel obscurissimas difficultates uberrima luce perfundens. Methodus nimis forte scholastica, sed stilus nec redundans, nec incomptus. Et licet auctor a scholasticorum subtilitatibus minime abhorreat, diligentissime tamen scrutatur verum Ss. Scripturarum sensum mentemque Ss. Patrum et gravissimorum in utraque theologia doctorum. Potissimum vero sectatur doctrinam s. Theresiae et s. Ioannis a Cruce, et utriusque sententias mirifice illustrat. In nonnullis haud exigui momenti rebus minus probat opiniones illustris sodalis Antonii a Spiritu s., auctoris Directorii Mystici, quem tamen merito laudat. Huius doctrinam tenentur lectores theologiae mysticae in ordine carmelitano tum in lectionibus, tum in thesibus propugnare* ».

De Ordine nostro et de universa Ecclesia bene meruit noster Ioseph a Spiritu Sancto; quod enim in rebus philosophicis effecerunt Complutenses (37) ac Ioannes ab Annuntiatione (38) et in rebus theologicis tum dogmaticis quum

---

(36) *Nomenclator,* t. IV, col. 1027-1028, num. 443 ; Oeniponte 1910.
(37) cf. infra *Appendix.*
(38) cf. infra *Appendix.*

moralibus Salmanticenses (39), Paulus a Conceptione (40) ac Antonius a S. Ioseph (41) cursus completos et manualia conscribentes, hoc praestitit Ioseph a Spiritu Sancto in rebus mysticis *Cursum theologiae mystico-scholasticae* et *Isagogen* seu manuale texens. Nam, ut testatur P. Thomas a S. Raphaele (42), usque ad aetatem P. Iosephi a Spiritu Sancto in aulis collegiorum Ordinis nostri theologia mystica dictabatur; sed ab isto cursu edito, « *eius doctrinam tenentur Lectores s. Theologiae Mysticae, tum in lectionibus tum in thesibus propugnare* ». (43).

P. Fr. Anastasius a S. Paulo, C. D.

---

(39) cf. infra *Appendix*.

(40) Qui compendium Salmanticensis Cursus theologici confecit. cf. supra, p. X, nota (8).

(41) Qui elaboravit *Compendium Salmanticense in duos tomos distributum universae theologiae moralis quaestiones brevi ac perspicuo stylo complectens ad saniorem Doctrinam, melioremque methodum prae antiquo cursu redactum duce Angelico Praeceptore, Bullis ac Pontificum Decretis praesertim novissimis auctum et illustratum.* Zornozae natus est, fuit prior conventus Burgensis anno 1766 et Romae Procurator generalis pro Congregatione Hispaniae anno 1785.

(42) *Memorias de los Carmelitas Descalzos de Andalucia Baja,* t. II, p. 65. Ms. 332-29 universitatis Hispalensis.

(43) MARTIALIS A S. IOAN. BAPT., l. c.; THOMAS A S. RAPHAELE, l. c.

Fontes in biographia P. Iosephi a Spiritu Sancto adhibiti

1) IOSEPH A SPIRITU SANCTO, *Cursus theologiae mystico-scholasticae.* Hispali-Matriti, 1720-1740.

2) MARTIALIS A. S. IOANNE BAPTISTA, C. D., *Bibliotheca scriptorum utriusque Congregationis et sexus Carmelitarum Excalceatorum.* Burdigalae, typ. Petri Sejourne 1730. in-4°.

3) COSMAS DE VILLIERS, O. C., *Bibliotheca Carmelitana notis criticis et dissertationibus illustrata.* Aurelianis, J. Rouzeau-Montaut et M. Couret de Villeneuve 1752. 2 tom. in-fol.

4) ANASTASIO DE S. TERESA, C. D., tom. VII operis *Reforma de los Descalzos de N. S. del Carmen.* Madrid, en la imprenta real, por Don Miguel Francisco Rodriguez, 1739.

5) MANUEL DE SAN JOSEPH, C. D., tom. VIII operis *Reforma de los Descalzos de N. S. del Carmen.* Año de MDCCLILIX (sic). in-fol. pp. XLII-838-VIII. Ms. asservatur in conventu nostro Burgensi.

6) THOMAS A S. RAPHAELE, C. D., *Bibliothecae Carmelitanae P. Martialis parva correctio.* Ms. 333-121 universitatis Hispalensis.

— *Memorias de los Carmelitas Deszalzos de Andalucia Baja.* Tomo secundo. Año de 1784. Ms. 332-29 universitatis Hispalensis.

7) *Protocolo deste convento de la Concepcion de Carmelitas Descalzos de Ecija dispuesto por N° reverendo Padre Fray Antonio de Jesus Maria. Hizose el año de 1657.* Opus a quibusdam aliis postea persecutum. Ms. asservatur in archivo conventus nostri Astigitani (Ecija).

8) *El duende critico de Madrid. Obra historica politica del siglo pasado adornada con más de 100 grabados en madera, varias vistas y retratos de personages que figuran en ella. Publicada por una sociedad de artistas.* Madrid imprenta de D. Domingo Vila 1844. in 8°, pp. 192. Constat ex duabus partibus: a) *Escritos del duende critico de Madrid* (pp. 5-136); b) *Biografia de Don Manuel Freire de Silva ó sea F. Manuel de san José Carmelita Descalzo, autor del Duendo critico de Madrid.* (pp. 137-192). Quae *Biografia* datur iuxta antiquum Ms.

9) BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO et HENRICUS M. A Ss. SACRAM. C. D., *Collectio scriptorum Ordinis Carmelitarum Excalceatorum utriusque Congregationis et sexus.* Savonae, typ. A. Ricci 1884. 2 tom. in-8°.

10) HURTER, S. I., *Nomenclator literarius Theologiae Catholicae.* Oeniponte, libraria academica Wagneriana 1903-1913. 5 tom. in-8°.

11) EDUARDO DE S. TERESA, C. D., *Prelados ó Superiores de la Congregación de España,* in *El Monte Carmelo* (Burgos), t. VII, num. 148 — t. XI, num. 236 (desde el 1° de Septiembre de 1906, p. 649 hasta el 1° de Mayo de 1910, p. 346).

Angelicus praeceptor D. Thomas, *Opusc. LXVIII* [1]

Quia quaesisti a me, in Christo mihi clarissime (2) *Ioannes, qualiter te studere* (3) *oporteat in thesauro scientiae acquirendo: tale a me tibi super hoc traditur consilium. Ut per rivulos* (4) *non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Haec est ergo monitio mea et instructio tua. Tardiloquum te esse iubeo, et tarde ad locutorium ascendentem* (5), *conscientiae puritatem amplectere. Orationi vacare non desinas; cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci. Omnibus te amabilem exhibe, nihil quaere penitus de peccatis* (6) *aliorum, nemini te multum familiarem ostendas ; quia nimia familiaritas parit contemptum et substractionis a studio materiam subministrat, de verbis, et factis saecularium nullatenus te intromittas. Discursus super omnia fugias: Sanctorum et bonorum* (7) *imitari vestigia, non omittas: non respicias, a quo audias; sed quidquid boni dicatur, memoriae recommenda. Ea, quae agis, et audis* (8) *fac ut intelligas, de dubiis te certifices* (9), *et quidquid potes* (10) *in amariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere. « Altiora te ne quaesieris »* (11). *Illa sequens vestigia frondes et flores in vineam Domini Sabaoth utiles, quandiu vitam habueris, proferes, ac produces* (12). *Haec si sectatus fueris, ad id attingere poteris, quod affectas.*

---

(1) Ed. Vivès, Parisiis 1871-1876, t. XXVIII, p. 467. *Opusc.* LXI: *Epistola de modo acquirendi scientiam.*
(2) ed. Vivès, l. c., *charissime.*
(3) ib., *qualiter incedere oporteat.*
(4) ib., *per rivulos in mare, et non statim.*
(5) ib., *accendentem.*
(6) ib., *de factis aliorum.*
(7) ib., *proborum.*
(8) ib., *Ea quae legis fac ut.*
(9) ib., *certificans.*
(10) ib., *poteris.*
(11) *Eccli,* c. III, v. 22.
(12) Ed. Vivès, l. c., *Illius sequens vestigia qui frondes et fructus in vinea Domini Sabaoth utiles, quamdiu vitam comitem habuit, protulit et produxit.*

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO BEATISSIMO PATRI

CLEMENTI XI

Ecclesiae universalis summo pastori felicitatem

Dignitas, Nomen, opusque ipsum, Beatissime Pater, ipsum hocce opus evehunt ad S. V. pedes sanctissimos, montibus Armeniae celsiores. Elationis hoc esse forsan quis existimabit; cum homo omnium minimus ad hominum Maximum accedere non recuset. Hercle mira est diversitas geniorum. Ab eodem centro lineae pullulant fines neutiquam foederabiles inspicientes. Hominum minimum me fateor, quod si insanus diffiterer, ipsa opera demonstrarent. Hoc tamen ad hominum verticem recurrere pro nanciscendo auxilio persuadet. Quotquot scripta sua evulgant, potentum valvas pulsant opem quaesituri; quo et se indigentes fatentur, et minimum inter ipsos ad omnium apicem recurrere docent. Non sat est quodcumque patrocinium, ut summa miseria sublevetur; supremum inter omnia requiritur, ut tueatur. Unde (ad initium regressus) dignitas, nomen ipsumque opus dulci violentia compellunt, ut sacratissimam umbram V. S. exquiram.

Pontificia dignitas, quae sedem iucundissimam se adinvenisse in Vestra Sanctitate gloriatur, vertex dignitatum est, Bme P., illa siquidem S. V. in altissimis habitat, cuius thronus in columna nubis. Gyrum caeli circuit, profundum abyssi penetrat, in fluctibus maris ambulat, in omni terra stat, in omni gente et in omni populo primatum habet, omnium excellentium et humilium corda virtute calcat, in his omnibus requiem omnibus illis, vere Pater, quaesiturus. Iniurius huic supremae dignitati forem, si patrocinium ipsius non exquirerem.

V. S., ut fide sanctum est, vere est et dicitur Papa; quod nomen imperio potentissimo premit, ut hominum minimus ad tam celsum olympum ascendere non recuset. Plurima sunt nomina, plurimi sunt tituli, quibus adoranda V. S. insignitur: quindecim recitari solent; sed *primum, et communissimum, et antiquissimum nomen Episcopi Romani est Papa* (1). Omnia illa quindecim nomina urgent, B. P., ut filii tui de longe veniant levantes oculos suos in Montem S. V. unde auxilium consequantur; sicque ascensiones in corde suo disponant in hac lacrimarum valle, ubi exsules comprimuntur. Verum enimvero me filiorum minimum nomen *Papa* magis movet; nedum quia est *primum, et communissimum, et antiquissimum V. S. nomen*, verum etiam quia sic servatoris nostri (ni vehementissime fallor) aemulor charismata meliora.

Mysticum illum librum, quem signatum sigillis septem e dextera sedentis in throno accepit piissimus Reparator Noster et Agnus indulgentissimus aperuit, erat mysticus liber suae sanctissimae passionis (2). Hunc ergo mysticum librum apud Gethsemani orsurus auxilium divinus ille homo quaerit, nec aliud inqui-

(1) BALDUINUS IUNIUS, *De Romano Pontifice*, cap. 5; Moguntiae, 1615, p. 520.
(2) S. AMBROSIUS.

rendum ibi erat nisi divinum. Verba autem quibus illud exposcit, dignissima notatu sunt.

Multifariam multisque modis potuit Christus Patrem suum nominare, ut ex textu evangelico pluries fecisse constat; siquidem illum iam Regem dicebat, iam Agricolam, iam Potentem, iam Misericordem, iam aliis pluribus nominibus nominabat. Nullum tamen ex iis assumpsit, sed illud quo nunquam usus fuerat, nec postmodum usus est. Verba ipsius subiicio: *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me, sed non quod ego volo, sed quod tu* (3). Patrem suum sanctissimum *Abba* nominat, nos vel inter acerbissimas maestitudines bonus Magister instruens.

Nomen *Papa* esse idem ac nomen Syriacum vel Chaldaicum *Abba,* res est Orientalibus Occidentalibusque notissima; quos inter dissidium de re in hac nullum est. Cum autem Christus Dominus mysticum suae passionis librum incipit, recurrit ad Patrem et Papam illum nominat instruens ad quem et sub qua nomenclatura eundem nobis est. Divinus ille homo, quem Caelum capere non potest, Rex regum et Dominus dominantium adeo propter nos homines et propter nostram salutem in sua sanctissima passione semetipsum exinanivit, ut *opprobrium hominum, et abiectio plebis* (4) diceretur. Infimum seu *despectum, ac novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem* divinum nostrum Redemptorem appellavit Isaias (5) vaticinans suae passionis acerbissimae pressuras. Dum ergo suae passionis sanctissimae mysticum librum edere parat virorum; ob dignationem novissimus ad suum Patrem recurrit supernamque ipsius opem implorat Papam dicens.

Facessat iam illa vox elationis esse autumans meam pusillitatem ad sublimitatem V. S. elevari. Quia elationis non est, sed sanctissimi aemulandi ab omnibus exemplaris. Regiam S. V. perviam omnibus indigentibus veneratur orbis, qui sub tanto Pontifice gloriatur. Omnibus prodest, qui est pro salute omnium in Petri sede constitutus.

Nomen *Papa* nonnulli derivant ab interiectione admirantis *pape!* ac si admirabilis omnibus sit Papalis dignitas. *Papa dictus est quasi admirabilis a pape ! interiectione admirantis: eo quod Vicarius sit Christi, et Dei, cuius est terra, et plenitudo eius* (6). Unde dicam:

Clavibus acceptis aperire, et reddere Caelum
Antiochi clara fas prius Urbe fuit.
Mira dabat populo, premitur cum carcere nauta:
Facta gemunt fratres, instituuntque preces.
Solvitur, et collo populi defertur in ora:
Admirantur ; habet nomina Graia Pater (7).

Et hanc admirationem, quam in omnibus causat haec sacra dignitas, inde mihi oppido oriri patet, quod pateat omnibus. Quicumque lucem amat, huius sanctissimae umbrae particeps est. Nemo ab huius dignationis bono secernitur; quia Pontificia dignitas, sicut omnes suo imperio parere cognoscit, sic nullum a spe suae protectionis excludit.

Hac certe veritate ducti in orbe litterario proceres ad V. S. mittunt scripta

(3) *Marc.*, c. XIV, v. 36.
(4) *Ps.* 21, v. 7.
(5) cap. LIII, v. 3; P. MICHAEL HETZENAUER, O. Min. Cap., *Biblia Sacra Vulgatae editionis,* Ratisbonae, 1922, p. 714: *despectum, et novissimum.*
(6) SILVESTER MAZOLINI DE PIERO, O. Pr., *Summae Sylvestrianae quae summa summarum merito nuncupatur,* Parte II, ad vocem *Papa,* quaest. 1; Antverpiae, 1581, t. II, p. 228: *... a papa interjectione admirantis,...*
(7) AMBROSIUS NOVIDIUS FRACCUS FERENTINAS, *Sacrorum Fastorum libri XII,* lib. II ; Romae, 1547, folio 19a: *Clavibus acceptis aperire, et claudere coelum.*

sua, quo et debitum cultum Patri universali exhibent, et hac submissione patrocinium sibi comparant (8). Sic S. Anselmus Cantuarensis Archiepiscopus librum quem de Divini Verbi Incarnatione scripserat, Urbano P. M. misit (9). Sic Hugo Aetherianus misit Alexandro III Commentarios de processione Spiritus Sancti, (10). Sic D. Bernardus, lib. de consideratione Eugenio III (11). Sic denique, ut alios innumeros praeteream, Godhofredus Viterbiensis misit Urbano III *Pantheon* (12), in quo haec mirissime scribit: *Dum Sacrosanctae Matris nostrae Romanae Ecclesiae culmen inspicio, et eius eminentiae considero maiestatem, illud ante omnia necessarium esse intueor, ut, sicut ipsa omnibus noscitur praeesse Principibus: ita omnes Reges, et Principes, et Universae Orbis Ecclesiae doctrina eius et regimine adornentur, et ab ea, tanquam a fonte iustitiae, totius sapientiae regulis instruantur; quia nullum Scripturarum elogium noscitur esse authenticum, nisi ab eius sapientiae fluminibus sitientibus propinetur. Quare, si quod historiarum opus nova per aliquem institutione conficitur, ratio suggerit ut antequam in publicum deveniat, Apostolico examini praesentetur : quatenus, si acceptione dignum esse perpenditur, eius mandato, et iudicio approbetur, et ab eo vires, auctoritatemque suscipiat, cui terrena, et caelestia, divinitus sunt commissa.*

Haec est, Ssme P., ratio, hoc motivum suaviter impellens pusillitatem meam, ut magnum iter aggrediens elevetur ad Sanctissimos pedes supremae dignitatis V. offerens minusculum hocce opus: *Ut antequam in publicum deveniat, Apostolico examini praesentetur.* Audiam, Beatissime P., quid loquatur in me Dominus meus, omniumque tam pusillorum, quam Magnorum Dynamis; quoniam quomodocumque loquatur, loquetur pacem in plebem suam. Sive piissime indulgens, sive iustissime respuens, pacem absdubio loquetur; quippe maximopere in votis est, quod S. V. voluntas fiat.

V. B. librorum omnium Censor est. Censorem hunc exploro, nec alium patitur fides mea, qui dogmata eructet a suprema V. S. Dignitate non exorientia. Unde loquar: *Ego nullum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae,* id est, *Cathedrae Petri, communione consocior. Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Si quis Cathedrae Petri iungitur, meus est. Qui tecum non colligit, spargit; qui Christi non est, Antichristi est... Si rectum putatis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus* (13).

Sic ista catholicae fidei columna litterarumque Dynasta Pontificiae dignitati exponit quidquid scribit, ut recto tramite incedat. Cuius vestigiis insistens ad V. S. propero sperans posse sacra vanitate gloriari, me ad propriam instructionem auscultasse sacratissimas

..... *Albano Musas in monte locutas* (14).

Alicit etiam V. S. nomen, ut ad Sanctissimos pedes me opusque meum sistam,

---

(8) BZOVIUS (Abraham —, Polonus, O. Pr.), *Romanus Pontifex,* cap. 28; pp. 325-356, in-folio sine indicatione loci et temporis impressionis.

(9) Scilicet *Librum de Fide Trinitatis et de Incarnatione Verbi contra blasphemias Ruzelini sive Roscelini.* Migne, P. L., t. 158, col. 259-284.

(10) Id est, *De Haeresibus quas Graeci in Latinos devolvunt libri tres, sive Quod Spiritus Sanctus ex utroque, Patre scilicet et Filio, procedat, contra Graecos.* Datur, cum epistola Hugonis Aetheriani ad Alexandrum III Papam et rescripto Alexandri, apud Migne, P. L., t. 202, col. 227-396.

(11) *De consideratione libri quinque ad Eugenium tertium.* Migne, P. L., t. 182, col. 727-808.

(12) *Pantheon sive Memoria saeculorum;* Migne, P. L., t. 198, col. 875:... *auctoritatemque recipiat, cui...*

(13) S. HIERONYMUS, *Epistola XV* (alias 57), num. 2 et 4; Migne, P. L., t. 22, col. 355, 356 et 357: *Ego nullum primum, nisi... ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi... Aut si rectum...*

(14) HORATIUS, lib. II *epistolarum,* epist. I, vers. 27; ed. M. F. Dubner, Parisiis, V. Lecoffre, p. 419.

Beatissime P., ex quo enim ad Cathedram Petri assumptus es, Clemens vocari voluisti. Felicius auspicium exhiberi non potuit filiis, quam Patrem habere Clementem. Simul fuisti Pontifex et Clemens, nosque omnes simul fuimus filii et fortunati. Noluit S. V. adeo supremam dignitatem sine nomenclatione, qua Clementissimus monstrareris; ut non illam tibi, sed illis admittere, ex quibus et pro quibus assumptus eras, ostenderes.

Deus noster est et dicitur Clemens, uti constat ex pluribus scripturis. Et hoc ipsum nomen tibi assumis, dum in Dei Vicarium constitueris. Egregie Chrysostomum (15) audio veluti nobiscum de V. S. loquentem, praesentemque casum ominantem: *Vidisti appellationem diademate clariorem; purpura meliorem? Quid fuerit illo beatius qui invocatione Dei ornatur, idque pro nomine possidet?* Prosequitur idem Chrysostomus efferens morem eorum, qui nomina habent, non quae a praedecessoribus deriventur, sed quibus illis decori ad iniunctum sibi munus exactissime obeundum moveantur; verba, quibus S. Doctor concludit, haec sunt: *Et non sicut nunc fortuito, et absque causa nomina fiunt iuxta nomen avi, vel abavi* (16). In hoc etiam S. V. nobis exemplar nunquam oblitterandum contulit, non iuxta Vice-Deum creantem, ut mos solet esse, nomen eligens; sed iuxta Deum assumentem inspirantemque Clemens nomen assumens.

Immensam comprehensionem S. V. latere minime potuit, quod *nullum magis decet clementia, quam principem* (17), et illud

..... *Clementia dos prima regum* (18).

Atque adeo dum communi utilitati Papale solium occupas, Clemens diceris; malens ut Clemens corda subditorum devincire, quam alio quocumque titulo catenare. Quod traditum suspicor a glorioso Praedecessore S. V. D. Gregorio (19) dicente: *Dolentem non potest consolari, qui non concordat dolori... Emolliri prius debet animus, ut afflicto congruat, congruens inhaereat, inhaerens trahat.* Exemplo rem illustrat Smus Pontifex subiungens (20): *Neque enim ferrum ferro coniungitur, si non utrumque exustione ignis liquetur; et durum molli non adhaeret, nisi prius eius duritie temperata mollescat... Sic nec iacentes erigimus, nisi a rigore nostri status inclinemur.* Gloriamur omnes, Beatissime P., gloriamur in Domino Papam habentes, cuius piissimum genium etiam in nomine voluit Clemens apparere; ut sic animus genialem per nomen propensionem exprimeret et nomen ipsum indolem benignissimam demonstraret.

Pietatem ornare Principem non est mirum, sicut nec rarum est Principem iustitiam administrare. Verum quod clementia sit innata et veluti adventitia iustitia: plectere *in novacula conducta* et geniali propensione pium esse, hoc rarum, hoc mirum est et quod D. Gregorius praeadductus desiderat. Et hoc est, quod, experientia ductrice, in V. S. miramur: impletum videlicet illud caeleste vel consilium, vel praeceptum: *Induite vos, sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiae* (21). Ubi addubitare non erit indecorum, cur *viscera misericordiae* dicatur: cum iustitia cingulum nominetur? *Erit iustitia cingulum lumborum eius* (22).

Quem nodum tripliciter enodare valemus. Primo quia cingulum non semper

---

(15) *Homilia XXI in Genesin*, num. 3; Migne, P. G., t. 53, col. 179:... *purpura splendidiorem.*

(16) Apud Migne, l. c. sequens versio legitur: *Non sicut nunc fortuito et ut primum succurit nomina fiunt. Nomine, inquiunt, avi vel proavi vocetur puer.*

(17) SENECA, *De clementia*, lib. 1, num. 3; collection Nisard, Paris, 1855, p. 331b: *Nullum tamen ex omnibus magis, quam regem aut principem decet.*

(18) VIRGILIUS.

(19) GREGORIUS MAGNUS, lib. III *Moralium*, cap. 12 [Rec. 10]; Migne, P. L., t. 75, col 609: *Dolentem namque non potest consolari, qui non concordat ejus dolori... Emolliri itaque prius...*

(20) l. c.: *nisi prius duritia ejus...*

(21) *ad Colos.*, cap. III, v. 12.

(22) *Isaias*, cap. XI, v. 5.

gestatur; viscera tamen deponi nunquam possunt; et Princeps, si nunquam clementiam deponat, omnibus mirabilis est. Secundo, quia cingulo nemo utitur, nisi postquam aliis vestibus indutus est; viscera autem adhuc in membrorum efformatione primatum tenent: quiaque

..... *Clementia est dos prima Regum* (23),

propterea clementia *viscera* dicitur, quamquam iustitia *cingulum* appelletur. Tertio denique, et praecipue, quia cingulum extrinsecum et adventitium est utenti, viscera autem intrinsecus a natura habentur et clementia debet esse Principi innata. Hanc in nostro Principe supremoque Pastore totus terrarum orbis veneratur; qui propterea potest dicere: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio; et de utero matris meae egressa est mecum* (24). Opportunum valde est Angelici Praeceptoris glossema (25), ait enim ideo Iob dixisse: « *Ab infantia mea crevit mecum miseratio* »; *quia naturalem inclinationem habebat ad misericordiam, sicut diversi homines ad diversas virtutes quasdam naturales inclinationes habere solent. Unde subdit,* « *et de utero matris meae egressa est mecum* »; *quia scilicet ex primis generantibus sic dispositus fui, ut essem ad miserendum promptus.*

Non potuit, B. P., clementia, qua fulges, vel pulchrius exprimi, vel expressius ostendi. Naturali pondere Clementissimus erga omnes es; quo et thronus quem ascendisti, firmatur, et subditi omnes reciproca propensione aliciuntur. Duo dixi breviter explananda.

Etenim S. V. solium clementia firmari, testatur Salomon dicens: *Misericordia et veritas custodiunt Regem, et roboratur clementia thronus eius* (26). Ubi notandum obiter est, simplicem iustitiam Salomonem in rege desiderare, clementiam vero duplicem: semel enim nominat nomine veritatis iustitiam, bis autem misericordiam. Quod in V. S. verum esse, vel caeci vident; scientes esse misericordem ex propensione naturae, *sicut diversi homines ad diversas virtutes quasdam naturales inclinationes habere solent* (27). Et etiam ex nomine, quod, dum orbis caput adorandum fieres, assumpsisti.

Quod autem hac ipsa benignitate allecti catholici omnes veluti in proprium centrum ineluctabili vi in V. S. rapiantur, testor universum orbem in odorem pietatis tuae currentem, ne dicam convolantem. Immo acatholicorum ergastula putrida disrumpentes plures in admirabile lumen vocati intra speciosum corpus, cuius unicum Optimum Caput es, annumerantur. Quod novissime in diebus istis fecit Serenissimi Poloniae Regis Serenissimus filius, ingenti orthodoxorum et maxime V. S. iubilo. Immensus forem, si quae huc spectant dictarem. Sat mihi sit de V. S. verissime canare:

Magne Pater, Magni, qui iura imitaris Olympi,
et procul immensum non sinis esse polum.
Vidimus hoc toto populos ex Orbe fatentes
ad vestros Sanctae procubuisse pedes.
Vidimus extremis properantes finibus Afros,
hinc ubi longaevus pondere nutat Atlas
Venit ab extrema numerosus Perside Cultor,
venit ab Eoa missus ab Armenia.
Et qui Sarmarticis armatus colla sagittis
provocat hostiles ad fera bella Getas.

---

(23) VIRGILIUS.
(24) *Iob.*, c. XXXI, v. 18.
(25) *Expositio in Job*, cap. XXXI, lec. 1; ed. Vivès, t. XVIII, p. 165b.
(26) *Proverb.*, c. XX, v. 28.
(27) S. THOMAS, l. c.

Aurea vix totos tibi subdidit India Cives
et tremuit imperiis ultima terra tuis.
Vox diversa sonat; possit tamen una videri,
unum dum cunctis diceris esse caput (28).

Inter quos omnes pennis catholicae fidelitatis ductus ad pedes sanctissimos V. B. sum, munusculum istud offerens et pallium supremae tuae protectionis implorans.

Restat tandem agere de ipso opere, ut sic triplex funiculus expleatur motivorum, quae magnum hoc iter ascendere inspirant. Opus hoc, B. P., est *Theologia mystico-scholastica.* Est mystica propter ipsius substantiam, et est scholastica propter modum quo maiori ex parte versatur.

Orbis Doctorem V. S. veneror omniumque doctorum Magistrum, caputque oculis plenum, potens detenebrare *Magistros mendaces, introducentes sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negantes, superinducentes sibi celerem perditionem* (29). Nullibi vividius quam in mystica theologia hanc luem grassari quotidiana experientia testis irrefragabilis est. In ea siquidem tradenda praecipueque dirigenda aranei veneni passim spicula sunt a tenebrarum principe parata in animarum perniciem.

Hanc ruinam detegere, ut ab ea incauti fugiant veluti a facie colubri, est huius mei laboris scopus. Ad quem me omni prorsus idoneitate destitutum fateor. Verum

Mihi iussa capessere fas est (30).

Quamobrem ad lucidissimum fontem totius mysticae theologiae propero, aquam hausturus in vitam aeternam salientem, quam sitientibus animabus propinem.

Mystica theologia aliena minime est ab aris S. V., quia si ut theologia inspicitur, est sermo de Deo; si autem ut mystica consideratur, est sacra et arcana et ab omni mundiali tumultu penitus segregata. Nunc ergo sermo de Deo cui proprius offerendus est quam ei, per quem Deus ipse nobis loquitur ? Sermo mysticus non alibi domesticus est, nisi in magna domo Patrisfamilias, qui sit sanctus, arcanus seu a mundialibus segregatus, qualem V. S. esse piaculum foret non fateri. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior Caelis factus* (31).

Hanc mysticam theologiam V. S. continuum exercitium esse mihi certius est quam quod maxime ob tam nobilia tam multaque motiva, quae si vellem recensere,

Ante diem clauso componet vesper Olympo (32),

quam possem eorum exiguam partem percurrere. Individuam actionem non praetermittam in argumenti comprobationem et ob instructionem omnium.

Sacer Purpuratorum Patrum Senatus testis est, quod, audita tua assumptione ad Pontificium solium, magna fuit velut mare contritio tua; unde in imbres lacrimarum effusus animam tuam tristem esse usque ad mortem demonstrasti. O eiulatus ! quorum irrigationibus in almo Ecclesiae viridario

..... *Zephyris melioribus halant*
perpetui flores (33).

O singultus!

---

(28) IUSTUS RICLEI, *Paulo V Pontifici Maximo.*

(29) II *Petri*, c. II, v. 1; Hetzenauer, p. 1182: *Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis et eum, qui emit eos, Dominum negant: superducentes sibi celerem perditionem.*

(30) VIRGILIUS, *Aeneis*, lib. I, v. 77; 23 ed. Benoist-Duveau, Paris 1917, p. 156.

(31) *ad Hebraeos*, c. VII, v. 26.

(32) VIRGILIUS, *Aeneis*, lib. I, v. 374; ed. cit., p. 166.

(33) CLAUDUS CLAUDIANUS, *De raptu Proserpinae*, lib. II, v. 288 et 289; Hanoviae, 1612, t. I, p. 269; collection Nisard, Paris, 1850, p. 701.

..... *Quorum stupefactae carmine lynces,*
et mutata suos requierunt flumina cursus (34).
Jam non
..... *Elyseos miretur Graecia campos* (35),
sed Ecclesiam catholicam contempletur gurgite hoc sacro venustam.

Liceat mihi per te, B. P., has lacrimas vel tantisper intueri cum ad omnium supremam dignitatem eveheris, ac si ad sacrificium ducereris, lacrimaris? Hercle, Sanctissime P., potes dicere cum Salomone (36); natus ad Dignitatem Pontificiam *primam vocem emisi plorans ;* non tamen similem omnibus. Quia solus et peregrinus in terra es, qui ad tantum fastigium evectus lacrimeris.

Ast si huius fletus scatebram huiusque originem explorare velim, non Nili fontem inquiram, cum oppido theologia mystica originem huius sacri gurgitis esse convincatur. Est enim sacra haec doctrina, quae animam Deo unit. Cum quo ita deliciatur, ut sub umbra illius sedens fructibus illius pascatur. Anima, quae mysticam experientiam de Deo habet, vagari post greges renuit, altoque conamine propriam vineam, alienis intenta, non custodire recusat. Hac ergo theologia imbutus, Sanctissime Pater, in eiusque arcana academia Theodidactus, dum post greges incipis ambulare, ploras, Deum fervidae caritatis tuae centrum exoptans pascentem, cubantemque in meridie.

Verum quia voluntati divinae resistere potest nemo, ascendit ad sedem sanctam Noster Clementissimus Clemens; sed taliter ascendit, ut dicere omni veritate possimus, quod

Solus meruit regnare rogatus (37).

Hoc solum suspicor, B. P., te inter mysticae academiae proceres expertissimum esse, demonstrare. Lacrimas fundere ea die
..... *Luce sacratior illa,*
..... *Conscia Dictaeum, qua tulit Ida Iovem* (38).
Non potest esse nisi animi, qui ita adhaeret Deo, ut unus spiritus sit cum eo ; animi creata omnia pede generoso calcantis et solummodo increata heroico intuitu conspicientis. Unde non improprium esse comprobatur mysticum hoc opus mystico adeo sublimi dicare.

Accedit, hanc mysticam theologiam maiori ex parte compactam esse ex doctrina profundissimi illius mystae D. Ioannis a Cruce, Carmeli Reformati Parentis primi. Flores huius praeclarissimi Doctoris

Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius urit
Aestibus, aeterno sed veris honore Rubentes (39)

litto ! Omnia huius Theodidacti Magistri opera seria reflexione meditatus sum

..... *Apis Matinae*
More, modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus vividique
Tiburis ripas (40).

---

(34) VIRGILIUS, *Bucolica,* Ecloga VIII, v. 3 et 4 ; collect. Nisard, Paris, 1843, p. 175; 23 ed. Benoist-Duveau, p. 67.
(35) VIRGILIUS, *Georgica,* lib. I, v. 18; collect. Nisard, p. 182; 23 ed. Benoist-Duveau, p. 79:..... *Elysios...*
(36) *Sap.* c. VII, v. 3.
(37) CLAUDUS CLAUDIANUS.
(38) MARTIALIS (Marcus Valerius—), *Epigrammata,* lib. IV, num. 1. *De Natali Domitiani,* v. 1 et 2; collect. Nisard, Paris, 1878, p. 388.
(39) CLAUDUS CLAUDIANUS, *De laudibus Serenae,* v. 6 et 7; collect. Nisard, p. 677.
(40) HORATIUS, *Carminum libri IV,* Carm. I, v. 27-31 ; ed. Dubner, Paris, V. Lecoffre, p. 137:... *circa nemus uvidique.*

Seu

Florigeris ut apes in saltibus omnia libant (41).

Et ex hac meditatione succum libavi, quo has disputationes mystico-scholasticas animarem. Hac ex parte V. S. opus iniucundum non fore existimo propter affectum scilicet, quo erga hunc Excalceati Carmeli Parentem maximum flagrat, quod clamant facta, ut maximopere optamus, perficienda.

Exposui, Beatissime P., motiva me usque ad sanctissimos pedes V. S. conducentia. Indigentis est confugere ad Patrem Patrum, ad Dominum Clementissimum, ad Mystam supremum, et pro me hocque meo mystico opere auxilium orare, et dum supplex tua numina posco, consequi spero; sic indulgentia Clementis benignissimi pollicetur. Interim ergo, P. Beatissime, Deus Optimus Maximus, cuius personam meritissime sustines, incolumen te custodiat Urbi, Orbi Christiano et Universo, ac de nostris annis addat tibi Omnipotens annos, ut per aetates plures Ecclesia catholica sub tanto Pontifice decora perseveret. Sic orat, sic clamat

Vestrae Sanctitatis
Humillim. et obsequentmus
filius et servus
Fr. Ioseph a Spiritu Sancto.

---

(41) LUCRETIUS CARUS, *De rerum natura*, lib. III, v. 11; collect. Nisard, Paris, 1843, p. 44: *Floriferis ut apes in saltibus omnia limant.*

Facultas Ordinis [1]

IESUS, MARIA, JOSEPH

FRATER SEBASTIANUS A CONCEPTIONE, GENERALIS Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae MARIAE Virginis de Monte Carmeli primitivae Observantiae, de consensu nostri Definitorii generalis, etc. ut Liber, cuius titulus est: *Tomus primus Cursus Theologiae Mystico-Scholasticae,* a P. Fr. Iosepho a Spiritu Sancto, Definitore generali primo nostrae Sacrae Religionis, suis elucubrationibus acurate elaboratus, et a gravioribus doctisque viris nostri Ordinis (quibus ipsum videndum et examinandum commisimus) recognitus et approbatus, typis mandetur et ut in lucem prodeat, obtentis facultatibus necessariis, tenore praesentium licentiam concedimus. Datum in nostro Collegio Caracense, die quarta Octobris, anno Domini millesimo septingentesimo decimo octavo.

Fr. Sebastianus a Conceptione
Generalis.
Fr. Gaspar a Iesu Maria
Secret.

Approbatio R. P. M. Fr. Antonii de Castilla, Sacrae Familiae B. V. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, Sancti Inquisitionis Officii Qualificatoris, etc.

De Mandato Supremi Castellae Regiae Senatu vidi librum, cui titulus est: *Cursus Theologiae Mystico-Scholasticae, etc.* Auctore R. P. Fr. Ioseph a Spiritu Sancto Sacrae Theologiae Lectore, Ex-Provinciali suae Baeticae Provinciae, actualique Generali Definitore Congregationis Hispaniae Carmelitarum Discalceatorum primario, etc. Opus est dignissimum Cedro, quod nec livor edax corroserit, nec malevolus ardor ustulaverit, nec annositas longior consumpserit. Non est factum tale opus in universis regnis. Materiam superabat opus. Nullam huiusce operis Iconem magis graphicam invenire licuit, quam antiquum illlum (cuius Pierius meminit) insignem plane Librum, inter Imperatoria Theodosii Principis monumenta memorabilem. In supremo libri fastigio eminebat humanum caput, quod ambabus ulnis suffulciebant gemini aut gemelli quidam Genii. Et pro coronide capitis ea effulgebat inscriptio: *Divina Providentia.* Quis ibit inficias, hunc nostrum auctorem suo Ordini caelitus esse datum ut Divina Providentia, quae in seipsa et suo velut primario munere ad futura protenditur, in hoc auctore ad maiorem et meliorem scholasticorum instructionem converteretur.

Nemo item mirabitur, cordatissimum auctoris caput suffultum iri per geminum genium, seu geminatum potius ingenium; nec enim unica intelligentia, quavis caelorum supersit voluminibus huic tanto volumini sufficeret. Duplicem sibi spiritum discupiverat Eliseus, et duplicem sibi mentem sortitus est noster Auctor.

---

(1) Ordinem sequor facultatum censurarumque primae editionis, eo quod ordine chronologico dentur in hac editione, non vero in aliis.

Propterea in praesenti volumine dubia omnia (quae apud mysticos nunquam aut fere nunquam rationibus, quibus fulciantur, innixa sunt aut ab obiectionibus vindicata), inveniuntur subtilissimis rationibus innixa et ab oppositis efficacissime vindicata (2). Omnia sunt in eo duplicia: verborum flos et foetus sententiarum; iudicii libra et lima intelligentiae; theologiae mysticae gravitas et amoenitas modi scholastici. Illud enim in hoc eximio opere verissimum, quod in cunctis difficillimum, vetustis novitatem, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, fastiditis gratiam elargiri. Eius quippe ingeniosissimus Auctor felicissimo ratiocinii sui foetu aeternum sibi construit monumentum, dum obstrusas theologiae mysticae controversias congerat adamussim, proferatque de thesauro mysticorum nova et vetera; quasi argumentosa apis viridarium circumvolavit utrumque suxitque veterum odoramenta, et ne fastidium pareret pervetustum, insudat quam plurimum suavissimo novitatis tradere condimento, quandoquidem *Supervacuus foret in studiis longus labor, si nihil licet melius inveniret praeteritis.* Quintil. lib. III (3).

Pro immortali Scholarum celsitudine vere potest basis ista sufficere. Scientiam, quam alii magistri exhibent paucis, praestat noster Sapientissimus auctor innumeris. Lectore hic est opus, non interprete. Ad haec opera satis sunt oculi. Qui in hac lectione moretur, rite mirabitur; eius mora erit dulcis Remora. Omnia mystica sunt apud illum, nihil metutum fugit. Universa quae calamo tangit, aurea facit. Sic munia Doctoris implet, ut nihil desideretur. Quapropter arbitror librum istum praelo dignissimum, nec in eo contineri quidpiam vel piis moribus dissonum, vel fidei regulis absonum, vel regiis iuribus contrarium. Ita censeo, salvo, etc. Hispali in hoc Magno Regalique Conventu Beatissimae Virginis Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, die 6 Iunii, anni 1719.

Fr. Antonius de Castilla.

LICENCIA DEL REAL CONSEJO (4)

Don Balthasar de San Pedro Azevedo, Escrivano de Camara de el Rey nuestro Señor, y de Govierno de el Consejo, certifico, que por los Señores de él se ha concedido licencia á Fr. JOSEPH DEL ESPIRITU SANTO, Difinidor General primero de el Orden de Carmelitas Descalços para que por una vez pueda imprimir, y vender un Libro intitulado *Cursus Theologiae mysticae* (sic) *scholasticae tomus primus,* por el original que va rubricado, y firmado al fin de mi mano, con que antes que se venda se traiga al Consejo juntamente con el Original, y Certificacion de el Corrector de estar impresso conforme á él, y se tasse el precio á que se ha de vender, guardando en la impression lo dispuesto por las leyes, y Pragmaticas de estos Reynos, y para que conste doy esta Certificacion en Madrid á quatro de Septiembre de mil setecientos y diez y nueve años.

Balthasar de San Pedro.

EL REY

Por quanto por parte de Vos Fray Joseph del Espiritu Santo Carmelita Descalzo, se representò en el mi Consejo haviais compuesto un Libro, intitulado:

---

(2) cf. Praefatio ad Lectorem, Prolegom. VI, num. 58, p. 16 huius novae editionis.

(3) QUINTILIUS (Marcus Fabius—), *Oratoriae Institutiones,* lib. III. Non inveni in editione « collection Nisard », Paris, 1858.

(4) Deest in quarta editione, in qua editione eius loco datur *la licencia del Rey.*

Theologia Mystica Escolastica, y para inprimirle, y venderle se os havia concedido Privilegio por tiempo de diez años, los que havia cumplido, y para poderlo reimprimir; se me suplicò fuesse servido, prorrogaros el termino de dicho Privilegio por otros diez años mas, en la forma ordinaria, ò como la mi merced fuesse. Y visto por los del mi Consejo se acordò expedir esta mi Cedula: Por la qual os prorrogo, y alargo el termino de la Licencia, y Privilegio, que por mi se os concediò para imprimir, y vender el dicho Libro, intitulado *Theologia Mystica Escolastica,* por otros diez años mas primeros siguientes, que han de correr, y contarse desde el dia de la fecha de esta mi Cedula, durante los quales os concedo la dicha Licencia, para que sin incurrir en pena alguna, podais continuar en imprimir el referido Libro por el Original, que antes de ahora se ha impresso, que và rubricado, y firmado al fin de Don Miguel Fernandez de Munilla, mi Secretario, Escribano de Camara mas antiguo, y de Gobierno del mi Consejo, guardando en la dicha Impression lo dispuesto por el Privilegio expressado,Leyes, y Pragmaticas de estos mis Reynos, y demàs prohibiciones, que tratan de la Impression de los Libros, sin las contravenir en manera alguna: con que antes que se venda el dicho Libro, le traygais al mi Consejo, juntamente con Certificacion del Corrector por mi nombrado, para que se tasse el precio à que se ha de vender, en el qual seguidamente se ponga esta Licencia, la Tassa, y Erratas, pena de caer, è incurrir en las contenidas en las Pragmaticas, y Leyes de estos mis Reynos, que sobre ello disponen; y que ninguna persona sin vuestra licencia pueda imprimir, ni vender dicho Libro, baxo de las penas contenidas en el citado Privilegio, y aplicacion, que de ellas se hace: y cumplidos los dichos diez años, Vos, ni otra persona en vuestro nombre, no usareis de esta mi Cedula, ni imprimireis el expressado Libro, sin tener para ello nueva Licencia mia, so las penas en que incurren los que lo hacen sin tenerla. Y mando à los del mi Consejo, Presidentes, y Oydores de las mis Audiencias, Alcades, Alguaciles de la mi Casa, Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Assistente, Governadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Juezes, Justicias, Ministros, y personas qualesquier de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de estos mis Reynos, y Señorios, que guarden, y cumplan esta mi Cedula, y contra su thenor, y forma no vayan, ni passen, ni consientan ir, ni passar en manera alguna, pena de la mi merced, y de cada cinquenta mil maravedis para la mi Camara. Dada en Granada à treinta y uno de Marzo de mil setecientos y treinta.

YO EL REY

Por mandado del Rey N. Sr.

D. Francisco de Castejon.

Censura et approbatio R. A. P. Fr. Christophori de Valdivia ex inclyta et florentissima Praedicatorum Familia, in suo Sancti Pauli, toto orbe celeberrimo, Hispalensi Regali coenobio, in sacra theologia Praesentati olimque Carmonensi conventu meritissime Prioris.

Ex commissione Domini Doctoris D. Ildephonsi de Baeza et Mendoza, Decani Canonicique huius Sanctae Metropolitanae Hispalensis Ecclesiae, necnon Provisoris atque Vicarii Generalis totius Archiepiscopalis Dioecesis, Sede vacante, etc., librum, cuius titulus *Cursus Theologiae Mystico-Scholasticae* in duas partes distributum, perlegi, Auctore Rmo. P. M. Fr. IOSEPHO A SPIRITU SANCTO, Generali Definitore suae Reformatae Familiae. Optaremque quaesitum censorem aptum esse, ut nempe saltem discipulus extitisset; haec siquidem inexplica-

bilis eruditio mysticam edocens theologiam describit affectus: lingua scilicet quamvis disertior, mihi tamen meoque tepori veluti non experto habetur inculta. *Dilectus meus mihi, et ego illi* (5) caelestis Sponsa, dum ardentiori amoris igne succensa proferebat, at nil protulit amplius; unde eam quisquis exaudiat, minime intelligit, asserit Mellifluus Bernardus (6): *Pendet oratio..., suspenditur auditor, neque eruditur.* Et rationem reddens ultra progreditur (7): *Quid est hoc, quod dicit: ille mihi et ego illi? Nescimus quid loquitur, quia non sentimus, quod sentit.* Quomodo ergo adeo affectuosae eruditionis non dicam Censor, immo nec vel discipulus adsit, cui minime sunt aures percipiendi, quas ex sua ipsius abundantia cor emiserit voces. Hoc equidem schola est, ubi carioribus experimentis mystica addiscitur facultas, quam carnalis non percipit homo, nec qui aliquantula vanae scientiae imbutus doctrina tantummodo de Deo didiscit speculari.

Stultitiae amentiaeque notam Phorvioni philosopho coram Antiocho Hannibal dicitur inusisse. Sed unde in tanto philosopho eiusmodi insipientiae nota? *Quis enim amentior* (ait Hannibal) *quam qui sine tantilla quidem militaris artis, vel experientia, vel praxi in celeberrimorum militum Ducum, assiduaque bellorum experientia pollentium conspectu de ipsa militari arte, longiores audiatur texere sermones* (8)? Sic mihi in praesentiarum tamquam Phorvionem agenti videor accidisse. Mysticae etenim philosophiae cuius aliquali tantum speculativa notitia imbutus, tantilla praxi instructus, Censoris in hoc libro munus eligor obiturus. Quid enim mirum, si stultitiae nota Phorvionis afficiar. At obedientia obstrictus proposito Censoris, ut par est, iussui obtemperans, hunc codicem sedula sollicitudine totoque mentis conamine legi. Ubi nil quod demirationi non cedat, nil quod auctoris dexteritatis et sapientiae encomiis non succumbat, nil contra rectos mores sacrosanctaeque Fidei nostrae dogmata invenerim. Immo proficuam valde legentibus hunc librum doctrinam noverim continere. Sed quid ultra in eius probatione in auctoris sapientiae praeconiis immorer referendis; cum cetera quae hucusque ex hac celeberrima Parentis Eliae Reformata Familia praelo mandata in lucem prodire volumina, crebris fuere et praeclaris semper erunt laudibus celebrata? At vero ut nostrae probationi modum imponam, ut huiuscemodi libri et doctissimi Auctoris encomiis terminum praefigam; utque nostri erga hanc inclytam Elianae Observantiae Religionem et affectus, et amoris signa demonstrem D. Bernardus ad Abbatem de Fontanis scribens pro nobis eloquatur dicens (9): *Quanta audivimus et cognovimus ea fratres nostri... annuntiaverunt nobis, quemadmodum noviter recaluistis igne Dei, convaluistis de infirmitate; refloruistis in novitate sancta. Digitus Dei est iste, suaviter renovans, salubriter mutans non quidem de malis bonos, sed de bonis faciens meliores. Quis mihi dabit ut transeam, et videam visionem hanc magnam? Rarissima avis in terris est, qui de gradu, quem in Religione semel attigerit, vel parum ascendat. Vestrum proinde, dilectissimi, tam insigne, tamque salubre factum non solum nos, qui servi vestrae Sanctitatis esse percupimus, sed et universam laetificat Civitatem Dei; quippe quo rarius, eo charius. Dolens doleo, quod urgente diei malitia brevi cogor chartula latam comprehendere charitatem.* Hunc librum adeo utilem animabus in lucem exire, quam iustissimum arbitror *salvo meliori, etc.* Hispali in hoc Regali Divi

(5) *Cant.*, c. II, v. 16.
(6) *Sermones in Cantica*, serm. 67, num. 2; Migne, P. L., t. 183, col. 1103.
(7) ib. num 3; Migne, l. c.
(8) PAULUS DIACONUS, *Comment.*, lib. II. Sic in antiquis editionibus; at non inveni apud PAULUM WINFRIDUM DIACONUM, *Historia Miscella*, lib. IV; Migne, P. L., t. 95, col. 791-792; quamvis ibi de Hannibale sermo sit.
(9) Epist. 96 ; Migne, P. L., t. 182, col 229 : *Digitus Dei est iste, subtiliter operans, suavitur renovans,..., tam insigne, quam salubre... sed et universam merito lactificat... quo rarius, eo et clarius... Dolens doleo, quod urgente diei malitia, et nuntio festinante, plenum affectum exili cogor designare stilo et brevi chartula latam comprehendere charitatem.*

Pauli Conventu, die decima mensis Decembris, anno Domini millesimo septingentesimo decimo nono

Fr. Christophorus Valdivia.

LICENCIA DEL ORDINARIO

El Doctor Don Alonso de Baeza y Mendoza, Dean y Canonigo de la Santa Iglesia de esta Ciudad de Sevilla, Provisor y Vicario General en ella y su Arzobispado, Sede vacante, etc. Por el thenor de la presente, y por lo que toca á este Tribunal doy licencia, para que por una vez (10) se pueda imprimir é imprima un Libro, cuyo titulo es: *Theologia Mystica y Escolastica,* en un tomo, su Author el M. R. P. Fr. Ioseph del Espiritu Sancto, Difinidor General Primero de el Sagrado Orden de Carmelitas Descalzos, por quanto por mi mandado ha dado su Censura el R. P. Fr. Christoval de Valdivia de el Orden de Predicadores, y o contiene cosa, que se oponga á Nuestra Santa Fe y buenas costumbres, con tal, que al principio de cada Libro se imprima esta mi Licencia y dicha Censura. Dada en Sevilla a catorce de Diciembre de mil setecientos y diez y nueve años.

Don Alonso de Baeza y Mendozo.

Por mandado de su Señoria.
Francisco Cotallo Not. M.

SUMA DE LA TASSA (I^{ae} editionis) (11)

DON BALTHASAR DE SAN PEDRO AZEVEDO, ESCRIVANO de Camara de el Rey nuestro Señor y de Govierno de el Consejo, certifico que aviendose visto por los Señores de él un Libro intitulado *Cursus Theologiae Mystico-Scholasticae,* en dos partes, que con Licencia de dichos Señores ha sido impresso, tassaron á ocho maravedis cada pliego; y el dicho Libro parece tiene setenta sin principios, ni tablas que al dicho respecto montan quinientos y sesenta maravedis de vellon; y á este precio, y no mas mandaron se venda el dicho Libro, y que esta certificacion se ponga al principio de cada uno. Y para que conste lo firme en Madrid á primero de Julio de mil setecientos y veinte años.

Don Balthasar de San Pedro Azevedo.

SUMA DE LA TASSA (IV^{ae} editionis)

Don Miguél Fernandez Munilla, Secretario del Rey N. Sr. su Escribano de Camara mas antiguo, y de Gobierno del Consejo. Certifico, que haviendose visto por los Señores de él un Libro intitulado: *Cursus Theologiae Mystico-Scholasticae,* en dos partes, compuesto por el R. P. Fr. Joseph del Espiritu Santo, Carmelita Descalzo, que con licencia de dichos Señores ha sido impresso, tassaron á ocho maravedis cada pliego; y el referido Libro parece tiene setenta, sin principios, ni tablas, que al dicho respecto monta quinientos y sesenta maravedis, y á este precio, y no mas, mandaron se venda el dicho Libro, y que esta Certificacion se ponga al principio de cada uno, para que se sepa á el que se ha de vender; y para que conste, doy la presente en Madrid á veinte y cinco de Mayo de mil setecientos y treinta.

Don Miguél Fernandez Munilla.

---

(10) « *Por una vez* » deest in IV ed.
(11) *Suma de la tassa* deest in ed. Neapolitana, 1724.

PRIMA PARS

CURSUS THEOLOGIÆ MYSTICO-SCHOLASTICÆ

in qua

Totius operis Prolegomena atque Synopsis

QUÆ ISAGOGE NOMINANTUR

CONTINENTUR DOCTRINALITERQUE TRADUNTUR

EDITIO QUINTA

DECOR CARMELI

TOTIUS NOSTRI OPERIS

PROLEGOMENA

EJUSQUE DISTRIBUTIO ET RATIO AD LECTOREM

Rationi consentaneum visum nobis est ante opus mysticum apparatum praemittere, in quo quae communiter lectori dicuntur in prologi angustiis, diversis prolegomenis diceremus. Sic enim et frequens consuetudo retinetur, et fastidii occasio legentibus amputatur. Sic etiam expressius exhibetur operis ratio et ipsius operosius ostenditur distributio. Nec desunt gravissimae notae auctores, quos sic facientes sequamur. Omissis enim pluribus aliis, eminentissimus Aguirre (1) hac methodo usus est in Theologia Sancti Anselmi explananda. Ut autem nihil quod claritati deservire valeat, omittamus, dicenda omnia ad illas conditiones quas pro actibus moralibus assignant communissime doctores, reducere decrevimus. Hae conditiones seu circumstantiae sunt septem, ut hoc carmen ostendit :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Illisque utitur nostra *Mystica Disceptatio,* q. 3, tract. I (2), eas ad mentaliter orantem applicans. Iisdem et nos utemur, ut nostri mystici cursus rationem lectoribus offeramus. *Quis* ostendit personam mystica haec praedicabilia scribentem. *Quid* materiam in hoc cursu mystico traditam. *Ubi* locum in quo scriptus est mysticus iste cursus. *Quibus auxiliis* auxiliantem ad operis complementum. *Cur* ejus scopum. *Quomodo* modum stylumque. Et *quando* tempus quo opus scriptum fuit, designat. Sed ne amplius in his immoremur, ad nostra prolegomena accedamus.

PROLOGOMENON I

Quis est, qui hoc mysticum opus scribit ?

1. Mysticorum praedicabilium totiusque huius mystici operis scriptor est qui vere non est, nec tuam memoriam meretur, Lector virtuose. Est (quod totius sui non esse caput est) Deo ingratus, suavissimae providentiae benignitatem misere prodigus. Est qui tanquam ad se directum accipit divinum oraculum intimatum per David *Psal.* 49 (3) : *Peccatori autem dixit Deus : quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ? Tu vero, odisti disciplinam, et proiecisti sermones meos retrorsum.* In quo considerare debemus,

(1) AGUIRRE (JOSEPH SAENZ —), O. S. B., *S. Anselmi, archiepiscopi Cantuarensis, theologia commentariis et disputationibus, tum dogmaticis, tum scholasticis illustrata.* Romae, 1688-1690, 3 t. in-fol.

(2) ANTONIUS AB ANNUNTIATIONE, C. D., *Disceptatio mystica de oratione et contemplatione,* tract. I, quaest. 3; Compluti, 1683, p. 51. — Cf. infra *Appendix.*

(3) v. 16-17.

ait inibi D. Thomas (4). *Primo humanam perversitatem. Secundo Dei patientiam.*

2. Semper humana perversitas gravissima est ; ast si cum tolerantia Dei benignissimi conferatur, mensuram omnem excogitabilem superat. Sic sentio, sic fateor. Hoc tamen ipsum culpam non aufert, sed auget; quia in concursu huius clarissimae confessionis non cessat sermonum Dei contemptus. Et hoc est quod iuxta oraculum praesens provocat iram Dei, teste Angelico Praeceptore dicente (5) : *Perversitas humana consistit in hoc quod bona dicunt, et mala faciunt.* Nil clarius dici potuit, ut tanquam pro me, dicta verba illa auscultem.

3. Haec, quae verissima sunt, duplicem respectum habent. Primus est Deum peccatorem iustitias suas enarrare prohibentem. Secundus est ad Lectorem enarrationes istas lectitantem. De primo agam infra Prolegom. VII. Secundus autem differri haud potest; sed nec auferre valet operis prosecutionem. Lector enim considerare non debet quis sit scriptor operis, sed opus ipsum attendat. Et quae viderit correctione digna, media caritate corrigat. Sciens se nunquam posse esse propensiorem ut corrigat, quam ego ut corrigar. Ideo omnia a me dicenda ex hoc nunc Sanctae Romanae Ecclesiae, quae totius verae doctrinae norma est, corde humili subiicio, et cuiuscumque sapientis censurae exposita esse volo, ut quae emendari debeant a quocumque bene sentiente discam.

4. Arduitate non caret quod exopto ; quippe dum vivimus, librorum valor per scribentium gradum mensuratur. Cum potius ipsa scripta sine respectu ad manum considerari debuissent. Verum enimvero hoc non obtinetur, nisi post plura saecula, vi quorum Scriptoris memoria non exstat. Pulchre ex D. Hieronymo Ruperto Abb., *lib. VII in Matth.* (6): *Quomodocunque volunt, praesentes de nobis iudicent, futuri clementius iudicabunt. « Dum enim vivimus (ait illustris vir Hieronymus) et vase fragili continemur, videntur amicorum prodesse studia, et nocere aemulorum opprobria. Postquam autem reversa fuerit terra in terram suam, et tam nos, qui scribimus, quam eos, qui de nobis iudicant, pallida mors subtraxerit, et alia venerit generatio, primisque cadentibus foliis virens silva succreverit ; tunc sine nominum dignitate sola iudicabuntur ingenia, nec considerat, qui lecturus est, cuius, sed quale sit quod lecturus est. Sive ille Episcopus sit, sive laicus, Imperator, et dominus, aut miles, et servus, aut in purpura, aut serico, aut in vilissimo panno iaceat : non honorum dignitate,* (nec scribentis indignitate) *sed operum merito iudicabitur* (7) ».

PROLOGOMENON II

De materia quae in hoc opere continetur.

5. Circumstantia *quid* materiam scribendam inquirit ? Et illa est sublimior profundiorque quacumque alia. Est theologia mystica, quae ideo mystica dicitur, quia mysticum idem omnino est ac occultum et a nostra cognitione segregatum, ut tenet D. Thomas in hoc eodem tomo, 1 part., lib. 1, num. 8 referendus (8).

6. Propterea theologiae mysticae Parens D. Dionysius librum *De Mystica Theologia* scripturus totius Sanctissimae Triados opem implorat, dicens (9) : *Trinitas supersubstantialis, et superdea, et*

(4) *In psalmum 49 ;* ed. Vivès. t. XVIII, p. 538, n° 9.

(5) Ib.

(6) Migne, P. L., t. 168, col. 1453-1454.

(7) Migne, l. c., habet ut sequitur :... *ingenia. Nec consideret qui lecturus est cujus vel quale sit quod lecturus est, sive ille episcopus, sive sit laicus, imperator et Dominus, aut serico, aut in vilissimo miles et servus, aut in purpura panno jaceat, non bonorum diversitate, sed operum merito judicabitur.*

(8) S. THOMAS, *Commentaria in lib. De Divinis Nominibus, prolog.*; ed. Vivès, t. XXIX, opusc. VII, p. 374.

(9) *De mystica theologia,* cap. I, §. I. Textus est iuxta antiquam translationem quae invenitur in *Operibus omnibus B. Alberti Magni;* ed. Vivès, t. XIV, p. 817ª, Parisiis 1890-1899.

Textus graecus, Migne, P. G., t. 3, col. 997.

superbona inspectrix divinae sapientiae Christianorum, dirige nos ad mysticorum eloquiorum superignotum, et supersplendentem summum verticem, ubi simplicia, et absoluta, et inconvertibilia Theologiae mysteria cooperta sunt secundum supersplendentem occulte docti silentii caliginem, in obscurissimo, etc. Et concludit (10) : *Igitur ista mihi quidem sint oratione postulata.*

7. Qua obsecratione pro toto illo suo mystico opere praemissa, incipit etiam caput II petens, propriam indigentiam fassus, hisce verbis : *In hac autem superlucenti caligine fieri nos precamur* (11). Quod certe non fecit, uti observat Albertus Magnus, in aliis suis libris. Scripsit magnus hic Doctor *De Ecclesiastica Hierarchia* et etiam *De Caelesti,* scripsit *De Divinis Nominibus,* scripsit *De Divinis Hypotyposibus,* et alia plura scripsit ; nullibique tam supplex orat, auxilium petens, quam hic, ubi de mystica theologia scribit. Nec mireris, inquit laudatus Albertus, hoc enim fecit propter theologiae mysticae altitudinem. Dignissima auditu sunt Alberti verba (12) : *Sicut in superiori capitulo ponens modum perceptionis incepit ab oratione propter doctrinae altitudinem, ita et hic, dicens : Precamur nos fieri, etc.* Ea est doctrinae mysticae eminentia, ut qui in aliis, etiam arduissimis, infulis magistri docet, in hac discipuli submissione discat.

8. Quod si de magistro mysticam theologiam propinante ad discipulum audientem transimus, eodem documento instruimur a supra dicto Dionysio, qui eodem cap. I. post Sanctissimae Trinitatis invocationem incipit inspirare Timotheo, carissimo eius discipulo, et pro cuius instructione librum dictum *De Mystica Theologia* conscripsit, dicens (13) : *Tu autem, o amice Timothee, circa mysticas visiones forti contritione, et sensus derelinque, et intellectuales operationes,* prosequiturque alia subiungens summe difficilia, necessaria tamen, quia sine illis mysticam theologiam addiscere non valebit. Omnia opera huius praeclarissimi Doctoris evolve et nunquam invenies eum tantam sollicitudinem posuisse, ut discipuli instruerentur. Nec mysterio carere potest hic tantam sollicitudinem collocasse.

Dubium hoc movet egregius Dionysii explanator Albertus in hunc modum (14) : *Sed quaeretur, quare diligentius hic instruit Discipulum, quam in aliis libris ?* Nodumque pulchrum pulcherrima dexteritate solvit sic (15) : *Dicendum, quod in aliis libris, quos de Deo facit, afferuntur divina ad nos in manifestis, ut dictum est: In hoc autem oportet nos ire in Deum, et uniri sibi: et ideo hic est tota perfectio Divinae Scientiae: unde requiritur maior perfectio in auditore.*

9. Confer ista cum iis quae diximus initio Prolegomeni praecedentis non miraberis confusionem meam, totus occupatus erga eruditionem tuam. Omnes tam Scriptores, quam Lectores huius sacratissimae scientiae magnam perfectionem habere debent; si magni criminis reos esse nolint.

10. De theologia mystica agimus, quae iuxta extaticum N. Doctorem, lib. II *Noct.*, cap. 16 (16), est scientia omnino occulta. Audiatur sublimis hic Mysta, Cant. II (17) sic dicens:

A obscuras, y segura
Por la secreta escala disfrazada,
O dichosa ventura !
A obscuras, y en zelada,
Estando ya mi Casa sossegada.

Ubi per occultam scalam mysticam

(10) Ib.

(11) *De Myst. theol.*, cap. 2, §. I ; ed. Vivès *operum omn. B. Alberti Magni,* t. XIV, p. 836a. — Textus graecus. Migne, t. 3., col. 1025.

(12) *In theolog. mystic. Dionysii Areopagitae* cap. 2; *Opera omnia,* ed. Vivès, t. XIV, p. 837b.

(13) *De Myst. theol.* cap. 1. §. 2; ed. Vivès *operum B. Alberti Magni,* t. XIV, p. 820a. — Textus graecus, Migne, t. 3. col. 992, §. 1.

(14) L. c., cap. 1, §. 2 ; ed. Vivès, t. XIV, p. 821b.

(15) L. c., p. 822a.

(16) *Obras del Mistico Doctor san Juan de la Cruz,* edición crítica (del P. GERARDO DE S. JUAN DE LA CRUZ, C. D.) (3 t. in 8°) Toledo, 1912-1914. *Noche oscura del espiritu,* Canción II, verso 2, §. 1 (cap. 17) ; t. II, pp. 105 sqq.

(17) Ib., canción II (cap. 15) p. 98. In ed. Neapolitana, 1724, additur eius versio Itala :

Al buio, e ben sicura
Per la segreta scala trasformata
O felice ventura !
Uscii, ne fui notata
Stando, gia la mia Casa addormentata.

theologiam intelligit Sanctus Doctor, et hoc ob duplex motivum quod invenit, ut hanc scientiam occultam esse asserat. Primum (18) est, quia haec scientia, iuxta D. Thomam (19), est scientia quae animae per amorem communicatur. Quod clanculum evenit ac sine omni notitia operationis naturalis intellectus aliarumque potentiarum. Et hanc arcaneitatem habet scientia haec, nedum ex parte sui et ex parte Numinis illam infundentis; verum etiam ex parte effectuum quos in anima causat. Undecumque illam intueaeris, occultissimam prorsus intueberis.

Huiusque doctrinae insignem rationem a priori ostendit inibi Theodidactus Doctor. Etenim sensus potentiaeque possunt quidem habere cognitionem eorum, quae mediis suis speciebus per ipsae transierunt. Eorum autem, quae transitum per illas non fecerunt, notitiam habere haud possunt. Cum autem theologia haec perfectissima ingrediatur per ianuam Principi reservatam, scilicet Spiritui Sancto, qui illam independenter a sensibus et potentiis infundit ; propterea est illis penitus occulta.

11. Idoneo exemplo rem explicat expertissimus hic theologus toto dicto cap. 17 (20) videndus. Etenim qui rem videt nunquam prius visam, nec in se, nec in alia sui simili ; transacta visione, non posset rem illam nominare, nec exprimere *quid est* ipsius. Si ergo hoc quod sensibus perceptum supponitur, explicari non potest atque adeo remanet omnino occultum ipsi videnti propter sui singularitatem ; multo magis erit inexplicabile quod in se est singularissimum independenterque a sensibus infusum (21). Videantur quae in hoc tomo, I. part., lib. IV, dicimus circa locutiones et visiones corporeas, imaginarias et intellectuales; ex quibus aliud exemplum sumitur pro maiori dictorum claritate.

12. Motivum secundum (22) ob quod theologia mystica occulta est, est quia est via quam anima lustrat, ut Deo uniatur ; est scala per quam ad Dominum scalae innixum ascendit. Et hoc arguit magnam sui obscuritatem et sublimitatem, dicente *Baruch,* cap. III (23). *Non est qui possit scire vias eius, neque qui exquirat semitas eius.* Simile oraculum a Davide accepimus *Psalm.* 76 (24), ubi ait : *In mari via tua, et semitae tuae in aquis multis : et vestigia tua non cognoscentur.* Videatur extaticus Parens. lib. II. *Ascens.,* Cap. 8 (25).

13. Ex quibus pluribusque aliis, quae omittimus, cognoscitur non esse caput, per quod mystica theologia obscurissima non sit. Quod certe tremere facit propriam pusillitatem. Vel res cuique perviae sunt meae tarditati tenebrosae, quas ergo tenebras non attinget in re omnibus et ex propria natura tenebrosa ?

14. Haec licet magna sint, non adeo premerent, si auctores ipsi mystici vel nonnullis ex ipsis primi nominis consentientibus, tenebris tenebras non adderent. *Tenebrae occultantur* (hoc est, destruuntur) *lumine, et magis multo lumine: ignorantiam occultant cognitiones, et magis multae cognitiones,* ait D. Dionysius Areopagita, *Epist. I. Ad Caium monachum* (26). Sed si tenebris lucem non opponas, sed tenebras aliis addideris, omnia tenebrosissime confundes.

15. Diversissimas vias lustrant fere omnes mystae, ut eandem veritatem explanent. Quod impossibile est consecutu propter oppositionem infoederabilem, quam ipsae viae, quas lustrant, inter se habent. Videbis mysticos aliquos omnia scholastica funditus evertentes, alios illa nec leviter considerantes. Et cum scholastica theologia scientiaeque omnes quae illi famulantur, sint absdubio theologiae mysticae fundamentum ; plane evincitur illos sine fundamento procedere.

(18) Ib., cap. 17 : t. II, p. 105, sqq.
(19) II^a II^{ae}, q. 180, a. 7, ad 1.
(20) IOAN. A CRUCE. l. c. ; ed. crit., t. II, p. 105, sqq.
(21) l. c., t. II, p. 106.
(22) l. c., t. II, pp. 108-109.
(23) v. 31.
(24) v. 20.
(25) Ed. crit., lib. II, cap. 7 ; t. I, pp. 127-131.
(26) Ed. Vivès *operum B. Alberti Magni,* t. XIV, p. 867^a. — Textus Graecus, Migne, P. G., t. 3, col. 1065.

16. Mysticum tibi exhibere possum, qui, ut statuat in quo actu intellectus consistat contemplatio, ipsius intellectus actus explicat incipiens a discursu, quem primum actum intellectus esse dicit; post quem sequitur iudicium ac tandem simplex apprehensio, in qua contemplationem consistere docet. Considera hunc processum et vide, si haec totius facultatis scientificae eversio, immo et naturae cardinum subversio lucem conciliet aut tenebras? (27)

17. Non diffiteor plerosque prudentissima subtilitate res mysticas enucleare, quos inter, salva omnibus reverentia dixerim, eminent absdubio nostrates, qui inconcussam Angelici Doctoris veritatem insectantes et suam doctrinam a lucidissimis fontibus Seraphicae Theresiae Matris Nostrae et Nostri Seraphici Doctoris (28) haurientes, scopum veritatis attingunt dexteritate solerti.

18. Quis in Domino potest similiter gloriari inter iuniores, sicut Ioseph a Iesu Maria (29), qui profundiores totius theologiae mysticae difficultates in Angelico Praeceptore ita expressas proponit, ut quem prius solummodo scholastica tradentem suspicabaris, post eius lectionem mystica evidenter loquentem contempleris? Quis non miratur in Ioseph a Spiritu Sancto (30) *Catenam* illam *mysticam*, qua omnes studiosi catenantur? O utinam illam complesset ac de voto seraphico, ut promiserat, scripsisset! Sed noluit Caelum exsilium tanti viri differre. Quis in Ioanne a Iesu Maria (31) sapientissimam comprehensionem rerum mysticarum non miretur et ipsius mellifluam eloquentiam? Quis Philippum a Sanctissima Trinitate (32) vere theologiae mysticae Magistrum esse negabit et quidem facunde fecundissimum? Quis in illo sui saeculi portento Thoma a Iesu (33) profunditatem, discretionem et quidquid pro mystico theologo desiderari potest non adesse dicet? Quis... sed quorsum pergo, cum facilius foret folia Sibyllina cumulare.

Cum turbata volant rapidis ludibria ventis,

Quam nostros Mysticos Theologos recensere.

De hoc tamen alias.

PROLEGOMENON III

De loco in quo scripta est haec mystica theologia.

19. Prae manibus habemus circumstantiam *ubi*. Locus pro theologia exercenda inquirendus est: quia licet in omni loco dominationis eius Deus benedicendus sit atque orandus, sunt tamen nonnulla loca specialiter destinata ut Deus oretur. Sic enim edocemur a Sanctissimo Salvatore nostro, qui ostendens locum ubi ad Patrem orare debemus dixit apud *Matt.* cap. VI (34): *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora ad Patrem tuum, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Ubi Magister Caelestis non solum locum pro nostra oratione ostendit, sed clauso ostio fundi debere docet.

20. Triplicem locum pro mystica theologia exercenda specialiter idoneum reperit Extaticus Noster Doctor, lib. III *Ascens.*, cap. 41 (35). Primus est locus solitarius, qui, eo quod ab hominum turbis remotus, aptissimus est ad contemplationem divinorum. Quamobrem Deum dilectam suam ad solitudinem vocat, ut

(27) Cfr. infra tom. II, Praedicab. II, disput. 12, quaest. 5, num. 73, ubi dicitur auctorem *Scholae Veritatis* (conf. 22.) et quemdam FR. ILDEPHONSUM A S. AUGUSTINO sic procedere. Quos auctores invenire non potui.

(28) Scilicet: Joannis a Cruce.

(29) Cf. infra *Appendix*.

(30) Cf. infra *Appendix*.

(31) Cf. infra *Appendix*.

(32) Cf. infra *Appendix*.

(33) Cf. infra *Appendix*.

(34) v. 6. HETZENAUER. O. Min. Cap., *Biblia sacra vulgatae editionis Sixti V Pont. Max. iussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita. Ed. critica. Editio altera emendatior*, Ratisbonae et Romae, Frid. Pustet. 1922, p. 958:... *ora patrem tuum in abscondito: et pater tuus qui...*

(35) Ed. crit., t. I, pp. 390-392.

ibi se ei intime communicet et ad cor ipsius alloquatur. Sic enim per *Oseam*, cap. II (36) pollicetur : *Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor eius.* Sic etiam Sponsa ipsa horum favorum experta, pro eorum continuatione clamat, atque adeo pro ipsa solitudine suspirat *Cant.*, VIII (37), dicens : *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris, et deosculer te.*

21. Secundus locus, quem sublimis Noster Doctor aptum pro mysticae theologiae exercitio dicit, est ille, in quo Deus consuevit gratias aliquas speciales conferre aliquibus personis. Manet enim, ait Parens Noster, cor personae recipientis favores illos speciales in aliquo determinato loco, specialiter inclinatum devotumque circa illum locum. Quod comprobatum videmus libro *Genes.*, cap. XXIV (38), ubi dicitur de Isaac, quod *egressus fuerat ad meditandum in agro.* Et hoc ex consuetudine ab ipso factum monet Origenes (39), sicut et quod egrediebatur per locum ipsum, per quem exivit, cum ut a patre suo ex Dei imperio immolaretur, ductus fuit. Cuius venustam rationem tradit Lyra (40), dicens hoc sic factum esse, quia cum Isaac Deum adeo sibi benignum expertus fuit, cum per illam ipsam ad aram tetendit, propterea eundem locum repetere solebat experientia ductus.

22. In quo, si observare vis, locum illum duplici motivo orationi consentaneum videbis. Primum est propter dicta numero 21, erat enim oratio illa *ad meditandum in agro.* Qui locus quantum est a tumultibus segregatus, tantum est orationi proprior. Secundum motivum est idipsum de quo nunc loquimur. Erat enim locus ille, in quo Isaac Dei favores receperat ; ideoque ad illum accedere frequentabat, ut benedictionibus repleretur.

23. Sunt et alia loca ad orationem idonea iuxta Nostrum Mysticum Doctorem. Suntque illa, in quibus Deus ostendit se orari et adorari velle : sicut mons Sinai, in quo Moysi legem dedit ; mons ille, in quo praecepit Isaac immolationem celebrandam ; ac felicissimus mons ille Horeb, ad quem iussu Dei potens signis Protoparens Elias ascendit Deum ipsum, si non facialiter, veluti intuitive contemplaturus. Et alia innumera, quae nobis tam Scriptura sacra, quam historiae creditu dignissimae tradunt.

24. Hactenus dicta eo tendunt, ut esse loca pro mystica theologia exercenda apta ostendant ; ut ex ipsis demonstretur loca esse pro ipsa mystica theologia scribenda idonea, inidonea alia ; haec deserenda sunt, illa vero inquirenda ut finis intentus consequatur. Malum hoc reprobare bonumque locum eligere arbitrii nostri non fuit. Quin potius diversissimis locis haec scripsimus, sive apta, sive inepta forent. In civitate Astigitana, in Matritensi curia, in Hispalensi emporio in aliisque locis pene innumeris cursum istum confecimus. Nec ab iis vel ipsa diversoria excipias, in quibus iter faciens tempus pro arcendis temperandisve itineris molestiis destinatum labori huic improbo consecrabam.

25. In quo non solum observanda est locorum inportunitas ; verum etiam, et haec maxime, librorum carentia. Saepissime dum praeconceptis speciebus uti volebam, libri qui auxilii esse poterant, ad manus non erant. Unde praehabitae illae species vel tumulum ante ortum occupabant, vel non ad salivam oriebantur.

(36) v. 14. Ed. crit. Hetzenauer, p. 855:... *in solitudinem: et loquar ad cor eius.*

(37) v. 1.

(38) v. 63.

(39) Migne. P. G., t. 12. col. 120.

(40) *Biblia sacra cum glossa ordinaria a* STRABO FULDENSI *Monacho Benedict : collecta...* et *Postilla* NIC. LIRANI FRANC. *cum additionibus* PAULI BURCENSIS EPISC. ac MATTHIAE THORINGI *replicis* Theolog. Duacensium studio emendatis, Antverpiae apud Joannem Meursiam, 1634, (6 t. in-folio.). LYRA (seu Lyranus) l. c., *Gen.*, c. XXIV, v. 63; ed. 1634, t. I. col. 290 sequentia dicit : *Egressus fue... etc. Hebraei dicunt ad orandum, quia circa tempus vesperarum consuetudo est judaeis orare; vel forsitan* EGRESSUS FUERAT *ad videndum dispositionem cœli, et aliquarum stellarum, quæ incipiebant apparere: quia edoctus erat in astronomia a patre, qui primus eam edocuit in Ægypto, quando ibi descendit, ubi supra dictum est duodecimo capite.*

Hinc etiam ortum duxit diversitas, quam notare quisque poterit in referendis dictis auctorum, quos adducimus. Non enim ubique potuimus vel eandem impressionem, vel versionem eandem qua uteremur, invenire. Diversissimae sunt versiones operum D. Dionysii Areopagitae mysticae theologiae Principis. Et multoties constricti fuimus iam istam, iam aliam adducere, quod facile notare poteris ; et quia motivum non ita pervium est, propterea operae pretium duximus illud proponere : quod quidem est illud quod nuper diximus, videlicet : quia diversitas loci in quo laborabam, differentes versiones offerebat.

Adhuc in ipsis eiusdem Dionysii auctoritatibus, quae pluries in hoc opere repetuntur, hoc verificatur ; siquidem, cum vel ipsos codices iam scriptos nobiscum afferre non possemus, auctoritates in illis secundum unam versionem adductas, secundum alias repetimus. In quo sensus diversitatem non notamus ; sed verborum differentiam fatemur. Semper quod potui, versionem, qua utitur D. Thomas exponens librum *De Divinis Nominibus,* sequimur. In aliis autem eiusdem Dionysii operibus Albertum Magnum sectamur (41).

26. Quod de Areopagita diximus, etiam verum est de secundo Dionysio : de Nostro, inquam, Theodidacto Doctore D. Ioanne a Cruce, cuius egregia profundissimaque opera pluries excussa et aliquando aucta, ut videre est in insigni Hispalensi impressione, non levem occasionem prebent, ut iam unam, iam aliam impressionem afferens, sit casus in quo tibi possim esse de veritate aut de applicatione suspectus. Et quod in hac parte caput est, est magna diversitas, quae aliquando offenditur in ipsis impressionibus. Consule impressionem Hispalensem factam anno Domini 1703 (42). Et si cum aliquibus aliis conferas, multum in non paucis discriminari videbis. Etenim *Canticum* illud *spirituale,* in quo mutuo sibi alloquuntur Sponsus divinus electaque sua Sponsa, continet cantiones 40. Et in iis referendis conveniunt versiones illae usque ad cantionem 15. inclusive ; ab illa vero usque ad 33. inclusive prorsus differunt (43). Quod occasionem praestat, ut idem cantus ab eodem, si non eadem impressione utitur, diversimode pronatur ; a quo immunis sane est, qui ad illam varietatem non cogitur, quae coactio est veluti consectarium ad tantam habitationum mutationem consecutum.

PROLEGOMENON IV

Quo tempore cursus iste elaboratus est ?

27. Circumstantia *quando* ultima est earum omnium, quas proposuimus. Illam tamen hic quarto loco recensemus, quia valde affinis est in praesenti circumstantiae *ubi.* Illa locorum mutatio, de qua Prolegomen. antecedenti locuti sumus, effectus fuit ministeriorum ad vitam activam rotunde pertinentium. Et inter vitae activae ministeria et speculationis attentissimam quietem dissidium magnum esse, nemo ignorat.

28. Occupetur utique Martha et satagat circa frequens ministerium ; placita

(41) Mihi in animo est singula vice indicare, quantum fieri potest, quanam versione Ioseph a Sp. S. usus sit.

(42) Circa hanc editionem anni 1703 (Sevilla, Francisco Leefdael) cf. GERARDO DE SAN JUAN DE LA CRUZ. C. D., *Obras del Mistico doctor san Juan de la Cruz.* Edición *critica.* Toledo. 1912-1914, t. I, Preliminares, §. XIII, pp. LXVI-LXVII.

(43) Circa duplicem lectionem operis *Cántico espiritual* cf. P. GERARDO DE SAN JUAN DE LA CRUZ, l. c., t. I. *Preliminares.* §. XI. p. LXI: §. XII, pp. LXVI-LXVII. — *Introducción al Cántico espiritual.* t. II, pp. 137-157; — *Dos palabras sobre et primer Cántico espiritual,* t. II, pp. 487-490. — FR. PH. CHEVALLIER, O, S. B., *Le Cantique spirituel de Saint Jean de la Croix a-t-il été interpolé* in *Bulletin Hispanique,* t. XXIV, nº 4 (Oct.-Décemb. 1922 pp. 307-342. — M. V. BERNADOT, O. P., *Le texte authentique du Cantique spirituel de Saint Jean de la Croix.* in *La Vie Spirituelle,* t. VII, nº 6 (Mars 1923), pp. [154-161]. — Responsio Patris Fr. FLORENCIO DEL NINO JESUS, C. D.: *Reparos a la critica de un critico,* in *Mensajero de santa Teresa* t. I. num. 6, 9, 10 y 11, etc. (1923-1924) pp. 170-177 ; 284-289 ; 323-328 ; 361-367 ; etc. — P. MARIE-AMAND DE S. JOSEPH, C. D., *Remarques sur l'édition critique des œuvres de saint Jean de la Croix,* in *La Vie Spirituelle,* t. IX, nº 2 (novembre 1923), pp. [43-47].

enim est Servatori nostro eius sollicitudo; sciat tamen secus pedes Domini non sessuram, quamdiu activo ministerio intenta fuerit. Aliorum vineis praeficiatur Sponsa ; sed toto eo tempore quo eis praeficitur, suam vineam a se custoditam fatebitur (44). Quod quidem *non ad votum, et mentem referendum est,* ait inibi D. Thomas (45), votum enim a mente segregari ipsa peregrina ministeria non potuere ; verum exsecutioni contraria votum ipsum faciunt intra mentem inveterari.

29. Oculos sibi eruit Democritus, ut auctores sunt Gellius, lib. X, cap. 17 (46) Cicero, lib. V *De finibus* (47) et Valerius, *De studio* (48), eo motivo ductus, ut posset rerum contemplationi expeditius insistere ; adeo enim peregrinis speciebus mentis tranquilitas inquietatur, ut visum proprium pacificae speculationis quieti contrarium esse autumaret.

30. Non diffiteor reparatores templi Hierosolimitani diversissima et inter se non compatibilia egisse ; eorum enim quisque *una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium,* ut dicitur lib. II *Esdrae,* cap. IV, vers. 17 (49). Ast inter istum casum et nostrum multa discrimina sunt. Etenim si ad litteram textum intelligas de hominibus illis, qui illud materiale templum reaedificabant, erant quidem ipsis arma ad manus ; ceterum, ut ibi observat Lyra (50): *Erant armati, licet levius, ut si hostes irruerent, possent aliquo modo se defendere.* Armatos dicit *levius* et taliter quod non possent contra inimicorum ingluviem ea expeditione procedere, ac alii qui templi fabricae non insudabant. Debuit enim hoc duplex tam distans ministerium reciproce retardari et multoties impediri. Et hoc idem est, quod nobis in hoc nostro labore accidit activis ministeriis multoties retardato, saepe saepius impedito.

31. Si autem textus dictus mystice intelligatur, per exstructores templi viri perfecti designantur, teste eodem Lyra in *Glossa morali* (51), ubi ait : *per hoc significantur illi, qui sunt in utraque vita, activa scilicet et contemplativa perfecti.* Quos quidem posse inter ministeria magis activa quieti contemplationis attendere, doctrina est mystarum praecipuorum sic sentientium cum Seraphica Matre Nostra D. Theresia, lib. *Fundat.,* cap. 5 (52). Aliis autem qui perfecti non sunt, concessum non est hoc privilegium.

32. Praecipuum tamen discrimen est : quod templi exstructores licet ad manus arma haberent, dum templum aedificabant ; militum tamen et exstructorum ministerium non simul exercebant, nec poterant ; dum enim in contrarios procebant, templum non reparabant ; nec dum fabricam templi instaurabant, in contrarios procedebant. Aliud est enim paratos esse ad pugnandum aliudque pugnare. Habebant certe gladios ad manus ; ad quod illos hostes ex omni parte minitantes cogebant. Quod in nostris Hispanis videri observat Cornelius dicens (53): *Sic olim Hispani assidue cum Saracenis Hispaniam occupantibus confligentes, cum orarent, aut aliquid aliud agerent, gladium ad manus habebant, ut eos incursantes propellerent ; unde mos adhuc viget, ut nunc quoque rustici in Hispania gladiati incedant : immo non arent, nisi gladio accincti.* Quae omnia praeparationem signant, non autem exsecutionem. Quod in nostro casu verissimum est, sicut etiam quod propter hoc adeo lente ad finem venit labor noster.

(44) *Cant.,* c. I., v. 5.

(45) *In Cant. Cant.,* cap. I ; ed Vivès, t. XVIII, p. 559ª : *Hoc autem non ad votum, neque ad mentem est referendum; sed ad locum.*

(46) AULUS GELLIUS, *Noctium atticarum commentarius.* lib. X, cap. 17 ; Lugduni Batavorum, 1644, p. 273.

(47) *De finibus bonorum et malorum,* lib. V, cap. 29; M. T. Ciceronis opera, ed. C. Fr. A. Nobbe, Lipsiae, 1827, p. 928ª.

(48) VALERIUS MAXIMUS, *Dictorum Factorumque Memorabilium libri IX,* lib. VIII, cap. 7. De studio et industria, Antverpiae, 1678.

(49) Alias *Liber Nehemiae.*

(50) *Biblia sacra cum glossa ordinaria,..... et Postilla* NIC. LIRANI FRANC....; Antverpiae, 1634, t. II, col. 1369.

(51) l. c.

(52) Editio critica Hispana : *Obras de Sta Teresa de Jesús, editadas y anotadas por el* P. SILVERIO DE SANTA TERESA, C. D. Burgos, 1915 sqq., t. V, pp. 39, sq.

(53) CORNELIUS A LAPIDE (VAN DER STEEN), *Commentaria in Nehemiam sive lib. II Esdrae,* cap. IV, v. 17; ed. Vivès, t. IV, p. 239ª.

PROLEGOMENON V

De fine cuius gratia hoc opus scriptum est.

33. Circa motivum propter quod cursus hic mysticus scribitur, pauca dicenda sunt ; cum constet hoc motivum nullum aliud esse nisi nostrorum scholasticorum instructionem.

34. Omnes Carmelitas speciali impulsu a Deo vocari ut per viam orationis incedant, notum est ex ipsorum regula praecipiente (54) : *Maneant singuli in cellulis suis,... die, ac nocte in lege Domini meditantes, et in orationibus vigilantes.* Unde ille ipse impulsus salutaris, qui aliquem vocat ad hoc institutum profitendum, illum ad orationis contemplationisque exercitium sacrat. Sic Seraphica Doctrix Mater Nostra D. Theresia, *Mansione* V, cap. 1 (55), ubi ait : *Digo aora, que aunque todas las que traemos este habito sagrado de el Carmen somos llamadas á la oracion y contemplacion : porque este fue nuestro principio ; de esta casta venimos, de aquellos santissimos Padres Nuestros de el Monte Carmelo, que en tan gran soledad y con tanto desprecio de el mundo buscaban este tesoro, esta preciosa margarita de que hablamos, etc.* Est dicere: Quamque omnes, quae Carmelitae dicimur, vocatae a Domino simus ad orationis et contemplationis exercitium: hoc enim nostrum principium fuit, ab hac radice ortum ducimus: ab iis scilicet Sanctissimis nostris Patribus, montis Carmeli incolis, qui vitam vere solitariam ducentes et mundo totis viribus abrenuntiantes thesaurum hunc orationis et contemplationis unionem, de quibus verba facimus, conquirebant, etc. (56). Omitto plura eandem veritatem suadentia, quia tom. II de hoc serio agitur.

Hoc autem licet immediate respiciat propriam utilitatem, etiam respicit utilitatem aliorum ; quamobrem non solum debent Carmelitae contemplationi inhiare ut inde sibi fructus salutares acquirant ; verum etiam, ut frangant esurienti panem suum illumque per viam Spiritus anfractibus senticetisque plenam manuducant. Sin minus se sui muneris contemptores fateantur.

35. Nec sat est, ut munus suum adimpleant, quod utcumque rerum mysticarum notitiam habeant. Debent enim omnia arcana huius sacratissimae theologiae, quoad fieri possit, callere. Ad hoc necessarium omnino iudicamus, quod theologiam mysticam non apprehendant ut facultatem a theologia scholastica prorsus diversam. Sciant germanas esse et sibi reciproce opitulari. Immo sciant eandem facultatem esse theologiam scholasticam mysticamque, de quo secunda parte fusissime agimus (57).

36. Non est ita facile hanc theologiae mysticae et scholasticae identitatem agnoscere, videntes ex una parte scholasticam theologiam libris pene innumeris disputatam sic ut nullum habere commercium cum mystica videatur ; et ex alia numerum fere infinitum librorum sic theologiam mysticam tradentium ac si nullo foedere iungerentur.

Ut autem hoc inconveniens vitetur,

---

(54) *Regula Primitiva Ordinis Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo a B. Alberto Patriarcha Jerosolymitano tradita et ab Innocentio IV confirmata.* Textus datur in *Constitionibus Fratrum discalceatorum congregationis sancti Eliae Ordinis Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo,* Romae, 1847, p. 6 ; et etiam in *Constitutionibus Fratrum Discalceatorum Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo Primitivae Observatiae Congregationis Hispaniae...* Matriti, 1701, p. 4.

(55) Ed. crit. t. IV, pp. 69-70, *de aquellos santos padres nuestros del Monte Carmelo...*

(56) Is locus varie legitur : in prima enim editione « *Modo hic dico, tametsi omnes qui sacrum hunc Carmelitarum habitum gestamus, ad orationis et contemplationis studium vocatae sumus : haec namque instituti nostri initia fuere ; ab hac familia a sanctis illis Patribus montis Carmeli incolis, qui per tantam solitudinem et tam singularem mundi huius despectum thesaurum et pretiosam hanc margaritam, de qua agimus, etc.* » — In editione vero Neapolitana legitur versio primae editionis praeter sequentia : « *Modo dico,... Carmeli incolis, qui in fortitudine tanta, et tan singulari mundi huius despectu, thesaurum et pretiosam hanc margaritam, inquirebant, de qua agimus, etc.* »

(57) Scilicet. Disput. prooemal, I, quaest. 8.

immensis difficultatibus superatis, cursus hic elaboratus est, in quo theologiae scholasticae ac mysticae unitas ostenditur. In quem laborem nostri scholastici introeuntes, os Domini facti, sciant separare pretiosum a vili : videlicet, ea quae sunt Spiritus Dei propria ab iis quae propria sunt spiritus infernalis. Quo sibi et aliis proderunt in hoc itinere spiritus, quod est proprissimum munus habentis nomen Carmelitae, ut ex Seraphica Matre Nostra vidimus. Aliter vel ipsum venerabile nomen in vanum habent.

Idem ipse est fluvius Tigris, ex quo nascitur usque dum in Mare Persicum, teste Boetio, simul reddit omnem substantiam, qua dives spatiabatur. Ast licet idem omnino sit, non semper appellatur Tigris, quod est idem ac velox ; causamque offert Solinus in *Polist.*, cap. 46 (58) dicens : *Tigris nascitur in loco eminenti, qui Elegos dicitur, nec ab exordio totus est. Primo pigre fluit, nec cum suo nomine ; at cum fines Medorum invectus est, Tigris statim dicitur ; ita enim nominant Medi sagittam.*

37. Secernere spiritum a carne et quae Dei sunt propria ab iis quae sunt inimicorum animae, est proprium munus Carmelitae ; quod si facit, bene hoc nomine utitur ; sin minus et nomen et esse veluti amissa deploret. Nec tibi hoc arduum videbitur, si consideres divinum oraculum dixisse secunda creationis die: *Fiat firmamentum in medio aquarum et dividat aquas ab aquis* (59). Cui oraculo se non opponi existimant plures iique gravissimi doctores, qui, teste Abulensi (60), opinantur firmamentum productum fuisse prima die creationis. Ceterum cum firmamenti munus sit dividere aquas terreas ab aquis quae super caelos sunt; propterea usque dum secunda die hoc suum munus adimplevit, nec dicitur firmamentum, nec eius productio refertur.

PROLEGOMENON VI

De modo quo cursus noster scribitur.

Vox est Angelici Praeceptoris (61), quod ea quae sunt ad finem, regulantur per ipsum finem. Finem huius operis nuper vidimus agentes de circumstantia *cur ;* nunc autem de modo in eo servando seu de circumstantia *quomodo* agimus, quod claritatis gratia per diversos §§. exsequemur.

§ I.

De nomine ac divisione huius operis.

38. Cum nomen non debeat esse extraneum nominato ; propterea ad locum ubi de modo quo hic cursus scribitur, agimus, de ipsius nomine sermonem facere pertinet. Appellatur ergo cursus iste *Mystico-Scholasticus*. Dicitur *mysticus* propter materiam de qua agit, quae quidem theologia mystica est ; nec quaestionem in ipso invenies, quae proprie mystica non sit. Hoc quippe maximopere curavimus, ut quaestiones quae mysticae non sunt, non versaremus.

39. Quam plurimas quaestiones videbis, quae a theologis scholasticis disputantur. Ex hoc autem non esse proprias

(58) SOLINUS (JULIUS —), *Polyhistor*, cap. 50 ; cf. JOANNIS CAMERTIS MINORITANI, Artium et sacrae Theologiae Doctoris *in CIVLII Solini ΠΟΛΥΪΣΤΩΡΑ Enarrationes*, Viennae Austriae, 1520, ubi, pp. 257-258, textus citatus aliter scribitur : nempe, *De Tigride quoque hoc loco dicere par est. In Armeniae maioris regione caput tollit mire q. lucido, conspicuoque fonte in loco edito, qui Elongosine nominatur. Nec tamen ab exordio statim totus est. Primum pigre fluit, nec cum suo nomine. At cum fines Medorum invectus est, Tigris statim dicitur. Ita enim Medi nominant sagittam.*

(59) *Genes.*, cap. I, v. 6.

(60) ALPHONSUS TOSTATUS (Abulensis Episcopus), *In Genesin*, cap. I; *opera omnia*, Coloniae Agrippinae. 1613, t. I, p. 67b, F.

(61) Ia IIae, q. 95, a. 3, c; Ia IIae, q. 102, a. 1, c; IIa IIae, q. 27, a. 6, c et alibi passim.

mysticae nostrae theologiae non infertur. Tum quia idem quaesitum sub una ratione speciali pertinet ad unam scientiam et sub alia spectat ad aliam. Tum etiam, quia theologia scholastica et mystica non sunt duae facultates, sed eadem, uti diximus num. 35. Unde mirum non est quod eadem quaesita exploret utraque haec theologia. Tum denique, quia omnes difficultates quas disputo in hoc opere, inveniuntur resolutae a theologis mysticis. Quos inter et nos solum est discrimen in modo, quo de ipsis difficultatibus disputamus. Illi enim resolutionem statuunt rationibus probativis nudam ; nos autem, nedum illas, quantum possumus, roboramus ; verum etiam ab emergentibus contrarietatibus vindicamus. Unde si illae difficultates de quibus mystae agunt, prout ab illis versantur, mysticae sunt ; non est ratio ob quam non sint mysticae prout disputantur a nobis. Aliter ipsa quae solum a mysticis disputantur, non essent, prout a nobis de ipsis agitur, mystica ; siquidem eadem methode circa haec ac circa illa alia utimur. Ratioque omnium est eadem, videlicet, quod modus rei rei substantiam supponit ; est enim *adiacens rei determinatio.* Unde assertum quod secundum suam substantiam, vel, ut minus, secundum aliquam rationem sibi intrinsecam est mysticum, mysticum manet, sive hoc, sive illo modo proponitur.

Verum est, quod etiam curavimus, ut vel ipse metaphysicus ardor mysticum saperet ; quod ostendunt omnes huius operis quaestiones, quarum asserta doctorum mysticorum calculo firmantur aliisque communiuntur, quae vere mystica sunt.

40. Dicitur etiam *scholasticus,* tum quia praecipuum quod intendimus in hoc opere, est ostendere identitatem mysticae theologiae ac scholasticae ; atque adeo veluti binomiam esse ostendimus, dum eundem habitum iam scholasticum iam mysticum seu mystico-scholasticum nominamus. Tum deinde, quia, sicuti dicitur mysticus propter ipsius, ut sic dicamus, substantiam ; sic etiam dicitur scholasticus propter modum quo de illo agitur. Praecipuae huius cursus partes omni scholastico rigore traduntur, unde ex hac parte scholasticus est.

41. Praeter intentionem adeo excrevit opus ut illud in quinque tomos dividere duceremus, eorum aliqui in duas partes distribuentur, ob motivum idem et ut commodius volumina sine fastidio legantur ; nec aliter praelatorum placito satisfieri iudicamus ; si speciatim primus tomus mediocris non sit. Hunc dividimus in duas partes, quarum prima continet extractum seu medullam totius mysticae theologiae, in qua doctrinali modo ea tradimus, quibus possint nostri scholastici sufficientissime imbui, totiusque huius arcanae facultatis propria cognoscere. In secunda parte ponimus prooemialia theologiae mystico-scholasticae, in eaque gravissimas difficultates versamus scholastica methodo. Ipsa etiam utimur in secundo tomo, in quo quinque praedicabilia mystica instituimus et de primo ac secundo praedicabili solum in hoc secundo tomo agimus. De aliis vero praedicabilibus in tertio, quarto et quinto tomo (Deo duce) sermo erit: et quia valde superavit praeter spem materia tertii praedicabilis, nunc tomus tertius ternarium numerum ex quinque praedicabilibus tantum (partim) continet; quamvis insequitur vestigia NN. Salmanticensium (62), qui materiam de Gratia, etsi una, in diversis tamen voluminibus versarunt. Alia duo praedicabilia, ad quae totam istam difficillimam scientiam complete undequaque reducimus, insequimur, ut completus cursus evadat. Faxit Deus (63).

---

(62) cf. *Appendix.*

(63) Sic in IV editione. At vero in 1 et Neapolitana editionibus legitur : « Praeter intentionem adeo excrevit opus, ut illud in duos tomos dividere necessarium duceremus, nec aliter Praelatorum placito satisfieri iudicamus ; si, speciatim primus tomus, mediocris non sit. Hunc dividimus in duas partes, quarum prima continet extractum, seu medullam, totius mysticae Theologiae, in qua doctrinali modo ea tradimus, quibus possint Nostri Scholastici sufficientissime imbui, totiusque huius arcanae facultatis propria cognoscere. In secunda

§. II.

De nomine quo prima pars insignitur ac de aliis huc spectantibus.

42. Distributionem operis in communi declaravimus §. praecedenti, nunc autem ad specialia descendimus. Et primo occurit prima pars tomi primi, quam *Isagogem* nominamus. Isagoge enim idem est ac *introductio,* si nominis significationem inspicis; si autem ad rem significatam oculos convertas, Isagoge deservit ad penitius percipiendum ea respectu quorum introductio est. Quamobrem infelix ille apostata Porphyrius Isagogem (64) confecit ut amicus suus Crisaorius facilius posset subtilissimam doctrinam praedicamentorum percipere.

43. Ad hunc ergo modum in animum induxi ad theologiam mystico-scholasticam introductionem praemittere, qua facilius possint percipi lustrarique arcanae huius scientiae recessus. Huius sacratissimae scientiae termini eius conditionem sapiunt, atque ideo occultissimi sunt. Lingua doctrinae mysticae est omnino extranea, etiam doctissimis in aliis facultatibus. Unde sine hac Isagoge, in qua notitia huius scientiae datur ; mores, termini et phrases aperiuntur ; multoties in theologia mystico-scholastica gradum sistere cogeremur terminos et idioma explanaturi. Quod sine iniuria scholastici rigoris, quem ibi sequimur, et sine confusionis nota fieri nequit.

44. Est et aliud motivum aeque urgens, ut haec Isagoge praemittatur. Munus nobis demandatum est mystica scribere, ut in illis scholastici nostri, dictante Lectore, instruantur. Et etiam, ut pro conferentiis et conclusionibus habeant quo armari possint, iam ut ipsa asserta mystica propugnent defendentes, iam ut arguentes impugnent. De hoc secundo postmodum sermo nobis erit. Ad primum illud nobis visum est conveniens medium haec Isagoge; in ea siquidem eas lectiones mysticae theologiae scribimus, quae valeant materiam lectoribus ministrare ut sine molestia possint discipulos doctrinam mysticam edocere. Nec suspicor tempus pro lectionibus statutum, lectiones, quas scribimus, superaturum. Eo vel maxime, quia diebus immediatis ad mysticas conclusiones conclusio defensanda explananda necessario est.

45. Cum labor noster non dirigatur ad animas instruendas, sed ad mentes nostrorum scholasticorum illuminandas ; propterea etiam in hac Isagoge, ubi modo doctrinali procedimus, cum ipsis scholasticis loquimur; atque adeo stylo in schola usitato; quamobrem Isagoge ipsa in modum summularum prodit. Cui addendum est, quod cum nostra theologia mystico-scholastica reducatur ad quinque praedicabilia mystica, quam propterea nominare posses logicam mysticam, ideo summulas mysticas praemittere placuit ; quia sicut ad logicam summulae logicales praecedunt, sic ad logicam mysticam summulas mysticas praecedere non erit extra chorum.

46. In hac ergo mystica Isagoge summulas logicales sapiente videbis modum sciendi mysticum in communi, necnon in particulari : signa mystica, terminum mysticum et eius mysticas proprietates : videlicet, suppositionem mysticam, mysticam alienationem et alias. Videbis orationem mysticam, nomen et verbum, ac denique artem mysticam inveniendi medium, quo anima Deo suarum deliciarum centro uniri valeat.

---

parte ponimus prooemialia Theologiae mystico-Scholasticae, in eaque gravissimas difficultates versamus Scholastica methodo. Ipsa etiam utimur in secundo tomo, in quo quinque praedicabilia mystica instituimus, ad quae totam istam difficillimam scientiam reducimus ».

(64) Scilicet ΠΟΡΦΥΡΙΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΟΥ ΑΦΟΡΜΑΙ ΠΡΟΣ ΤΑ ΝΟΗΤΑ (Porphyrii *Philosophi sententiae ad intelligibilia ducentes);* graece et latine inveniuntur pp. XXXI-XLVIII ed. Firmin-Didot, Parisiis 1855, ΠΛΩΤΙΝΟΣ *Plotini Enneades cum Marsilii Ficini interpretatione... Primum accedunt Porhyrii et Procii Institutiones et Prisciani Philosophi Solutiones.*

47. Aliquis forsan notabit in pluribus brevitatem et in non paucis silentium ; siquidem de visionibus, locutionibus, revelationibus ac purgationibus pauca trado. Si autem aliquis haec censurat, Isagoges nomen ignorat. Sed quidquid sit de hoc, de his omnibus quae hic breviter a nobis dicta dicuntur, infra fusissime disputatur. Ibi videri possunt. Quod si adhuc sit, qui plura desideret ; sciat nos in doctoribus mysticis nihil scholasticum reperiisse ; unde mirari non debet, si ipse in hoc nostro opere mystica aliqua viderit non adesse.

Ad calcem huius §. dicam, quod haec Isagoge in modum summularum tradita, praeter dicta, est ut illam tibi, Lector benevole, alia novitate condirem, quo, dum placuerit, aciem ad illam convertere dignareris. Quid enim quod tibi placeat, dicere possum mystica scribens, cum sim quem tibi num. 1 verissime exposui ? Nec hoc sua et sane non modica difficultate carere diffitebere, quia difficultate non caret ipsum idioma summulisticum mysticum facere. Ut ut sit, propter motiva iam tradita feci.

§. III.

Disputationum prooemialium ratio.

48. In secunda parte primi tomi ponimus duas disputationes prooemiales, in quibus de iis disputamus quae necessaria esse duximus tum pro seipsis, tum etiam ut expeditius in quinque praedicabilibus procederemus. De obiecto et natura mysticae theologiae paucissima scripta reperio. Et haec ita breviter et confuse, ut conceptum efformare res sit multum difficilis.

49. De his et aliis disputo fusissime eo motivo, ut dicendorum conceptus efformetur et mens de eo ipso quod addiscit, sufficienter instruatur. Defectus adesse haud (65) dubito. Utinam talis essem, quod mystica haec arcana sine labe propinassem. Feci tamen quod potui ; immo quantum potui feci ut tibi haec possibili claritate proponerem. Et sane neminem mihi negaturum existimo, his meis elucubrationibus occasionem sapientes habituros, ut sollicitius quam usque adhuc haec mystica profundissima arcana explanent. Non enim dabile est, quod zelo veritatis obarmati defectus meos eliminent ; quin nobis serio dicant, quid tenere debeamus. Nec hoc levissima manu attingere erit sufficiens ; unde bonum istud communi utilitati futurum ominor, antenuncio, praedivino.

§. IV.

Forma ac distributio eorum quae quatuor tomos (66) complent.

50. Ut quaestiones illas quas disputare paramus, aliqua forma ornaremus, placuit seriem praedicabilium mysticorum instituere, logicalium praedicabilium seriem imitantes ad eum modum quo logicam parvam in Isagoge imitati sumus. Quinque sunt praedicabilia logicae: videlicet, genus, differentia, species, proprium et accidens. *Genus* est natura proxime perfectibilis per *differentiam*, quae est natura perfectiva, siquidem generis perfectibilitatem complet actuatque ; ex qua natura perfectiva perficiente naturam perfectibilem et ex ipsa perfectibili natura componitur totum perfectum, quod est *species*. Haec ponitur secundum praedicabile logicum propter rationes quas logici assignant ; si autem aliter res inspiciatur, prius nominanda foret differentia ob motiva quae ipsi logici tradunt. Quem ordinem nos sequemur ut methodice in nostris mysticis praedicabilibus procedamus. Naturam perfectam consequuntur aliqua acciden-

(65) Sic in ed. Neapol. ; « *aut* » in I et IV editionibus.

(66) Sic in IV ed. ; in I et Neapol. vero « *quae tomum secundum* ».

tia propria, sine quibus completam suam perfectionem non haberet. Et haec accidentia propria pertinent ad quartum praedicabile, quod propter hoc dicitur *proprium*. Ultra has proprietates sine quibus dabilis non est natura perfecta, conveniunt ipsi alia accidentia quae communia sunt constituuntque quintum praedicabile, quod dicitur *accidens*. Haec accidentia sunt omnino extra essentiam naturae perfectae ; quia sine illis datur omne illud, quod ad perfectionem necessariam ipsius naturae pertinet. Unde possunt adesse et abesse absque perfectionis exactae detrimento. Haec sunt quinque praedicabilia logica, quae nos invitarunt ut ad ipsorum imitationem seriem praedicabilium mysticorum moliremur.

51. Quinque etenim dicimus esse mystica praedicabilia. Primum est natura formaliter perfectibilis. Estque natura haec perfectibilis mystice per id, quod est mystice perfectivum. Verum hoc, quod est naturam esse proxime perfectibilem, potest intelligi naturae ipsi ex se vel potest aliunde convenire ; ad eum modum quo natura mystice perfecta potest intelligi, quod sit perfecta ex se vel quod sit perfecta ab alio ei pulchritudinem et perfectionem conferente. Ast sicut omnes docent animam ex se mystice perfectam non esse ; sic cum veriori sententia dicemus, tota disputatione prima primi praedicabilis, animam ipsam non esse de se proxime perfectibilem a mystice perfectivo. Hoc enim perfectivum dicemus esse contemplationem, ad cuius exercitium animam idoneam non esse, nisi prius per meditationem proportionetur (67), pluribus citata disputatione demonstrabimus. Habemus ergo meditationem seu orationem discursus esse quod reddit proxime perfectibilem animam, quae de se solum remote perfectibilis erat. Sicut natura logice perfectibilis non est ex se proxime apta ad essendum in pluribus seu praedicari de illis, sed hanc aptitudinem habet a consideratione intellectus ; quae est proximum fundamentum ut universalitas praedicabilitasque resultent. Eoque natura illa quae de se tantum erat remote perfectibilis, redditur perfectibilis proxime per considerationem illam intellectus. Hoc ergo modo anima quae de se solum remote perfectibilis est, fit proxime perfectibilis per considerationem intellectus, quae est meditatio seu oratio discursus. Propter quae primum praedicabile mysticum *genus* nominamus seu de natura mystice perfectibili ; quiaque hanc perfectibilitatem praestat oratio discursus seu communiter dicta, propterea de hac oratione in hoc primo praedicabili agendum nobis est ; in quo naturam ipsius, causas, necessitatem aliaque plura discutiemus, habentes semper prae oculis rigorem scholasticum, cui insudare praecipimur.

52. Animae perfectivum contemplationem esse diximus. Unde illam in secundo praedicabili, quod est *differentia* collocamus. Differt enim media contemplatione homo a natura rationali seu discursiva, sicut medio ratiocinio differt a sensitivis. In hoc ergo praedicabili secundo agemus de causa efficiente contemplationis, de principio elicitivo, de speciebus ad illam deservientibus, de vi ac efficacia ipsius ac de aliis, quae copiosam materiam offerunt discursui, ut in illis ultroneus spatietur et lucem voluntati conferat, qua in Dei amore feliciter accendatur.

53. Ex contemplatione animam perficiente et ipsa anima conflatur natura perfecta, quam mysticam speciem nominamus et ponimus in tertio mystico praedicabili ; in quo huius naturae dotes, fastigium, privilegia aliaque dicentur ; in quorum discussione mens illustratur et voluntas pabulo caelesti enutritur.

54. Perfectionem huius perfectae naturae plura accidentia comitantur, alia indispensabiliter, alia vero contingenter.

(67) In antiquis editionibus legitur : « *ad cuius exercitium animam idoneam esse, si prius per meditationem non proportionetur* ».

Prima sunt proprietates ipsius naturae perfectae, quae certe plenitudinis completionem, quam habet, non haberet sine illis. Pluribus hoc convenire relate ad naturam mystice perfectam notum est ; quia plura sunt, quae ipsius perfectionem complent quaeque ab illa tanquam proprietates dimanant. De omnibus illis agere in *proprio,* quarto praedicabili, confusissimum foret, cum multa sint quae naturam hanc perfectam indivulse comitantur. Praeterquam quod per omnes huius materiae tractatus divagantur. Unde necessarium foret ea vel propriis sedibus non attingere cum iniuria aliorum, vel cum legentium fastidio illa in quarto praedicabili sub *proprii* formalitate repetere. Utrumque peccaminosum est atque adeo praecavendum. Quamobrem *proprium* meditatus sum, quod quartum illud praedicabile compleat. Et hoc *proprium* est purgatio ipsa tum activa, tum passiva, quam anima experitur in sensibus et potentiis. Proprium est naturae perfectae examen hoc durissimum experiri, ut suam perfectionem nanciscatur. Non est naturae perfectae constitutivum rigor iste ; sed cum illa ita inseparabiliter associatur, ut perfectio sine hoc medio non detur. Ob hoc enim his purgationibus constituimus *proprium* nostrum mysticum quartum praedicabile. In eo multa circa hoc disputabimus quia haec proprie disputationi subsunt, etsi longe melius doctrinaliter tradita haberentur (68). De iis in Isagoge diximus, et levi manu, quia non est mysta, in quo haec plenissime tradita non reperias ; speciatimque, ut ibi observabimus, in Nostro Doctore Extatico, qui nihil in hac materia non profundissime agitatum relinquit.

55. Illa alia accidentia, quae naturam perfectam ita ornant, ut possit haec dari omnino perfecta sine illis, sunt, ut patet, accidentia communia, quae certe adesse et abesse possunt de factoque adsunt et absunt absque perfectionis defectu. Haec constituunt quintum praedicabile mysticum, quo numerus nostrorum praedicabilium completur. Haec accidentia sunt raptus, extases, revelationes, gratiae omnes gratis datae aliaque innumera, quae accidentia communia sunt ; siquidem sine illis datur perfectionis completio. Impossibile est de illis omnibus disputare ; unde ea solum attingam, quae magis nostram mysticam materiam concernunt maioremque difficultatem praeseferunt.

56. Haec est, Lector benevole, nostri laboris idea. Si tibi placuerit, mercedem superabundantem accepi. Sin minus nihil amisi. Et, ut verum fatear, in hoc nec tuam complacentiam exopto, nec vereor displicentiam. Hoc enim meditatus fui, ut, qui extracum mysticae theologiae summularum seu logicae parvae more dedi, ipsius theologiae mysticae disputatas logicae magnae comitatibus condirem. Accessit perspicua operis distributio. Omnia quippe mystica praeiacto modo ad praedicabilia reducentes, invenimus quamcumque materiam ad suum ita locum spectare, ut sine violentia controverti possit ; quod in materia adeo divulsa (et mysticam esse nemo negare audebit) flocci faciendum est quidquid in oppositum displicentia malesuada clamet.

§ V.

De methodo in secundo, tertio, quarto et quinto tomo observanda (69).

57. Methodo ipsa utemur in quatuor enumeratis voluminibus, qua in disputationibus prooemialibus usi fuimus(70); omnem in his quaestionibus rigorem scholasticum servantes. Scribitur hoc opus, ut saepius dictum est, propter uti-

(68) Sic in IV ed.; in I vero et Neapol. ed. legitur : « *In eo non multa circa hoc disputabimus ; quia haec non ita proprie disputationi subsunt, sed longe melius doctrinaliter tradita habentur.* »

(69) Sic in IV ed.; in I vero et Neapol. ed. legitur : « *De methodo in tomo secundo observata.* »

(70) Hic locus aliter legitur in ed. prima et Neapolitana : « *Methodo ipsa utimur in secundo tomo, qua in disputationibus prooemialibus usi fuimus* ».

litatem nostrorum scholasticorum, qui dubia mystica disputant iam in conferentiis, iam in conclusionibus, ubi mystica haec arcana scholastica manu urgentissime premuntur. Qua in re venustum portentum obiicitur contemplandum ; dum mysticae theologiae tranquilla toga armis scholastici pulveris lemniscatur. Nec enim plus sudoris concitat metaphysica lucta, quam mysticum inter nostrates luctamen; immo quo res abstructior est, eo est et certamen potentius. Et sane non quae apud Sarmatha Scytasve seu Troglodytas eveniunt, sed quae quotidie nostrates inter evulgo. Unde censurari (71) non debeo, si eo modo mystica scribo, quo versantur ; quin potius, si aliter ea scriberem, expositus censurae essem.

58. Quantum autem haec sic scribens laboraverim, tui est, Lector prudens, animadvertere. Cum extemplo ac nostras disputationes videas, tibi occurrent ipsa dubia a doctoribus mysticis tractata. Sed quomodo ? Hic est totius rei praesentis cardo. Quippe dubia illa apud mysticos inveniuntur, resoluta quidem, sed nunquam aut fere nunquam rationibus, quibus fulciantur, innixa aut ab obiectionibus vindicata. Quod licet sincerus ille ac doctrinalis stylus, quem servant, patiatur ; incompatibile tamen est cum scholastico gladio ancipiti usque ad divisonem cuiuscumque, etiam indivisibilis veritatis pertingente.

59. Videris quae mystae tradunt de oratione proprie et improprie accepta ac de eius definitionibus, et confer cum illis quae nos dicimus. Vide quae dicunt de potentia ac de habitu ipsam orationem eliciente. Vide quae tradunt de aliis fere omnibus quae disputamus. Et me dignum venia, ni fallor, reputabis ob defectus, quos passim, ingenue fateor, offendes. In unico doctorum verbo frequenter integram quaestionem aedifico, ab aliis iam mysticis, iam scholasticis, iam dogmaticis mendicus accipiens post saepe iteratas preces quod et ad construendum aedificium necessarium. Multoties post elaboratam quaestionem diversas disputationes adivi, immo et praedicabilia, ut illam in sede opportuna collocarem ; adeo enim divulsa est materia haec, ut neque locandae quaestiones, nec locus earum nisi post seriam meditationem inveniantur.

PROLEGOMENON VII

Quibus auxiliis opus hoc factum est.

60. Ultimo loco circumstantiam *quibus auxiliis* reservavimus ; quia illa est ratio omnium eorum, quae hactenus dicta sunt. Vidimus enim in praecedentibus operis praesentis arduitatem iam a tarditate seu insufficientia scribentis, iam ab arcana materiae eminentia, iam a loco, a tempore, iam a fine, iam a modo, quibus cursus ista elaboratus est. Ex his omnibus obiectio valde urgens conficitur.

61. Ut quid ergo, dices, homo plane insufficiens opus aggreditur tam magnum tamque difficile, substantia ipsius circumstantiisque consideratis ?

Huic obiectioni, quae sane urgentissima est, unico verbo satisfacio, dicens : Me hoc tam grave opus aggressum auxiliis sanctissimae obedientiae innixum. Dum nil minus in mente erat, mandatum accepi, ut haec scriberem. Prima lux, quae de hoc mystico opere affulsit, fuit praeceptum. Aliud quidpiam cogitare non debui, nisi, ut par est, prompte parere. His auxiliis procedens nullum malum timendum restat, quia *qui custodit praeceptum, non experietur quidquam mali,* ut dicitur apud *Ecclesiasten,* cap. VIII (72). Ex ipso obedientiae auxilio sufficientiam exspectare debui, dicente D.

(71) « *censurare* », in 1 et Neapol. ed.

(72) In antiquis editionibus erronee legitur : « *apud Ecclesiastic. cap. 8.* », cum sit apud *Ecclesiasten,* cap. VIII, v. 5.

Bernardo, *Serm. de Epiphan.: Si vis esse sapiens, esto obediens, sic enim scriptum est : concupiscis sapientiam ? Serva mandata, et Dominus dabit illam tibi* (73).

Obedientia, ut vera sit tres conditiones habere debet iuxta Nostros Salmanticenses in *Arbore virtutum,* num. 80 (74). Primo enim debet esse caeca, secundo prompta, tertio fortis. Debet esse caeca, ut sine discursibus opus imperatum aggrediatur. Debet esse prompta, ut nullo praetextu ab operis exsecutione retardetur. Debet esse fortis, ne propter scopulos imminentes a perseverantia in obtemperando desistat. His tribus conditionibus ornatam meam obedientiam volui, de nullo alio curans, nisi de exsecutione praecepti, alia veluti ad praecipientem attinentia non explorans. Parce igitur erroribus commissis, quos corrigere paratus sum levissima insinuatione tua, Lector sapiens.

(73) Hic textus non est S. BERNARDI, sed GUIBERTI, ABBATIS DE NOVIGENTO, *Sermo in verba sapientiae,* num. 15 ; apud Migne, P. L., t. 184, col. 1041, aliter invenitur, nempe : *Vis eam* (scil. sapientiam) *habere ? serva mandata. Sic enim scriptum est : Concupisti sapientiam ? serva mandata, et Dominus dabit illam tibi* (Eccli. I, 33).

(74) scil. *Cursus theologicus :* Arbor praedicamentalis sive generalis divisio omnium virtutum usque ad infimas species, num. 80; ed. V. Palmé (Parisiis 1870-83), t. VI. p. 461.

MYSTICA ISAGOGE

LIBER PRIMUS

DE MODO SCIENDI MYSTICO

Methodum in prologo assertum secuturus sic incipio et de modo sciendi, quem dialectici definiunt, quod nostra refert, libabo.

SYNTAGMA PRIMUM

De modo sciendi in communi.

Apud dialecticos modus sciendi est *oratio ignoti manifestativa* (1); quae definitio propriissima est nostrae mysticae theologiae. Unde modus sciendi dici debet ; quod expendendo traditam definitionem constabit.

LECTIO PRIMA

1. Quia logica praestat modum sciendi, est omnium scientiarum ianua iuxta D. Thomae communiter receptum. Immo ipsa logica modus sciendi dicitur ex II *Metaph.,* cap. 3 (2) ; eoque non possunt aliae scientiae haberi, quin logica praehabeatur.

2. Sic ergo theologia mystica est ianua caelestis Academiae, ubi scientiae beatorum habentur. Nec sine illa patet caelestis aditus, quia, qui non intrat per ostium, hostium vexilla sequitur fur et latro.

3. Praestat insuper nobis modum, quo in cognitionem rei summe ignotae deveniamus ; scilicet in cognitionem (3) Dei, qui ob immensam sui perfectionem a nobis attingi non posset sine hac sacra et lucidissima face.

4. Igitur theologia mystica est oratio ; quod negabit nemo, cum certo certius sit hanc theologiae sacrae principem partem esse intimam locutionem animae cum Deo. Insuper tradit regulas, mediis quibus oratio habetur ; signa confert, quibus spiritualis profectus demetitur ; pluraque alia facit, ob quae orationis nomen sibi propriissime arrogat.

---

(1) COMPLUTENSES (Collegium Complutense philosophicum Discalceatorum Fratrum ordinis Beatae Mariae de Monte Carmeli), *Artium Cursus,* Summulae, Praeambula de modis sciendi ; ed. Francofurti, 1629, t. I, p. 3ª. — Cf. infra *Appendix.* — COMPLUTENSES ABREVIATI seu IOANNES AB ANNUNTIATIONE, *Collegii Complutensis Fr. Discalceatorum B. M. V. de Monte Carmeli Artium cursus ad breviorem formam collectus, et novo ordine, atque faciliori stylo dispositus.* Breves institutiones ad logicam, quas *Summulas* vocant, lib. I, cap. 1; ed. Lugduni, 1670, t. I, p. 5. — Cf. infra *Appendix.*

(2) ARISTOTELES : *Opera omnia graece et latine,* ed. Firmin-Didot, Paris 1848-1874 (5 tom.) ; *Metaph.,* lib. I (a), cap. 3. num. 4; tom. II, p. 488. — BEKKER, 995ª. 13. (i. e. *Aristoles graece ex recensione Immmanuelis Bekkeri edidit Accademia regia Borussica,* Berolini, 1831, 2 tomi in 4.

(3) « *cognitione* », in prima editione.

5. Huius sanctissimae orationis genium est manifestare nobis Deum, qui summe ignotus est ; sic enim eum Isaias vocat cap. XLV (4): *Vere tu es Deus absconditus.* Et in *Actibus Apost.* dicitur Deus *Ignotus ;* sic (5) enim cap. XVII (6) ait Paulus : *Inveni et aram, in qua scriptum erat : Ignoto Deo.* Ex quo patet quam apte theologia mystica dicitur oratio ignoti manifestativa.

6. Summa Dei celsitudo sic semper captum nostrum transcendit, ut sit *nubes latibulum eius,* sicut dicitur *Iob,* cap. XXII (7) ; quamobrem theologia quae est scientia de Deo agens, sacra dicitur ; quia sacrum, ut ait D. Ambrosius, idem est ac a nostra consideratione separatum, ob quod mens humana non potest definire quid sit Deus. De quo D. Thomas, I^a. p., q. 1., art. 7, ad 1.

7. Hoc ergo quod de theologia in communi verum est, in mystica specialiter urget ; hincque mystica nominatur ; mysticum enim idem est ac sacrum ; quia, ut docet D. Thomas in IV *Sent.,* dist. 8, q. 1, a. 1, quaestiunc. 1 (8), sanctum dicitur et subiectum sanctitatis, et quod ad sanctitatem ordinatur ; unde cum theologia mystica dicat intimum ordinem ad Deum, in quem viam purgativam, illuminativam et unitivam refert ; ideo speciali motivo sancta dicitur ; atque adeo nobis est motivo speciali arcana.

8. Verum ad nostra proximius accedentes, mysticum est idem quod occultum, teste D. Thoma, *super cap. 1. De divinis nominibus* (9). Unde, cum haec pars theologiae cui incumbimus, mystica dicatur, est supra reliquas theologiae partes arcana. Et quia citra dubium est, quod quidquid scientia habet, participat ab obiecto ; propterea, si prae omnibus theologiae partibus haec sacratior occultiorque ostenditur, est, quia Deus, ut est obiectum ipsius, et vividius sanctitate cingitur, et offusiores nebulas habitare cognoscitur ; unde, ut est theologiae mysticae obiectum, peculiariter dicitur ignotus. Quare mysticae scientiae Parens Dionysius Deum, ut ab hac scientia contemplatum, nedum ignotum dicit, verum et superignotum appellat in *De Mystica Theologia,* cap. 1, iis verbis : *Dirige nos in ipsum superignotum et praefulgens. Excelsumque mysticorum eloquiorum culmen* (10). Quibus ostendit illum, qui alias est nobis sive fide ambulantibus, sive proprio discursu utentibus ignotus, magis ignotum esse, si ut mysticae theologiae obiectum consideretur.

9. Et quidem solidissimo fundamento ductus locutus fuit Dionysius ; siquidem, ut Deus media theologia mystica habeatur, plura eaque valde ardua obsistunt. Aliae enim scientiae solummodo perficiunt intellectum ; eoque videmus, nec sine lacrimis, pene innumeros in palestra scholastica iure optimo candidatos, qui mysticum nec a primo limine salutarunt. Huius rei fletu dignae causa est, quod aliae scientiae solum requirunt intellectum, ast mystica etiam requirit voluntatem. Et Deus ipse, qui discursui fidei alumno permittitur speculandus, non nisi caritate fulgidis conceditur amplectendus ; et qui scholastice ignotus est, mystice est superignotus ; siquidem ex parte principii requirit et intellectum fide plenum, et voluntatem cariate decoram.

10. Iam vero si ad alia convertamur, scholasticus, quamquam praerequirat pulchram captivitatem fidei Deum ut attingat, procedit tamen mediis discursibus sibi familiaribus, quae occupatio dulcis sane est. At mysticus nedum intellectum captivat, verum et ipsum pur-

(4) v. 15.
(5) « *si* », in I editione.
(6) *Act. Apost.* c. XVII, v. 23.
(7) v. 14.
(8) ed. Vivès, t. X, p. 177^a.
(9) *Commentaria in De divinis nominibus,* prolog.; ed. Vivès, t. XXIX, opuscul. VII, p. 374b.

(10) Textus graecus datur apud Migne, P. G., t. 3. col. 997. Quanam versione Ioseph a sp. S. hic usus sit reperire non potui ; supra (Prolegom. I, num. 6) eundem locum retulit iuxta antiquam translationem quae datur in *operibus B. Alberti Magni,* t. XIV, p. 817.

gaturus evacuat, propriam voluntatem enecat seque ipsum ad nihilum redigit. In quo mirum est quot difficultates perpetitur ; tum ob ipsius rei arduitatem; tum ob ingentes salebras, quibus incepto operi terga dare daemon, caro, mundus alto conamine satagunt. Unde plus quam ignotus est Deus ut est theologiae mysticae obiectum ; verum ipsa illum nobis familiarem reddit.

LECTIO SECUNDA

11. Ex dictis possumus theologiae mysticae definitionem cudere. Plures a doctoribus circumferuntur. Alii enim videntes theologiam mysticam dividi in illos tres gradus sive status incipientium, proficientium et perfectorum (de quibus D. Thomas agit II^{a} II^{ae}, quaest. 24, art. 9), tot definitiones illi aptant, quot gradus habet. Unde aliter illam definiunt prout ad incipientes attinet, et aliter prout ad proficientes et perfectos.

12. Quod si illis obiicias : rectam methodum petere ut prius definiatur res et postmodum dividatur ; ergo priusquam mystica theologia in tres illos gradus partiatur, definiri debet definitione illis omnibus conveniente.

13. Hoc si eis obiicias, respondent : antecedens falsum esse in ambiguis ; haec enim prius dividuntur et postmodum definiuntur. Non enim potest *canis,* verbi gratia, definiri, quin prius in caelestem, marinum et terrestrem dividatur. Unde cum nomen theologiae mysticae ambiguum sit ad dictos tres gradus, nec aliquem ex illis determinet, propterea dividenda prius est et postmodum definienda tot definitionibus quot gradus habet.

14. Alii autem auctores tametsi fateantur, quod res quae pari ambiguitate laborant ac *canis* (in quo praeter nomen nil aliud commune datur), priusquam definitioni debent divisioni subesse ; tamen hoc in mystica theologia evenire negant, quia non quaevis statuum entitatumve diversitas sat est, ut res non possint sub unica definitione comprehendi. Quod mihi certe evidens est ob multa.

15. *Primo* quidem, quia cum non solum nomen, sed etiam ratio per illud significata est aliquibus communis, tunc omnia illa quibus communis est illa ratio, possunt debentque unica definitione comprehendi ; aliter enim nec genus quidem definiri posset, quin prius divideretur. At non solum nomen *theologia mystica,* sed etiam ratio per illud significata communis est omnibus gradibus seu partibus, in quas partitur mystica theologia, ut nemo negare audebit. Ergo.

16. *Secundo,* quia D. Thomas, cuius citata auctoritate (11) secatur mystica theologia in dictos tres status, dividit etiam inibi caritatem in eosdem tres status seu vias, de quo videri potest Angelicus Praeceptor (12). Sed licet caritas sic dividatur, potest definiri et reipsa definitur definitione omnes tres illas vias comprehendente ; nec inquirenti quid est caritas ? hactenus dictum est, de qua interrogat, an de caritate incipientium, an de proficientium, an denique de illa quae est propria perfectorum ? Ergo, licet theologia mystica modo dicto dividatur, prius tamen poterit definiri.

17. *Tertio* denique, quia magis differt theologia mystica ab scholastica quam gradus theologiae mysticae inter se. Sed theologia mystica et scholastica uni definitioni subsunt. Ergo pariter.

18. Maneat ergo mysticam theologiam debere unica definitione definiri. Sed quae erit illa, cum plures, ut diximus, circumferantur ? quamlibet ex multis, quas mystae adducunt, seligere possumus ; quia omnes illae apte explicant definiti naturam.

(11) II^{a} II^{ae}, q. 24, a. 9.

(12) l. c.

19. In primis enim Ioannes Gerson, *Alphab.* 65 (13) sic eam definit : *Est experimentalis cognitio habita de Deo per amoris unitivi complexum.* Et *Alphab.* 86 (14) ait : *Theologia mystica est unio experimentalis et gratuita mentis cum Deo.* Insuper Dionysius Cartusianus (15) illam definit per hoc : quod sit *secretissima cum Deo locutio.* Denique Magister Vallgornera (16) hanc ex D. Thoma efformat definitionem : Est *contemplatio perfectissima et altissima Dei, et fruitivus ac suavissimus amor ipsius intime possessi.*

20. Omnes istae definitiones egregrie ostendunt naturam mysticae theologiae, si debite eius statibus applicentur, ut patet in prima ; quippe tam incipientes, quam proficientes et perfecti habent experimentalem cognitionem de Deo ; aliter tamen et aliter, nam est cognitio perfectior secundum quod convenit statui perfectiori. Similiterque semper haec experimentalis cognitio habetur per amoris unitivi complexum ; quia ille ipse amor, per quem perfecti Deo uniuntur complexumque suaviter osculantur, est medio quo incipientes vitia extirpant et proficientes virtutum amoenitate frondent.

21. Haec licet ita esse fatear, non morabor, quin ex dictis lectione antecedenti sic theologiae mysticae naturam aperiam : *Est oratio superignoti manifestativa per fruitivum ac suavissimum amorem ipsius intime possessi.* Auctoritatem cudendi definitiones non ambio ; ast, ut ea quae exaro, possibili perspicuitate ornentur, anhelo. Dicitur ergo *oratio* tum ob dicta numero 4, tum quia, cum sit scientia, consistit in contemplatione sui obiecti. Quae contemplatio, ut huius facultatis propria, oratio quidem est omnibus illius statibus communis. Per hoc autem quod sit oratio, convenit cum aliis orationibus ; quia grammatica suas orationes habet et etiam dialectica suas. Ab iis tamen et ab omnibus aliis differt per hoc, quod sit *superignoti manifestativa.* Aliae enim facultates etsi manifestent ignotum, sola tamen mystica theologia manifestat superignotum, ut patet ex dictis numeris 8 et 9 ; quia solus Deus, ut obiectum eius, dicitur superignotus, ut ex ibi dictis constat.

22. Dices : mystica theologia est summe obscura, ut ex se et dictis patet. Ergo non potest superignotum manifestare.

23. Respondetur : bene posse magis ignotum per minus ignotum manifestari. Sapientia haec utique obscura est ; sed Deus est obscurior, cum in circuitu eius nubes et caligo sint ; unde, etsi obscura sit, potest nobis Deum manifestare et modum quo illum cognoscamus, edocere. Adde sapientiam istam esse non spiritualibus obscuram ; spiritualibus vero appetibiliter claram, quia istis lux in tenebris lucet.

24. Dicitur etiam, quod mystica theologia manifestat superignotum *per fruitivum ac suavissimum amorem ;* quia haec scientia vere est amoris, ut eam pluribus in locis nominat Seraphicus

(13) *Considerationes de mystico theologia,* Parte VI principali, consid. 28 ; *Opera omnia,* Antverpiae, 1706, t. III, col. 384.

(14) ib. Parte VIII principali, consid. 44 ; ed. 1706, t. III, col. 396-397 (quoad sensum). — *Tractatus VII super Magnificat ;* ed. cit., t. IV, col. 341. *Theologia mystica... existit in experimentali et gratuita unione, seu collectione et exultatione humilium mente cordis sui cum Deo.* — Duo textus qui hic afferuntur non inveniuntur in *Tractatu de Elevatione mentis in Deum cui titulus est Alphebetum divini Amoris,* quod datur in ed. cit t. III, col. 769-800. Hoc « *Alphabetum* » antiquitus Ioanni Gerson adscribebatur, deinde Nider, O. P. (+ 1438 vel 1440) ; videtur opus esse Thomae a Kottzing seu Koczen (XV s.). cf. MARCEL VILLER S. J: *Nider est-il l'auteur de l'Alphabetum Divini Amoris* in *Revue d'Ascétique et de Mystique,* t. IV, n° 16 (Octobre 1923) pp. 367-381.

(15) *De contemplatione libri tres,* lib. I, art. 19; lib. III, art. 14 ; *Opera omnia,* ed. Montrolii-Tornaci, 1896-1912, t. XLI, pp. 155 et 270. — Item, *Difficultatuum praecipuarum praecedentium librorum absolutiones breves ac necessariae,* art. 3 (ad calcem *Commentariorum in lib. De Theologia mystica) ;* t. XVI, p. 491ª, C. In his tribus locis textus datur ut sequitur : *Secretissima mentis cum Deo locutio.*

(16) *Mystica Theologia Divi Thomae,* q. I, disp. prooemial., art. 1, num. 6 ; ed. 3, Augustae Taurinorum, 1911, t. I p. 5.

Pater Noster D. Ioannes a Cruce, quorum solum adducimus pro nunc id, quod ait libro II *Noctis,* cap. 12 (17), hisce verbis : *Nunca da Dios sabiduria mystica sin amor.* Est dicere (18) : Nunquam absque amore mysticam sapientiam dat Deus. Qui amor est ipsius ignoti *intime possessi ;* quod per distributionem accommodam de incipientibus, de proficientibus ac perfectis intelligendum est; omnes enim, ex quo Deum amant, Deum possident : *Neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum quem diligit non haberet,* uti ait D. Gregorius, *Homilia* 30 *in Evangelia* (19). Aliunde autem hoc ipsum comprobare possumus, breviter tamen. Ex quo enim asceta Deum super omnia diligendum cognoscit, habet simplicem volitionem erga ipsum, ad quam sequitur *complacentia ;* estque actus voluntatis, quo haec habet quandam fruitionem finis, quem in apprehensione incipit possidere, ut infra magis explicabimus cum de actibus intellectus ac voluntatis egerimus. Si autem incipiens Deum possidet, quanto magis proficiens ? Quanto magis perfectus Deum possidebit ? Quae omnia rigorosissime implentur, cum anima faciali intuitu in patria superignotum ipsum, tunc sibi notissimum, contemplatur.

LECTIO TERTIA

25. Divinus hic modus Deum mystice sciendi triplex est iuxta triplicem modum, quo gaudet anima eundi in Deum. Dividitur ergo in illos tres modos seu vias, quibus Deus mystice cognoscitur : nempe in purgativam, illuminativam et unitivam. Prima est incipientium, secunda proficientium, tertia denique perfectorum. Celebris est ista divisio, nedum adaequatione divisi, verum et consensu doctorum, qui, secuti D. Thomam, IIª IIªᵉ, quaest. 183, art. 4, eam communiter tradunt.

26. Ratioque suffragatur : quia cum processus spiritualis animae in Deum sit quidam motus, considerari debet secundum principium, secundum medium et secundum terminum. Principium est via purgativa, in qua incipientes peccata deplorantes et a foetido tenebrarum ergastulo exeuntes, in admirabile claritatis lumen evecti in Deum dirigunt gressus suos. Medium est via illuminativa, in qua proficientes virtutum acquisitione fulgent. Terminus autem est via unitiva, in qua perfecti heroico virtutum candore amicti Deo suavissime uniuntur in eoque dulcissime conquiescunt. Nec est dabilis alius modus eundi in Deum in hoc spirituali progressu ; unde sequitur in dictas tres vias adaequate dividi.

27. Quae, quia scitu digna sunt tum ex se, tum quia sunt plurium aliorum fundamentum, non pigebit prolixius aperire. Etenim iste spiritualis motus habet terminum *a quo,* medium transeundum et terminum *ad quem* ad similitudinem motus progressivi, in quo haec omnia inveniuntur. Videatur D. Thomas, IIª IIªᵉ, quaest. 24, art. 9. Terminus *a quo* sunt peccata omnia, sunt appetitus et omnium eorum radix proprius amor. Ab his omnibus exire debet, qui Deo adhaerere studet. Peccata deponet media generali confessione et pura contritione, quam indivulse comitatur firmum propositum non iterandi peccata fugiendique occasiones peccandi. Proprium vero amorem indeque exeuntem tartaream appetituum turbam sedula eorum mortificatio fatigat. Et totum tempus quod in his exterminandis insumitur, manet in via purgativa, ut infra magis constabit. Huius ergo viae praecipua cura est peccata eorumque causas et occasiones vitare, ne caritatem recenter natam extinguant.

(17) Ed. crít., *Noche oscura del Espíritu,* canción I, verso 2, § 2 (cap. 12) ; t. II, p. 88.

(18) « *Est dicere* » desunt in I et Neapol. ed.

(19) Num. 1 ; Migne, P. L., t. 76, col. 1220.

28. Postquam autem haec fecit, incipit anima virtutum nitore fulgere ; et toto tempore quo in his obtinendis moratur, est in via illuminativa, cuius propria sollicitudo eo tendit, ut caritatem aliarum virtutum societate roboret. Quae quidem postquam est virtutum agmine firma, facit animam unionem cum Deo ambire et ad ipsius amplexum cordicitus anhelare. Tuncque est in via unitiva. Per quae non obscure patet sufficiencia traditae divisionis et natura cuiuscumque ex dividentibus.

29. Verum dicta omnia opposita veritati videntur ; quia, ut norunt quotquot dialecticantur, membra dividentia mutuo sese opponunt, nec potest illis commune esse idipsum in quo discriminantur, ut vel ex ipsis terminis notum est. Unde non potest esse proprium viae purgativae deplorare fugereque peccata ; siquidem haec tota vita deplorari debent, immo et vitari. Primum patet ex illo *Psalmi* 50 (20) : *Et peccatum meum contra me est semper.* Et ex illo : *Lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrimis meis stratum meum rigabo* (21). Ubi, ut vides, asserit David quod etiam in culmine perfectionis constitutus, peccatum antea commissum contra se habebat, cuius gravitatem considerabat deplorabatque per singulas noctes. Secundum constat, quia etiam proficientes et perfecti sunt in statu peccandi debentque dicere : *Et ne nos inducas in tentationem ; sed libera nos a malo* (22). Eo vel maxime, quia etiam perfectissimi venialiter peccant, uti docet Thomisticae Scholae fulgor ingens Sanctissima Theresia, libro *De Via perfectionis,* cap. 15 (23) ; quia sine specialissimo privilegio non possunt omnia venialia vitari ; quod privilegium soli Beatissimae Virgini MARIAE hactenus concessum est, ut adstruit eadem Sanctissima Theresia, *Epistola* 31, num. 9 (24), videatur *Concil. Trident.,* sess. VI (25), hoc decernens. Ergo non est proprium viae purgativae flere desererequeque peccata.

30. Insuper, in via illuminativa et unitiva patiuntur fortissimae purgationes, ut suo loco videbimus. Ergo quaelibet potest dici via purgativa.

31. Etiam, in via purgativa et unitiva acquiruntur virtutes, quia usquedum meritum finitur, magis ac magis anima in virtutibus radicatur. Immo ubi proprie obtinentur virtutes est in via purgativa ; ibi enim habetur gratia, quam omnium virtutum chorus indivulse comitatur. Ergo cum advenit via illuminativa, iam supponuntur virtutes.

32. Tandem, in via purgativa et illuminativa appetit anima intimam unionem cum Deo. Ergo hoc non est proprium viae unitivae.

33. His melius percipitur statuta veritas ostenditurque assertae divisionis bonitas ; licet enim veritatem contineant quae obiiciuntur, non tamen facti discursus soliditatem enervant. Itaque fatemur in viis purgativa et illuminativa dari illum appetitum ad unionem cum Deo, in purgativa virtutes haberi et in illuminativa unitivaque animam purgari. Ast haec nostram divisionem non oppugnant. Ea enim accipienda est ex unanimi Patrum consensu, quorum litteris et experientiae assurgere, praecipue hac in parte, debemus. Ex eorum vero doctrina via purgativa ea est, cuius praecipuum studium collocatur in eo, quod caritas ab ingluvie inimicorum ferociter saevientium vindicetur et anima ab

(20) v. 5.
(21) *Ps.* 6, v. 7.
(22) *Matth.,* c. VI, v. 13.
(23) Ed. crit., t. III, p. 70.
(24) *Epist. ad suum fratrem Don Lorenzo de Cepeda,* 2 Ian. 1577 ; *Lettres de s. Thérèse,* trad. du P. GRÉGOIRE DE S. JOSEPH, C. D., 2e ed., Rome, 1905, t. II, lettre CLVIII, p. 4.

(25) Sess. VI, can. 23. *Sacrosancta Concilia ad regiam editionem exacta... studio* PHILLIPPI LABBEI ET GABR. COSSARTII, S. I. Venetiis, 1728-1733, t. XX, col. 42. — DENZIGER-BANNWART, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum.* 10 ed., Friburgi Brisgoviae, 1908, p. 279, num. 833.

inordinatorum habituum appetituumque vitae anteactae faecibus expurgetur. Unde quamquam hoc etiam sollicitent proficientes et perfecti, haec tamen non est praecipua eorum cura, sed proprie ad incipientes spectat, qui prae aliis pene fumantibus ignibus fatigantur. Et ut hac similitudine rem explicatius tradam, dico quod omnes tam incipientes, quam proficientes et perfecti cum igne peccatorum bella gerunt. Verum incipientes pugnant ut ignem, in vitiorum strue frementem adhuc, extinguant ; proficientes autem et perfecti decertant ne ignis ille iam vel pene extinctus, vel emortuus revirescat. Unde illae Davidis lacrimae pro statuum diversitate diversos effectus habebant ; dum erat incipiens plorabat ut peccatum, quod contra se habebat, penitus iugularet ; dum autem perfectus erat, lacrimabatur ne peccatum, in cuius consideratione permanebat, rediret.

34. Quod vero multoties venialiter peccent proficientes et perfecti, licet veritatem habeat, non tamen ad rem facit ; quia illa venialia peccata compatiuntur cum purgatione activa partis cognoscitivae et affectivae, quae, ut iam videbimus, perficitur in via purgativa. Unde non pertinent ad statum incipientium ; ex quo enim anima active purgata est, iam non manet in via purgativa, sed transit ad alias ; atque adeo ea quae debent praesupponi ad dictam purgationem activam, pertinent ad incipientes; ea vero quae illam supponunt, spectant vel ad proficientes, vel ad perfectos. Quo solo ad omnia obiecta respondetur.

35. Sane fortissimae sunt purgationes, quae in via illuminativa et unitiva perpetiuntur ; omnes tamen supponunt dictam activam purgationem, quae viam purgativam constituit, cuius praecipua cura est defendere caritatem ; in aliis vero non praecipue attenditur caritatis defensio, sed maior ipsius radicatio. Similiter in via purgativa virtutes acquiruntur, non tamen exercentur, hoc quippe viae illuminativae reservatur; et hoc, quod est virtutes exercere proficere dicitur, a quo proficientes dicuntur. Dum autem medio hoc exercitio virtutes radicatae sunt, studet anima intensius Deo vacare eique arctissime uniri, et hoc est perfectorum munus.

LECTIO QUARTA

36. Antequam ab his discedas non te taedeat dictorum percipere fundamentum ab auctoritate petitum. Magnus enim Parens ille Dionysius haec omnia adumbrata in Moyse contuitus est. Praecepit Dominus Moysi, *Exod.*, XIX, ut ipse expiaretur et ut a non expiatis segregaretur. Post quae lumina perspexit ineffabiliter radiantia tubasque audivit inecluctabiliter allicientes (26) ; ac tandem divinam caliginem ingressus cum Deo, illam inhabitanti, habuit colloquia suavissima audivitque arcana verba, quae non licent homini loqui. Hoc ergo factum mystico viam spiritus ambulanti applicat laudatus Dionysius, cap. 1 *Mysticae Theologiae* (27) his verbis : *Non temere divinus Moyses expiari primum ipse iubetur, ac deinde a non expiatis segregari, et post omnem expiationem audit multisonas tubas, cernitque multa lumina puros, ac multiplices radios iacentia : postmodum a multitudine separatur, et cum Electis Sacerdotibus ad summum fastigium divinorum ascensuum pertingit... Et in omnimode intactili haeret, et invisibili* (28), *totus existens ipsius, qui est ultra omnia,... secundum meliorem partem copulatus.*

37. In quibus expressae sunt tres illae viae, de quibus locuti sumus. Via purgativa in Moysis expiatione ; illuminativa in luminum visione ; unitivaque in

(26) « *Allicientia* » in antiquis editionibus.

(27) § 3. Textus datur iuxta translationem Corderii ; Migne, P. G., t. 3, col. 999 et 1002 ; text. graec. ib. col. 1000-1001.

(28) Migne, l. c.: *intactili et invisibili haeret.*

cum Deo caliginem habitanti copulatione. Considera ergo Moysen, qui extractus ab aquis dicitur, id est, hominem extractum a culparum et vitae laxioris aquis media peccatorum confessione ; hic, si vult viam spiritus ingredi orationique se dedere, debet ante omnia a peccatorum faecibus expurgari. In quo licet proficiat, non tamen proficiens dicitur, sed incipiens ; peracta vero hac purgatione virtutum lumina cernit ipsarumque concentu suavissime deliciatur, tuncque est in via illuminativa, in qua incipiunt videri et audiri eae ipsae virtutes, quas licet prius haberet, non audiebat propter vitiorum strepitum, quorum expiationi insudabat. Ac denique his praeventus divinam caliginem ingreditur, in qua cum Deo iam perfectus copulatur, ibique dulcedinem experitur creatam capacitatem transcendentem ; propterea dicitur Deus tunc caliginem habitare ; quia, ut observat Extaticus Parens Noster D. Ioannes a Cruce in *Ascensu montis,* libro II, cap. 9 (29), quoties pientissimus Deus animae se multum communicat, caliginem habitare dicitur, ut pluribus Sacrae Scripturae locis inibi ostendit Theodidactus Parens.

38. Unde ex dictis constat : Deum has suas vias Moysi manifestasse secundum *Psalmi* dictum (30) : *Notas fecit vias suas Moysi ;* et in illo cuicumque vitam spiritualem anhelanti. Etenim cuivis clamanti cum Davide ad Dominum et dicenti : *Vias tuas Domine demonstra mihi : et semitas tuas edoce me* (31). Respondet per ipsum Davidem Dominus : *Diverte a malo, et fac bonum : inquire pacem, et persequere eam* (32). In quibus verbis continentur dictae tres viae, ut auctor est D. Thomas, IIª IIªe, quaest. 24, art. 9, qui omnino videndus est. In recessu a malo intelligitur via purgativa, cuius principale studium est recedere a peccato. In hoc, quod est facere bonum, exprimitur via illuminativa, in qua homo principaliter intendit in bono proficere. In pacis inquisitione ponitur via unitiva, cuius praecipua sollicitudo est, ut Deo inhaereat et Deo fruatur ; et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi et esse cum Christo, de quo loquitur divinum oraculum, dum ait : *Inquire pacem* (33), ut observat D. Thomas supra ipsum psalmum (34) ex D. Paulo *Ad Ephesios,* II (35), dicente, quod Christus *est pax nostra.*

39. Ex omnibus hactenus dictis habetur traditam divisionem rectam esse. In ea tamen non dividuntur tres viae entitative diversae, sed eadem secundum diversos status. Illo ipso modo quo caritas, quae hos status constituit, diversa est in incipientibus a seipsa in proficientibus et perfectis secundum maiorem perfectionem, qua gaudet in statu perfectiori (36).

40. Dices : Incipiens potest habere perfectiorem caritatem quam proficiens, ut constat tum ex se, tum ex D. Thoma. Ergo maior perfectio caritatis non constituit viam illuminativam perfectiorem.

41. Respondetur : antecedens esse verum respectu diversorum. Potest enim unus qui in via purgativa est, perfectiorem caritatem habere quam alius qui est in via illuminativa ; quia gratia maior est in uno quam in alio, ut ait Seraphica Theresia, libro *Vitae,* cap. 37 (37) et alibi ; cum qua et cum Caietano, IIª IIªe, quaest. 130, art. 1 (38), modo dicto intelligo Angelicum Thomam, dum ait caritatem posse esse maiorem in incipiente quam in proficiente ; loquitur enim relate ad diversos. Ceterum unus et idem non potest non esse perfectior dum proficit, seipso dum incipit.

(29) Ed. crit., cap. 8 ; t. I, pp. 132-134.
(30) *Ps.* 102, v. 7.
(31) *Ps.* 24, v. 4.
(32) *Ps.* 33, v. 15.
(33) l. c.
(34) *In psalm.* 33, v. 15 ; ed. Vivès, t. XVIII, p. 421b.
(35) v. 14.
(36) cf. IIa IIae, q. 24, a. 9 et q. 183, a. 4, ad 1.
(37) (Quoad sensum) *Vida,* cap. 39 ; ed. crit., t. I, pp. 349 sqq.
(38) § II : ed. Leonina *Operum omnium D. Thomae ;* Romae. 1882 sqq., t. X, p. 72b.

SYNTAGMA SECUNDUM

De via purgativa, quae est modus particularis sciendi Deum.

42. Viso iam modum eundi in Deum esse triplicem, restat, ut de illis in singulari loquamur. Et primo de via purgativa, quam non incongrue cum definitione conferimus ; quia sicut definitio *est oratio explicans naturam rei* (1), sic via purgativa est oratio hominis naturam ostendens. Nullibi vividius exprimitur miseria in quam originea lues naturam humanam impulit, quam in hac via; in qua peccatorum tenebrae eius fragilitatem aperiunt, appetituum turba male bono affectam signat et peccandi misera consuetudo vitam anteactam refricare anhelat. Hanc ergo purgativam viam sequentibus lectionibus aperimus.

LECTIO PRIMA

43. Via purgativa est initium huius spiritualis motus eamque possumus definire per hoc quod sit *oratio manifestativa Dei media activa purgatione potentiae cognoscitivae et affectivae.* Per hoc quod sit *oratio manifestativa Dei,* convenit cum via illuminativa et unitiva ; a quibus discriminatur per hoc quod hoc faciat media purgatione activa dictarum potentiarum.

44. Ad has duas classes potentiarum cognoscitivarum affectivarumque reducimus hominis potentias quae vel formaliter, vel connexive ad contemplationem requiruntur, de quibus ad longum, quantum per materiam praesentem nobis licet, ageremus, si Complutentes nostri, quidquid dici in praesenti potest, non discusserint in libro *De anima,* ubi huius vires, sensus, potentias et facultates operiosissime nudant omniumque aspectui proponunt. Hoc ergo motivo ducti a dictorum examine, cui hic mystae insudant, deobligamur. Eo vel maxime, quia hoc opus nostris scholasticis dirigitur, in quibus notitia horum e Complutensibus recenter hausta supponitur. Unde non signate eam dare intendimus, sed sufficiet, si exercitam, modum quo dictae facultates active expiantur tradentes, dederimus.

45. Purgatio alia est activa et passiva alia, et utraque subdividitur in purgationem sensus et intellectus, de quibus suo loco agemus ; modo tamen quae omitti non possunt dicemus. Has purgationes aliqui doctores ad viam purgativam attinere dicunt, quatenus de illis omnibus in ea loquuntur. Forte vocum similitudine ducti, quidquid purgat animam ad viam purgativam spectare rentur. Quod certe falsum est ; quia ut minus purgatio passiva spiritus implicat quod sit viae purgativae propria, cum ad proficientes attineat. Immo perfecti etiam suas purgationes perpetiuntur. Unde, si verum hi doctores assererent, vel via purgativa reliquas duas transcenderet, vel quotquot purgantur incipientes forent.

46. Nisi forte iungere omnes illas purgationes sit claritati studere, quatenus simul traditae reciproco sese foedere fovent ut capiantur. Ut ut sit, ab illis non sumus. Sicut nec ab aliis, qui purgationem passivam sensus ad illam viam pertinere autumant, ad quam pertinet activa eiusdem sensus purgatio. Huius opinionis plures theologi sunt iique magnae auctoritatis, ut sunt gravissumus Magister Vallgornera, quaest. II, disputatione 8 (2) ; *Disceptatio my-*

(1) COMPLUTENSES, *Artium Cursus,* summulae, Praeambula de modis sciendi ; ed. Francofurti, 1629, t. I, p. 4a. D. — COMPLUTENSES ABBREVIATI seu IOANNES AB ANNUNTIATIONE, *Artium Cursus,* summulae, cap. 2 ; ed. Lugduni, 1670, t. I, p. 6a.

(2) *Mystica theologia,* q. II, disp. 18 ; 3a ed., 1911, pp. 306 sqq.

stica, tractatu II, quaest. I (3), aliique.

47. Verum contrarium sentimus cum Venerabili Dionysio Cartusiano cap. 3, *De fonte lucis* (4), *Medulla mystica,* tractatu IV, cap. 8 (5) ob motiva suo loco aperienda. Eoque dicimus pertinere ad viam purgativam purgationem activam sensus et spiritus ; proptereaque illam per ordinem ad hanc activam purgationem definivimus, non vero per ordinem ad purgationem passivam. Quia quidquid in hac via evenit, ultimo per dictam activam purgationem perficitur ; immo per ipsam et in ipsa tota haec via completur finiturque ; passiva vero purgatio ad viam illuminativam spectat.

48. Quod autem in hac parte nobis plurimum negotii facessit, est auctoritas sanctissimi Protoparentis nostri D. Ioannis a Cruce, qui eos quos haec passiva purgatio fatigat, rotunde incipientes appellat libro I *Noctis,* cap. 8 (6). Unde cum incipientes pertineant ad viam purgativam, ad ipsam quoque purgatio passiva sensus spectabit.

49. Sed enim ex eodem Seraphico Doctore inibi (7) constat, dictam passivam sensus purgationem propriam esse viae illuminativae ; de quo videatur *Medulla mystica* praecitata (8). Pungit tamen, cur expertissimus Doctor incipientes nominat eos qui sic purgantur ? Respondetur primo : quod, ut constat ex nostra *Catena mystica* (9) et ex *Medulla* item *mystica,* tractatu V, cap. 6, numero 52 (10) et ex aliis doctoribus non solum dantur incipientes, proficientes et perfecti respectu trium viarum spiritus quarum elucidationi incumbimus ; sed etiam relate ad unamquamque ex dictis tribus viis triplex ille status distinguendus est; ita ut in via purgativa qui illam incipiunt, dicuntur incipientes nedum respectu aliorum qui sunt in aliis viis, verum etiam respectu eorum qui in medio (ut sic loquar) ipsius viae purgativae sunt, qui proficientes dicuntur non absolute et simpliciter, sed respectu eorum qui eandem purgativam viam initiantur. Similiterque ii dicuntur intra limites huius purgativae viae perfecti, qui eius metam attingentes in limine viae illuminativae sunt. Quod pariformiter de via illuminativa et unitiva tenere debes.

50. Ex qua verissima doctrina dicimus : sanctissimum Doctorem illos incipientes nominasse, non quia ad vitam purgativam pertinere intellexisset, sed quia in via illuminativa ad quam illi pertinent, dantur duae passivae purgationes, una sensus et alia spiritus ; quiaque haec spiritus purgatio evenit in ultimo viae illuminativae, cum iam iam anima in proximo est ut in statu perfetorum collacetur ; ideo relate ad hos qui hanc spiritus passivam purgationem patiuntur, illi alii incipientes nominantur, quia horum purgatio evenit in initio viae illuminativae.

51. Respondetur secundo cum citata *Medulla* (11), quod per se haec purgatio pertinet ad viam illuminativam ; per accidens vero et ob fines Deo notos etiam manentibus in via purgativa confertur, sicut etiam ipsis aliquando datur contemplatio, quae certe ad viam illuminativam per se spectat. Nostra resolutio loquitur non de eo quod per acci-

(3) ANTONIUS AB ANNUNTIATIONE, C. D., *Disceptatio mystica de oratione et contemplatione,* tract. II, quaest. 1 ; Compluti, 1683, p. 99. — Cf. infra *Appendix.*

(4) *De fonte Lucis ac semitis vitae,* art. III ; ed. Monstrolii-Tornaci, t. XLI, pp. 98-99.

(5) FRANCISCUS A S. THOMA, C. D., *Medula mystica, sacada de las divinas letras, de los santos Padres, y de los mas classicos doctores mysticos, y escolasticos : ...* ; Madrid, 1702, p. 169. — Cf. infra *Appendix.*

(6) Ed. crit., *Noche oscura del sentido,* canc. I, v. 1, § 9. (cap. 8) ; t. II, p. 26. — cf. etiam § 8 (cap. 7), pp. 23-25.

(7) l. c. t. II, p. 26.

(8) FRANCISCUS A. S. THOMA, C. D., *Medula mystica,* l. c., pp. 170-171.

(9) IOSEPH A SP. S. (Lusitanus) C. D., *Cadena mystica Carmelitana de los auctores Carmelitas Descalzos,* Colación I, Propuesta 7, Respuesta 5 ; Madrid, 1678, p. 49a ; et Col. I, Prop. 29, Conclus., p. 244b. — Cf. infra *Appendix.*

(10) FRANCISCUS A S. THOMA, *Medula mystica ;* ed. 1702, p. 274.

(11) Tract. IV, cap. 8 ; ed. 1702, pp. 170-171.

dens evenit, sed de eo quod huic purgationi per se convenit. Unde Seraphico nostro Ioanni non opponitur ; siquidem loquitur de tali purgatione non solum secundum quod regulariter datur, sed etiam prout evenit extra id quod regulariter et ex se petit. Eoque docet in utraque illa via dari.

LECTIO SECUNDA

52. Ut autem ad ea quae incipientium sunt propria, recto tramite descendamus, ab iis quae facere debent illico ac viam purgativam adoriuntur, incipiemus. De quo D. Bonaventura, V. p. *Breviloq.* (12), sic fatur : *Prima igitur incipientium cura esse debet deploratio propriae miseriae, et imploratio divinae misericordiae.* Unde actus spiritu Dei dum viam spiritus ingreditur, debet primo recurrere ad ipsum Deum misericorditer agentem et ipsius auxilium implorare quo possit arduum hoc iter adoriri.

53. Nihil sine Deo, etsi leve, facere potest homo. Quomodo sine ipso tantae molis machinam construet superaturam Empyreum ? Initio cuiuscumque ardui operis debet homo opem a Deo orare, ut possit optatum finem habere ; ob hoc Thomistae cum suo Angelico Duce (13) recognoscunt in puero ad rationis usum perveniente obligationem recurrendi ad Deum, ut sic caeleste ipsius auxilium habeat quo fultus vitam rationalem, qua tunc gaudere incipit, ingrediatur. Ex quo Thomistae aliquot deducunt in illo instanti urgere orationis praeceptum, quia tantae molis rentur caelestem condere gentem. Hincque colligitur, quam necessarium sit implorare Dei auxilium initio huius vitae spiritualis, quae longe superat rationalem vitam.

54. Ut vero divina misericordia apte valeat implorari, deploratio propriae miseriae debet anteire. Faciat ergo qui hanc spiritualem viam aggreditur, generalem peccatorum confessionem, quam prudens examen antecedat ; sicque conscientiam mundabit ab iis quae ipsum a Dei amicitia seiungunt. Hancque generalem confessionem faciat, quamquam alias fecerit ; oportet enim magistrum per anterioris vitae rationem animae genium cognoscere.

55. Parvipendat eorum dictum et quidem valde imperiosum, qui postquam generalem confessionem alicuius audierunt, totis viribus susque deque praecipiunt ne talem confessionem iterent in tota vitae periodo. Plures hoc absoluto praecepto ligatos vidimus et dolemus. In omnibus prudentia opus est, sed in his maxime. Unde, si expediens visum fuerit, iteranda confessio est ; haec enim non solum fit ut conscientia sarcinam culparum tumulet, sed etiam ut confessionem faciens palam genii propensionem exhibeat.

56. Nota tamen hanc regulam, quam proponimus, etiam generalem esse eoque exceptionem pati ; quia, si discipulus est valde scrupulosus et ex generali confessione non speratur utilitas, omitti debet. Verum in hoc casu tenetur inclinationes quae in se magis vigent, aperire et vitam praecedentem in communi manifestare. Ratioque ea est : quia magister cognoscere debet discipuli genium et ingenium, ut illum possit dirigere ; atque adeo debet discipulus proprietatum suarum ingenuam ostensionem facere, ut magister valeat in eius cognitionem venire. Aliter teretur tempus, quin possit discipulum in finem intentum dirigere ; quia sine alta ipsius comprehensione regulas quibus eget, dare nequit.

57. Non eodem modo diriguntur omnes. Vel naturalis complexio sciri debet, ut idonee munus suum obeat. Aliter enim cholerici, phlegmatici aliter et

(12) *Breviloquium* datur in ed. Peltier, t. VII, pp. 240a-343b et in ed. Quaracchi, t. V, pp. 199a-291b. Hunc textum in his editionibus non inveni.

(13) Ia IIae, q. 89, a. 6.

aliter alii ferendi in virtutem sunt. Unde comprehendere debet totum quod in discipulo est ; quod sine generali peccatorum confessione vel genii, habituum inclinationumque ostensione aut nunquam, aut raro et tunc lentissime fiet.

LECTIO TERTIA

58. Ut dictam generalem confessionem passionumque exhibitionem audiat animamque in perfectionem dirigat, non quicumque eligendus est ; nec enim cum potestate absolvendi infunditur habilitas gubernandi. Unum e multis eligat, cui suae animae profectum committat cuiusque ductu magnum hoc iter ascendat. Sciat omnino necessarium esse hoc magisterium. Quo supposito, mature eligat, ne immatura electio recessum maturet. Deum oret et ipse idoneam electionem disponet, ut sic non amittat per inconsideratam determinationem eligendi, qua gaudet, libertatem. Tota haec doctrina est sanctissimae Matris Nostrae D. Theresiae, cap. 13 *Vitae suae* (14), ubi haec docens, dicit : *Deum laudet quod eligere potest cui obtemperet, et non amittat hanc virtuosam libertatem ; sed potius directore careat quousque idoneum directorem inveniat, Dominus enim providebit, si humilitate et desiderio non errandi procedat.* Hactenus Theresia sanctissima.

59. Nemo absque hoc spirituali magistro potest viam spiritus ambulare : *Cum impossibile sit* (*iuxta probatissimam et verissimam Patrum sententiam*) *quemquam eorum, qui sub obedientia vivunt, absque spiritualis magistri ductu, ad perfectionis metam pervenire,* ait *Constitutio nostra,* I parte, cap. 18, numero 5 (15) ; quibus verbis gravissimae auctoritatis auctor asserit et esse necessarium hoc magisterium, et hoc esse Patrum verissimum sensum.

60. Praecipuus huius divinae artis magister Deus est, iuxta illud *Matthaei,* XXIII (16) : *Magister vester unus est Christus.* Ubi ly *unus* non aliorum societatem excludit, sed Domini principalitatem ostendit, ubi inibi asserit Sanctus Thomas (17) per haec verba : *Ille proprie dicitur magister qui doctrinam habet a se, non ille qui traditam ab alio, aliis dispergit : et sic solum unus est magister, scilicet Deus, qui proprie doctrinam habet ; sed ministerio multi sunt magistri.* Hoc ipsum docet idem Angelicus, *super Isaiam,* cap. L (18) ad illa verba : *Mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.* Idem docet Extaticus noster Parens D. Ioannes a Cruce in *Flam.,* cant. III, § 9 (19).

61. Haec licet ita sint passimque ab omnibus circumferantur, tenere ut certum debemus necessarium esse hominis magisterium, ut homo ad cor altum perfectionis accedat. Non enim potest secundum providentiam praesentem perfectio haberi, quin homo homini subiiciatur ; quod certe nobis ostensum est in D. Pauli mirabili vocatione. Postquam enim Deus illum vocavit (20), ad Ananiam misit, ut instrueretur ; quia licet Christus posset illum instuere (quis hoc dubitabit ?) malluit tamen ut ab homine instrueretur, ut sic huius humani magisterii necessitatem commendaret, ut observavit D. Bernardus ; et etiam ne aliis ansa praesumptionis daretur, dum sibiipsis licitum reputarent, quod factum cum D. Paulo viderent ; atque adeo ef-

(14) Ed. crit., t. I, p. 99 : *Pues si es seglar, alabe a Dios que puede escoger a quien ha de estar sujeto, y no pierda esta tan virtuosc libertad ; antes esté sin ninguno hasta hallarle, que el Señor se le dará, como vaya fundado todo en humildad y con deseo de acertar.*

(15) *Constitutiones... Congregationis Hispaniae,* ed. Matriti, 1701, p. 122 : *Cum impossibile sit* (*secundum probatissimam, ...*)

(16) v. 10.

(17) Ed. Vivès, t. XIX, p. 557b-558a.

(18) v. 4. S. THOMAS : *In Isaiam,* cap. L ; ed. Vivès, t. XIX, p. 25b.

(19) Ed. crit., *Llama de amor viva,* canc. III, v. 3. §. 9 ; t. II, pp. 452 sqq. — *Primera Llama de amor viva,* canc. III, v. 3, §. 9; t. II, pp. 659-660.

(20) Sic in ed. Neapol. ; « *vocabit* » in I et IV ed.

futientes se habere magisterium divinum aspernarentur humanum, ut Cassianus notavit *Collatione* XIV, cap. 16 (21).

62. Hanc humanae directionis necessitatem assertam vidit D. Thomas in cap. III *Canticorum* (22), ibi : *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem.* Mirabiliter loquitur de hac re Theodidactus D. Ioannes a Cruce pluribus in locis, qui videri possunt in libro *Sententiarum* eiusdem Sanctissimi Doctoris a folio 98 (23). Verum nullus maiori magisterio hanc materiam edisserit quam sanctissima Theresia, cuius caelestis doctrinae pabulo sic nutrimur (24) ut ipsius prudentissimis monitis quidquid hac in parte expedit scire, sciamus. Videatur loco citato numero 58 (25) et libro II *Fundationum,* cap. 8 (26), quibus nil amplius desideres ut plura, quae hic a nonnullis coacervari solent, addiscas.

63. Ex his omnibus constat quam recte citata constitutio nostra processit, dum directoris necessitatem edocuit et hanc esse Patrum probatissimam sententiam asseruit. De quibus, quia admodum necessaria sunt, postmodum disputabimus..

LECTIO QUARTA

64. Vitae spiritualis atrium, quod via purgativa est, super quatuor columnas consurgit. Quarum prima est peccatorum confessio, secunda vitiorum extirpatio, tertia passionum cohibitio, quarta denique activa sensuum potentiarumque purgatio. Super quas caput erigit quae ab illis ortum naturali pondere ducit, vitatio peccatorum nedum mortalium, sed etiam venialum.

65. Facta ergo generali confessione, sequitur extirpatio vitiorum, quae sane peccata non sunt cum compatiantur cum gratia, cum qua peccatum incompossibile est etiam per posse absolutum Dei, ut adstruit Sanctissima Theresia, libro *Vitae,* cap. 40 (27). Sunt tamen pessimi habitus ex frequentia anteriori peccandi mala proles semper in reditum peccatorum propensa et actus virtutis retardans. Haec tartareae vulvae nocturna lues premit, obnubilat, maculat debilitatque animam, eius unioni cum Deo obsistens, uti profunde probat expertissimus Parens noster D. Ioannes a Cruce, libro I *Ascensus,* cap. 6 et sequentibus (28).

66. Unde anima unioni cum Deo inhians debet in horum vitiorum extirpationem alto conamine ferri. Non omnia simul aggrediatur, quia sic littus arabit; sed consideret, quod vitium magis viget estque aliorum omnium velut caput, in hocque omnium suarum virium robur vibret, ictus iaculetur. Quo extincto, iam ipsa victoria robustior alia sine capite trunca felici facilitate viriliter expugnabit ; quippe capitis obtruncatio est sequacium exterminium, ut habemus adumbratum in celebri illo triumpho quem David de Goliath Philisthinorum capite reportavit, de quo libro I *Regum,* cap. XVII (29) dicitur, *videntes autem Philisthiim, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.* Hoc ipsum evenit in expugnatione vitiorum ; validiore enim prostrato, cetera pariter prosternuntur.

67. Vitia haec omnia ad illa septem revocantur, quibus totidem hydra infernalis capita effert. Certum est esse pene innumerum vitiorum numerum, cum virtutum numerum longe superet. Cuius doctrinae ea ratio est, quod virtus con-

(21) *Collationes Patrum XXIV,* collat. XIV, cap. 13 ; Migne, P. L., t. 49, col. 979-981, Parisiis 1846.
(22) v. 3 ; S. Thom., ed. Vivès, t. XVIII, p. 569b.
(23) Ed. crit., *Avisos y sentencias,* nº 227-241 ; t. III, pp. 41-43.
(24) Cf. Oratio eius officii.
(25) Erronee ponitur in antiquis editionibus : « *numero 41* », cum sit num. 58, ubi citatur caput 13 *Vitae ;* ed. crit., t. I, pp. 97-100.
(26) Ed. crit., t. V, pp. 65-69.
(27) Ed. crit., t. I, p. 361.
(28) Ed. crit., t. I, pp. 57 sqq.
(29) Lib. *I Regum* (alias lib. I *Samuelis*), cap. XVII, v. 51.

sistit in medio, vitium vero in extremis eiusdem medii, quiaque quodvis medium separat plura extrema ei vel per defectum, vel per excessum contraria, propterea cumulus vitiorum numerum virtutum excedit. Verum, quia molestissimum foret illa omnia recensere, ad suas quaeque origines revocantur. Hae sunt illa septem vitia capitalia quorum nomina vel a puero didicisti, et ideo capitalia dicuntur, quia unumquodque plurium aliorum origo est. De his ergo nonnulla in sequentibus dicemus, ne intactam rem ab omnibus tactam relinquamus.

68. Modo vero pro omnibus illis tenendum est, tandiu animam foedare, quandiu labor sudorque hominis iam gratia decori in eorum expulsione morantur. Nec contrarium docuit D. Thomas, III^{a} p., quaest. 85, art. 2, ad 3, ubi asserit, quamlibet virtutem habitum sibi oppositum formaliter excludere, *sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subiecto.* Unde si formaliter vitium virtusque expelluntur, inintelligibile est, quod in eodem compatiantur. Similia habet Angelicus idem Praeceptor II^{a} II^{ae}, quaest. 53, art. 1, ad 3 et aliis in locis.

69. Verum sensus D. Thomae ab ipsomet aperitur quaest. 1 *De virtutibus,* art. 10, ad 16 (30), ubi ait : *Non remanet cum virtute temperantiae infusae habitus intemperantiae in ratione habitus, sed in via corruptionis.* Similia docet in IV *Sent.,* dist. 14, quaest. 2, art. 2, ad 4 (31). Ubi postquam asseruit quod habitus vitiosi virtuosique compatiuntur, subiungit : *Quamvis impediantur, et etiam retardentur* (32), scilicet vitia per virtutes. Quibus rem omnem aperit sanctus Thomas considerans habitum in esse entis et in esse habitus seu, et est idem, quoad substantiam et quoad statum. Quae distinctio scholasticis familiarissima est. Vitium quoad substantiam dicit substantiam vitii et nihil amplius. Vitium quoad statum addit supra substantiam ipsius habilitatem seu expeditionem qua operatur. Primo modo operari potest vitium ; eam tamen capacitatem non mandabit exsecutioni ob impedimentum praestitum a virtute opposita, nisi ad summum adeo exiliter ut eas solum operationes eliciat, quae parvae entitatis sunt intra ipsius sphaeram. Ad eum modum quo fides quae (quia in peccatore non remanet in esse virtutis seu quoad statum, sed solum in esse entis seu qualitatis aut quoad substantiam) licet possit mysteriis assentire de factoque assentiatur, hoc tamen non est ut ad salutem oportet, cum ille assensus sit caritate nudus. Similiter vitium in esse qualitatis quamquam operetur, eius operationes sunt in linea prava adeo parvae ut cum gratia et virtutibus compatiantur, sicut cum peccato et vitiis actus fidei compatiuntur.

70. Modo vero videndum est, quid dicat vitium quoad substantiam et quoad statum, ut sic res ista admodum utilis penitus comprehendatur. Vitium quoad statum dicit ex parte sui propriam entitatem vitii et ex parte illud habentis dicit voluntarietatem ; ex qua voluntarietate et entitate habitus vitiosus consurgit ad operandum aptissimus. Hac voluntarietate caret vitium in homine iustificato. Ex quo enim hic de peccatis conteritur, voluntatem illam qua vitia sunt introducta, retractat ; atque adeo iam haec non remanent voluntaria, licet eorum entitas in malum inclinans aegre tamen perseveret. Unde non potest illas operationes habere quae sunt simpliciter tales, sed alias valde tenues. Hinc vero clarissime patet angelica mens. Ait enim, quod virtus formaliter expellit oppositum vitium, unde intemperantia expellitur a temperantia infusa, non tamen absolute, sed in ratione habitus. Eoque vitia quoad substantiam compatiuntur cum virtutibus, *quamvis impediantur, et etiam diminuantur ab eis* (33). Diminuuntur quidem, quia ex iis duabus rebus quas

(30) Ed. Vivès, t. XIV, p. 213^{a} : « *infusa* » pro « *infusae* ».

(31) Ed. Vivès, t. X, p. 359a. In antiquis editionibus erronee dicebatur : *in 4. dist. 14. quaest. 2. art. 4.*

(32) Ed. Vivès, l. c.: « *diminuantur* » : Ipse Ioseph a Spiritu Sancto numero sequenti utitur voce « *diminuantur* ».

(33) l. c.

habitum vitiosum constare diximus, voluntarietas perit virtutibus advenientibus. Impediuntur etiam, quia ipsae virtutes vitiorum inclinationi ne in actum exeat, obsistunt.

71. Ex dictis habes textus illos D. Thomae adeo perspicue ab ipso enucleatos, ut mirere nonnullos Thomistas gravis notae iis ductos non adeo thomistice opinari Ia IIae, quaest. 71, art. 1. Subindeque habes habitus vitiosos opponi quidem cum virtutibus, aliter tamen et aliter. Nam cum virtutibus quae radicantur in gratia consummata, opponuntur nedum in esse habitus, verum etiam in esse qualitatis. Unde in gloriam nullus habens habitus vitiosos intrabit. Cum virtutibus vero huius viae opponuntur quoad statum vel in esse habitus, non autem quoad substantiam aut in esse qualitatis. Et licet prout sic inveniantur in homine iusto, illum non denominant vitiosum ; quia haec denominatio provenit ab illis quoad statum consideratis.

LECTIO QUINTA

72. Iam vero de vitiis capitalibus locuturus moneo non esse animum de iis plura dicere, sed pauca ; et haec non cum respectu ad omnem illam materiam quam concernunt, sed solum dicam ea quae incipientes, ad quos labor hic dirigitur, respiciunt.

73. Plurimum illos haec vitia fatigant, et in primis quae eorum nocturnum agmen agit superbia, quae iuxta D. Thomam, IIa IIae, quaest. 162, art. 2, est *inordinatus appetitus propriae excellentiae.* Hoc vitio incipientes ita communiter laborare solent, ut vix aliquis inveniatur, qui gratiae sensibilis fervore actus, non sit vinculo elationis irretitus, ait Extaticus Parens noster, libro I *Noctis,* cap. 2 (34). Ratio huius petenda est ex D. Thoma, II *Ad Corinthios,* c. XII, lect. 2 (35) consistitque in eo quod *in bonis est maxime materia huius vitii, scilicet superbiae, quia eius materia est bonum.*

74. Quare incipientes considerantes se recipere frequenter a Deo consolationes et vehiculum gratiae sensibilis, qua Pientissimus Pater eorum imbecillitati subvenire studet, et videntes seipsos in via virtutis collocatos aliosque manere in culparum anfractibus constitutos, hos contemnunt superbe de se sentientes; haecque arrogantia eos ducit ad barathrum omnis superbiae, cuius quatuor sunt species, ut ex D. Gregorio (36) docet D. Thomas, loco citato ex IIa IIae art. 4, ad 1 (37). Prima est cum quis putat bonum a seipso habere ; secunda cum licet bonum non a se, sed a Deo concessum fateatur, suis tamen meritis obtentum esse mentitur ; tertia cum iactat se habere bonum quod non habet ; quarta denique cum, aliis despectis, desiderat omnibus notum esse bonum quod habet.

75. Hae sunt superbiae species quibus incipientes impetuntur et frequentissime catenantur. Quod ut penitius calleant et talem pestem abigere curent, non morabor duodecim illos gradus superbiae, quos laudatus D. Thomas ex D. Bernardo (38) ad 4 argumentum (39) explicat recensere. Sunt enim : *curiositas mentis, levitas, inepta laetitia, iactantia, singularitas, arrogantia, praesumptio, defensio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas, peccandi consuetudo.* Isti sunt superbiae gradus oppositi duodecim gradibus humilitatis, de eisque in gratiam incipientium aliqua di-

(34) Ed. crit., *Noche oscura del sentido,* canc. I, v. 1, §. 3 (cap. 2) ; t. II, p. 10 initio.
(35) Lect. 3 in ed. Vivès, t. XXI, p. 158b.
(36) *Moral.,* lib. XXIII, cap. 6 (vet. 7) ; Migne, P. L., t. 76, col. 258.
(37) IIa IIae, q. 162, art. 4.
(38) *De gradibus humilitatis et superbiae,* cap. 10 et sqq.; Migne, P. L., t. 182, col. 957 sqq.
(39) IIa IIae, q. 162, art. 4, ad 4.

cam, quae fideliter ex nostris Doctore Angelico et Seraphico Patre locis proxime citatis libabo.

76. *Primus gradus humilitatis est corde et opere semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus : cui opponitur curiositas, per quam aliquis ubique curiose, et inordinate circumspicit* (40). Quod certe incipientium est ; ait enim noster Mysticus Doctor (41) illos vexari desiderio loquendi res spirituales coram aliis malleque dicere et docere quam discere et edoceri. *Secundus gradus humilitatis est, ut pauca verba et rationabilia loquatur aliquid non clamosa voce : contra quem opponitur levitas mentis, per quam homo superbe se habet in verbo* (42). Quae levitas maculat incipientes, qui dum ab aliquo edocentur, dicentis dicta interrumpunt ac si iam illa omnia scirent, cum illos sane laterent.

77. *Tertius gradus humilitatis est, ut non sit facilis, et promptus in risu : cui opponitur inepta laetitia* (43), qua incipientes abundant. Ex quo enim vident liberalitatem qua cum illis Deus utitur, efferuntur et in suis operibus atque in seipsis gloriantur. *Quartus gradus humilitatis est taciturnitas usque ad interrogationem : cui opponitur iactantia* (44). Hacque afficiuntur novitii in vita spirituali, volentes sua exercitia, orationem et spiritum propalare ; immo et alios, ut nuper diximus, erudire. *Quintus gradus humilitatis est tenere, quod communis regula monasterii habet. Cui opponitur singularitas, per quam aliquis sanctior vult apparere* (45). Quod vitium ita in horum aliquibus viget, ut non solum velint velut sanctos haberi ; sed totis viribus conantur alios velut pessimos reputari ; quod verbo opereque cum occasio se offert garriunt. *Sextus gradus humilitatis est credere et pronuntiare se omnibus viliorem : cui opponitur arrogantia, per quam homo se aliis praefert* (46). Quod immediate dicta ita proprium incipientibus esse demonstrant, ut tempus tererem, si aliter manifestare curarem.

78. *Septimus gradus humilitatis est ad omnia se inutilem et indignum confiteri et credere : cui opponitur praesumptio, per quam aliquis se reputat sufficientem ad maiora* (47). Et hoc est, quod praecipue Extaticus noster Parens praelaudatus vituperat (48) in his hominibus qui, cum adhuc non calleant iura legesque addiscendi, fastigium docendi ambiunt et etiam suos directores imbuere suis imaginationibus volunt. *Octavus gradus humilitatis est in duris, et asperis patientiam amplecti : cui opponitur simulata confessio, per quam aliquis non vult subire poenam pro peccatis, quae simulate confitetur* (49). Quamquam in aliis superbiae gradibus post auctoritatem D. Thomae ostenderimus quemque ex illis ad incipientes pertinere ex doctrina Seraphici Doctoris nostri non eius verba referentes, sed sensum fideliter propinantes. Nunc autem sententiam ad unguem scriptam dabimus, ut varietas temperet aliqualiter rei non admodum gratac fastidium. Sic enim loco citato ait Theodidactus Pater (50) de his hominibus : *Tienen empacho de dezir desnudos sus pecados : porque no*

(40) IIa IIae, q. 162, art. 4, ad 4 ; ed. Leonina, t. X, p. 318b:... est, *corde et corpore semper... aspectibus*. Cui... aliquis curiose ubique et inordinate circumspicit.

(41) Ed. crit., *Noche oscura del sentido*, canc, I, v. 1, §. 2 (cap. 2) ; t. II, p. 8.

(42) Ed Leonina, l. c.:... est *ut pauca verba... aliquis, non clamosa voce*. Contra... per quam scilicet homo...

(43) l. c. : *ut non sit facilis aut promptus in risu*. Cui...

(44) l. c.

(45) l. c.:... *singularitas :* per quam scilicet aliquis...

(46) l. c.

(47) l. c.: Cui opponitur *praesumptio :* per quam scilicet aliquis reputat se sufficientem ad maiora.

(48) Ed. crit., l. c.

(49) In ed. Leonina, l. c.: Nonus gradus est *in duris et asperis patientiam amplecti*. Cui opponitur *simulata confessio :* per quam scilicet aliquis... — Est etiam nonus gradus apud *D. Bernardum, De gradibus humilitatis et superbiae*, cap. 18 ; Migne, P. L., t. 182, col. 966-968.

(50) Ed. crit., l. c., t. II, p. 9.: *Tienen empacho de decir sus pecados desnudos porque no los tengan los confesores en menos.*

los tengan los Confessores en menos. Id est : Pudore subrustico praepediuntur ad proponendum christiana sinceritate sua crimina, caventes ne a suis confessariis parvi habeantur (51). Et insuper : *Van coloreando sus pecados, porque no parezcan tan malos : lo qual mas es escusarse, que acusarse* (52). Hoc est : sua peccata quaesitis coloribus obvelare sollicitant, ne adeo defectuosi appareant, quod potius excusatio est quam accusatio (53).

79. *Nonus gradus humilitatis est confessio peccatorum : cui opponitur defensio eorumdem* (54). Et incipientes adeo tenaciter imperfectiones suas operationesque defendunt ut, *quando sus Confessarios, y Prelados no les aprueban su espiritu, juzgan, que no se lo entienden, ni son espirituales* (55). Ait ergo : Cum apud suos confessarios et praelatos horum incipientium spiritus non bene audit, eorundem confessariorum et praesulum inscitiae et virtutis defectui id attribuunt (56). Item : *Procuran tratar con otro, que quadre con su gusto : porque ordinariamente desean tratar su espiritu con aquellos, que entienden, que han de alabar, y estimar sus cosas* (57). Id est : Proprium directorem relinquentes, alium adire satagunt ; hi enim regulariter res suas exponere concupiscunt aliis, a quibus laudem et aestimationem se consecuturos sperant (58). *Decimus gradus humilitatis est obedientia : cui opponitur rebellio* (59). Vitium adeo proprium incipientium, ut vel proprio directori rebelles, cisternas dissipatas sibi quaerant, ut modo vidimus.

80. *Undecimus gradus humilitatis est, ut homo non delectetur facere propriam voluntatem : cui opponitur libertas, per quam homo delectatur libere facere, quod vult* (60). Quam miseram libertatem maximopere ambiunt isti homines ; quia, ut dictum est, nihil intentatum patiuntur ut sua sensa cerebrose tueantur ; eoque miseriae devenire hac parte solent ut de eis asserat D. Ioannes a Cruce (61) : *Huyen como de la muerte de aquellos, que les deshazen sus cosas para ponerlos en camino seguro. Y aun á vezes toman ojeriza con ellos.* Latino idiomate dixeris : Tanquam a morte recedunt ab illis qui suas pueriles tricas conterunt eo animo, ut eos in recta virtutis via statuant ; et eo devenire solent ut eos qui eorum profectui sic incumbunt, interdum animo novercali insectantur (62).

81. *Ultimus gradus humilitatis est timor Dei : cui opponitur peccandi consuetudo, quae implicat Dei contemptum* (63). Cuius criminis rei sunt inci-

(51) In I editione, « Pudet eos sua peccata nudos dicere ne parum eos confessarii obtineant ». — In editione vero Neapolitana, ut in prima ed. praeter : « confessarii parvipendant ».

(52) Ed. crit., l. c.: *y vanlos coloreando porque no parezcan tan malos, lo cual más es irse á excusar que á acusar.*

(53) In I ed., « Sua peccata coloribus induendo, ne tam mala esse videantur. Quod potius est se excusare quam accusare ». — In Neopolitana vero, ut in prima, praeter : « sua peccata coloribus inducunt, ne... ».

(54) In editione Leonina, l. c., est octavus gradus ; item apud D. BERNARDUM, *De gradibus humilitatis et superbiae,* cap. 17 ; Migne, P. L., t. 182, col. 966.

(55) Ed crit. l. c., t. II, pp. 8-9 : *A veces también, cuando sus maestros espirituales, como son confesores y prelados, no les aprueban su espiritu y modo de proceder (porque tienen gana que estimen y alaben sus cosas), juzgan que no les entienden el espiritu, y que ellos no son espirituales, pues que no aprueban aquéllo y condescienden con ello.* — Ipse Ioseph a Sp. S. hunc locum complete refert disputatione secunda prooemiali, quaest. 6, §. 2, num. 94.

(56) In I editione legitur : « Dum confessarii eorumque praelati suum spiritum non approbant, intelligunt eum nescire eosque spirituales non esse ». — In editione vero Neaplitana, « *praesumunt* » loco « *intelligunt* », cetera ut in I ed.

(57) Ed. crit., l. c., t. II, p. 9.

(58) In I editione legitur : « Inhiunt cum alio agere gustui suo conformi, nam quasi semper suum spiritum tractare desiderant cum illis se suaque opera laudare ac existimare ». — In Neapolitana ut in I editione, praeter: « ...cum iliis se suaque opera laudantibus ac existimantibus ».

(59) Ed. Leonina, l. c.

(60) Ed. Leonina, l. c.: Undecimus autem gradus est, *ut... voluntatem.* Cui opponitur *libertas :* per quam scilicet homo...

(61) Ed. crit., l. c.: *Huyen, como de la muerte, de los que se las deshacen para ponerlos...*

(62) In I editione: « Sicut ex morte aufugiunt ab illis, sibi sua destruentibus, ut ipsi in recto perfectionis tramite collocarentur. At interdum adversus eos oculos ponunt. » — Similiter in editione Neapolitana praeter : «... perfectionis tramite collocentur. At interdum adversus eos iratos oculos ponunt ».

(63) Ed. Leonina, l. c.: *Ultimus autem gradus...*

pientes : primo, quia, ut vidimus in gradu octavo, contemnunt suos directores et praelatos, quod esse nequit absque Dei contemptu, cum scriptum sit : *Qui vos spernit, me spernit* (64). Secundo, quia Dei in opere contemptores divinae eius ordinationi subesse nolunt, eoque : *Tienen muchas vezes ansias con Dios, porque no les quita sus imperfecciones, y faltas : mas por verse libres de su molestia en paz, que por intento de agradar á Dios* (65). Hoc est : Etiam de Deo queruntur, quia eos a propriis imperfectionibus defectibusque non liberat : nec hoc faciunt ut Deo placeant, sed ut eximantur a molestia qua torquentur (66).

82. Ecce vobis scalam humilitatis et superbiae. Illa ad caelum itur, hac iter caeleste retardatur. Vix invenietur incipiens, qui in humilitatis gradibus non offendat et ad superbiae scalam non declinet. Eorum vestigiis non insistatis, carissimi, sed ita recte viam perfectionis currite, ut sine offensione per scalam spiritus, per quam vitam spiritualem ingressi, gradimini, gradiamini. Triplex remedium assignat laudatus D. Thomas, art. 6, ad 1 (67), contra hoc immane vitium : primum est consideratio propriae miseriae ; secundum consideratio divinae magnitudinis ; et tertium imperfectio omnium eorum de quibus homo superbit. Hoc triplici medio, veluti medicato bolo, superbiae arrogantiam superabitis.

LECTIO SEXTA

83. Quia multum immorati sumus in capite vitiorum capitalium, curabimus sequentia leviori manu attingere. Igitur avaritia, iuxta D. Thomam, IIª IIae, quaest. 118, art. 1, est *immoderatus amor acquirendi vel retinendi exteriores divitias*. Hoc vitium maculat incipientes, qui, gustata caelestium rerum dulcedine et illa quam receperunt non contenti, augeri postulant prece importuna. Quod si Deus nedum hanc dulcedinem non auget, verum etiam semel concessam aufert (ut robusti fiant) fatigantur et avare desiderant invenire quod humili resignatione assequerentur. Mire eos instruit Extaticus noster Parens D. Ioannes a Cruce, libro I *Noctis*, cap. 3 et libro II, cap. similiter 3 et libro III *Ascensus*, cap. 34 (68).

84. Sunt aliqui mystici qui de luxuria hic loquentes, ea suffarcinant quae naturam huius vitii respiciunt ; pro eoque cavendo ea remedia adhibent quae omnia omnium statuum individua comprehendunt. Quod an recte factum sit, cum de imperfectionibus incipientium agitur, alii dixerint. Et sane non soli incipientes, sed etiam perfectissimi legere debent plenum illud D. Bonaventurae opusculum *De vitanda familiaritate Dominarum* (69), cuius aliquis e nostratibus hic meminit ; quia eius lectio non est privative propria incipientium, etiam perfectos instruit et hos maxime.

85. Unde clarissima lumina D. Thomae et D. Ioannis a Cruce secutus dicam quae propria incipientium sunt. Igitur

(64) *Luc.*, c. X, v. 16.

(65) Ed. crit., l. c.: *Tienen muchas veces ansias con Dios porque les quite sus imperfecciones y faltas, más por verse sin la molestia de ellas en paz, que por Dios.*

(66)In I editione legitur : « Sunt illi multoties anxietates cum Deo, ut ne aufert defectus, imperfectionesque ab eis ; ut satis in pace quiescentes, ac liberi ab eorum molestia, quam Deo grati manere ». — In Neapolitana vero : « Sunt illi multoties anxietates, ut Deus auferat defectus, imperfectionesque ab eis ; potius ut in pace quiescentes, ac liberi sint ab eorum molestia, quam Dei placendi gratia ».

(67) IIa IIae, q. 162, a. 6, ad 1.

(68) Ed. crit., *Noche oscura del sentido*, canción I, v. 1, §. 4 (cap. 3); t. II, pp. 11-13. — *Noche oscura del espiritu*, §. 2 et 3 (cap. 2 et 3) ; t. II. pp. 53-57. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. III, cap. 33 ; t. I, p. 37.

(69) *De modo confitendi et de puritate conscientiae*, cap. 14 : De periculo familiaritatis dominarum ; *Opera omnia*, ed. Peltier, t. VII, pp. 573a-575b (Parisiis, L. Vivès 1864-1871). cf. etiam *Pharetra*, lib. III, cap. 26: De familiaritate ; ed. Peltier, t. VII, pp. 151b-152b. *De Institutione Novitiorum*, part. I, cap. 39 : De vitandis mulieribus ; ed. Peltier, t. XII, pp. 303b-304a.

Angelicus Doctor in *Ad Corinthios* II, cap. XII, lectione 2 (70) et etiam IIª IIªe, quaest, 162, art. 6, ad 3, ait, Deum ut sapientissimum medicum morbis animarum mederi, sinentem eas culparum et tentationum verbere vapulare. Verber hoc frequentissime luxuria est, qua incipientium animae, quae vix prae vitiorum morbis stare queunt, humiliantur. Quare animae morbos abiiciant et luxuria cessabit. Sumitur haec a Deo ut medium quo salus animae habeatur. Unde sanitati (71) restituta conquiescet.

86. Aliter hoc ipsum ex eodem sanctissimo Doctore accipe : Incipientes superbia abundant, ut vidimus tota lectione praecedenti ; ut Deus autem hanc superbiam incipientium extinguat, luxuriam parat qua humiliati resipiscant. Aurea sunt D. Thomae verba (72): *Sicut in syllogismis ducentibus ad impossibile quandoque aliquis convincitur per hoc, quod ducitur ad inconveniens magis manifestum ; ita etiam ad convincendum superbiam hominum, Deus aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia.* Ideoque quousque ab hac sui status superbia sint nudi, non vivent a carnis illecebris separati.

87. Triplex aliud motivum huius belli belle asignat Seraphicus noster Parens, libro I *Noctis,* cap. 4 (73). Primum est delectatio quam sensus percipit in rebus ipsis spiritualibus, siquidem cum spiritus delicietur rebus spiritualibus quas incipiens experitur ; propterea sensus, cum purgatus adhuc perfecte non sit, in suae sphaerae delicias fertur. Huius mali remedium est quantotius egredi ab illo imperfecto statu, quia omnia disparent in obscura nocte in qua Deus animas, illas perfecturus, constituit.

88. Secundum est diabolus, qui ut animam dum orat perturbet, hos sensualitatis motus commovet. Huius mali remedium est orationi avidius insistere et sic hae daemonis astutiae superantur. Quia si iis territus orationi valedicis eo quod alias haec non experiris, absdubio tentationi succumbis. Tertium motivum est ipse timor, qui incipientes fortiter tenet circa hos libidinis motus. Peccare nolentes adeo ad aspectum serpentis colubri horrent, ut illos, sine culpa tamen, perpetiantur. Huius remedium est ut minus horrori deferatur et plus voluntati Deo in omnibus placendi. Sicque liberi ab huius inimici tiranide victoriam reportabunt.

89. Tripliciter in irae laqueo comprehenduntur incipientes, ut colligitur ex Seraphico nostro Doctore, libro I *Noctis,* cap. 5 (74). Primo irascuntur contra aliorum imperfectiones. Secundo contra proprias. Tertio quia finitur delectatio illa sensibilis, quam in oratione perceperunt. Primi absdubio imperfectissimi sunt ; quia licet bono zelo agantur, magis quam illo superba indiscretione feruntur. His absimiles haud sunt secundi; qui omnes ut hanc imperfectionem eradicent, recte procedant et orent in Domino suam spem collocantes ; qui illuminabit abscondita tenebrarum et sua gratia illos omnes compescet, ut in admirabile lumen resurgant *et tunc laus erit unicuique a Deo* (75). Ultimorum imperfectio pariter nota est; hi enim non Deum orando quaerunt, sed orationis delicias, atque adeo his deficientibus irascuntur.

90. Istorum imperfectioni affinis valde est gula spiritualis, quae nihil aliud est quam *inordinata spiritualium consolationum sollicitudo.* Vix in incipientium choro genua sunt quae coram hoc idolo non flectantur. Sic asserit Mysticus noster Doctor, libro I *Noctis,* cap. 6 (76), qui mire harum numerum pene innumerum imperfectionum edisserit, medicamina adhibens quibus periculum imminens caveatur. Videri debet ut quidquid in hac materia sciendum tum a directo-

(70) Ed. Vivès, t. XXI, pp. 158 sq., lect. 3.
(71) Sic in I et Neapol. ed.; « *sanitate* » in IV ed.
(72) IIa IIae, q. 162, a. 6, ad 3.
(73) Ed. crit., *Noche oscura del sentido,* canción I, v. I, §. 5 (cap. 5) ; t. II, pp. 13-18.
(74) Ib., §. 6. (cap. 5) ; t. II, pp. 19-20. Erronee in antiquis editionibus ponitur « *libro 3. noctis.* »
(75) *I Corinth.*, c. IV, v. 5.
(76) l. c., §. 7 (cap. 6) ; t. II, pp. 20-23.

ribus, tum a discipulis est, mirabili arte traditum veneretur.

91. Invidia etiam corripiuntur incipientes ; quippe non aequo animo ferunt, si aliquem ab aliis laudatum vident, et maxime a praelatis et directore utriusque, si eidem subsunt. Laudent eos quos alii extollunt, motiva detegant quibus plus a laudatoribus efferentur, et sic contra invidiam agentes ipsius manus foede pallidas fugient, illam eliminantes.

92. Ultimum capitalium vitiorum acedia est, quae non raro in incipientibus invenitur. Ex quo enim Deus ab illis subtrahit delicias quibus in oratione fruuntur, angustiantur et pigri nec manus levant ut bene agant. Plurimi hac via periere, quorum ruina aliorum doctrina est. Huius vitii remedium proprium illud est quod est ferme commune omnibus vitiis capitalibus. Qui enim Deum ipsum in oratione quaerit, vel viam inviam conatur ambulare, sciens quod in terra deserta et invia et inaquosa solet Deus apparere. Sane qui hoc immobili sidere ductus Deum solum quaerit, quot sentibus in progressu cruentatur, tot calcaribus movetur ut Deum ipsum, immensis salebris emensis, maioribus certaminibus exantlatis inveniat et iam illud nemo despiciat (77). His pro vitiorum extirpatione dictis, ad passionum moderationem accedamus.

LECTIO SEPTIMA

93. Divus Thomas, Iª parte, quaest. 81, art. 2, dividit appetitum sensitivum in concupiscibilem et irascibilem. Hae duae potentiae realiter et specifice distinguntur. Realiter quidem, quia habent diversa subiecta quae informant ; nam concupiscibilis recipitur in iecore et irascibilis subiectatur in corde. Differunt etiam specifice, quia licet utraque respiciat bonum sensibile, concupiscibilis illud respicit, prout dicit hoc quod est delectare perficereque potentiam cuius bonum est. Irascibilis autem respicit bonum sensibile, prout est arduum et difficile consequi. Ex quo sequitur irascibilem praestare concupiscibili ; quia respicit obiectum sub ratione minus materiali ; regitur enim ab aestimativa, quae rationibus insensatis ducitur; concupiscibilis vero ab imaginativa, quae sensatis rationibus regitur.

94. Actus harum potentiarum dicuntur passiones. Passio vero, prout ad praesens attinet, definitur a mysticis per hoc quod sit : *Motus appetitus sensitivi ad imaginationem boni vel mali cum aliqua corporis immutatione, quo scilicet fertur ad bonum et fugit a malo* (78). Per hoc quod sit *motus appetitus ad imaginationem boni vel mali,* convenit passio cum actibus voluntatis; sunt enim motus appetitus ad imaginationem boni vel mali ; siquidem est de ratione appetitus, sive rationalis sit, sive sensitivus moveri a bono et malo ; ab hoc ut illud respuat, ab illo vero ut illud prosequatur. Differunt tamen per hoc quod passio est motus appetitus sensitivi ; illi vero alii actus sunt motus appetitus rationalis, scilicet voluntatis.

95. Praecipua autem differentia sita est in eo quod actus voluntatis nullam causat mutationem in corpore ; quia cum voluntas non sit organo affixa utpote pure spiritualis, propterea eius actus nullam corporalem mutationem inducunt ; atque adeo licet voluntati tribuantur actus convenientes in nomine cum actibus appetitus sensitivi, non tamen dicuntur passiones, nec illam significant, sed solum simplicem actum seu affectum eiusdem voluntatis.

96. Actus autem appetitus sensitivi

(77) *Cant.*, c. VIII, v. 1.

(78) PHILIPPUS A SS. TRINITATE, C. D., *Summa theologiae mysticae*, Parte I, tract. II, discurs. 3, art. 1 ; ed. Bruxellis, 1874, t. I, p. 276. — Cf. infra *Appendix*. — ANTONIUS A SPIRITU SANCTO, C. D., *Directorium mysticum*, tract. II, disp. 1, §. 5. num. 86 ; ed. Vivès, Parisiis, 1904, p. 71 ; qui definitionem hanc a Philippo a SS. Trin. mutuatus est. — Cf. infra *Appendix*.

dicuntur passiones propter passionem corporis quam causant (79). Pro quo scire debes transmutationem dupliciter fieri : primo cum datur receptio unius sine exclusione alterius, ut cum corpus mutatur de non albo in album, datur receptio albedinis, quae sane recipitur sine expulsione alicuius formae praeexistentis. Secundo datur transmutatio cum recipitur aliquid in subiecto a quo aliquid aliud excluditur. Et hoc adhuc dupliciter : nam illud quod excluditur, potest esse conveniens subiecto vel contrarium. Exemplum primi habes in homine transeunte de sano in aegrum : recipit aegritudinem cum expulsione sanitatis, quae illi omnimode conveniens est. Exemplum secundi offert ipse homo transiens de aegro in sanum, quippe recipit sanitatem cum expulsione aegritudinis sibi contrariae. Unde habes passionem tripliciter evenire : primo cum datur receptio sine expulsione ; secundo cum excluditur contrarium ; tertio denique cum expellitur conveniens. Prima passio est summe impropria ; secunda propria est ; at tertia est propriissima, ut ex ipsis terminis notum est ; tunc enim quis dicitur propriissime pati, cum per adventum rei contrariae et afflictivae sua sibi conveniente perfectione privatur.

97. Passio ergo prout fit cum expulsione est de qua loquimur et quae tradita definitione definitur. Constatque traditam definitionem rectam esse, cum designet principium et obiectum, inter quae actus, qui definitur, versatur ; et insuper tradat effectum proprium quem talis actus inducit. Illae vero particulae: *quo scilicet* et sequentes maiores claritatis gratia positae sunt. Quae omnia ex dicendis maiorem lucem accipient.

98. Ut autem numerum harum passionum proponamus, obiectum appetitus considerare debemus. Hoc, ut dictum est, est bonum et malum ; malum ut recusandum, bonum vero ut amplectendum. Unde secundum diversitatem qua appetitus tendit in obiectum, erit et passionum multiplicitas. Appetitus respicit suum obiectum vel absolute sumptum, vel prout dicit arduitatem difficultatemque. Primo modo est potentia concupiscibilis ; secundo vero irascibilis ; ut patet ex dictis numero 93. Concupiscibilis tendit in obiectum vel bonum, vel malum. Si tendit, in obiectum bonum, tripliciter se habet relate ad illud. Primo enim respicit illud ut bonum abstrahendo ab aliis ; et sic causat amorem ; tendentia enim potentiae in bonum ut tale est amor. Secundo respicit bonum ut absens ; et sic excitat desiderium obtinendi illud bonum quod iam amat. Tertio respicit bonum ut iam adeptum ; et tunc gaudium excitat, siquidem de bono obtento gaudemus. Eodem modo philosophandum est circa malum : nam vel illud respicit absolute et sine reduplicatione aliqua, vel respicit illud ut absens, vel ut iam est praesens. Primo modo excitat odium ; secundo fugam, tertio vero tristitiam. Nam malum ut malum abominatur, ut absens cavetur, ut praesens vero tristitiam parit. Non potest bonum ut terminus concupiscibilis aliter considerari, nec malum valet aliter intueri ; eoque nec aliter in illa ferri potest haec potentia. Quamobrem sex sunt ipsius passiones. Prima radixque aliarum omnium est amor, cui odium opponitur, quod passio secunda est ; tertia est desiderium, cui quarta, quae est fuga, contradicit ; quinta est gaudium eique tristitia, ut sexta, contrariatur.

99. Deinde respicere obiectum ut arduum, est opus irascibilis. Et cum respicitur bonum arduum ut possibile tamen consequi, excitatur spes ; si vera haec possibilitas vel abest, vel non cognoscitur, datur desperatio, spei contraria. Dum vero movetur homo ad sollicitandum illud bonum arduum possibile consequi, et difficultatibus arduitatis non deterritus media aggreditur quibus illud consequatur, ratus quod audaces fortuna iuvat timidosque repellit, tunc excitatur audacia. Si vero arduitatis seu

(79) Ia IIae, q. 22, a. 3.

difficultatum pondere pressus spem pene emortuam habeat, tunc datur timor. Ac denique cum quis appetit ab iniuria irrogata vindicari, datur ira. Unde undecim sunt hae passiones : sex pertinent ad concupiscibilem, quinque vero ad irascibilem. Ex illis amor contrariatur odio, desiderium fugae, tristitiae gaudium, spes desperationi, timori denique audacia, ira vero contrarium non habet quod habere possit passionis nomen.

100. Ex dictis notum manet, quam apte diximus supra, amorem esse passionum omnium radicem originemque ; siquidem omnes illas transcendit et imperat. Eo enim bonum desideratur, delectat, speratur, audaciam et iram excitat, quia amatur ; si namque non amaretur, hos motus non excitaret. Similiterque malum, cum terminet actum secundarium voluntatis, qui sine primario stare nequit ; ideo illum terminat, quia praesupponitur actus amoris ; non enim malum respueretur, si non amaretur bonum. Exactiorem horum notitiam tradunt aliqui mystici, alii vero nullam, nos autem mediam tenuimus viam ; ita ut aliqua non tacentes, plura reticeremus, lectorem ad nostrates (80) remittentes, quorum multi plena manu hanc materiam absolvunt cum D. Thoma, Ia IIae, quaest. 22 et 23.

LECTIO OCTAVA

101. Passiones dictae (ut sic ad mystica proximius accedamus) ex se non sunt malae, induunt tamen bonitatem et malitiam a voluntate vel imperante, vel non prohibente ; si namque conformantur regulis rationis, sunt bonae ; et si non conformantur, malae sunt. In quo laudare debes mysticorum loquendi proprietatem, qui aiunt, incipientes debere evacuare peccata, eradicare vitia et passiones regulare. Peccata evacuantur confessione, vitia eradicantur mortificatione, passiones vero regulantur ratione. Vitia et peccata sunt determinate mala, ita ut nulla vi possint induere bonitatem; eoque quantocius expellenda sunt ut regnum virtutis valeat obtineri. Ast passiones, cum ex se sint indifferentes ad bonum et malum, ratione regulatae bonae sunt adiuvantque ad obtinendam virtutem.

102. Et ut practicum modum quo moderentur, audias, de unaquaque seorsim, breviter tamen, dicemus. Igitur amor potest esse inordinatus ex parte obiecti et ex parte modi. Ex parte obiecti est inordinatus, cum amatur obiectum illicitum. Tunc est inordinatus ex parte modi, cum obiectum licitum amatur indebito tamen modo, nempe plus quam amari debeat. Si inordinatio est ex parte obiecti amati, moderabitur passio ista per appositionem obiecti contrarii, ut si quis amet mundanos honores, hanc passionem frenabit considerans amansque bona caelestia ; tunc enim amor huius sacratissimi obiecti obiectum aliud ostendet non amore, sed odio dignum ; atque adeo, manente amore, per solam variationem termini transit de vitioso in virtuosum.

103. Si vero inordinatio sit in modo, quia scilicet obiectum licitum amat indebito modo ; tunc vel potest sine dispendio aliquo ab amore illius obiecti arceri, vel non ; si non, illud amet, sed modum tenens excessum iugulet. Si arceri potest, avertatur ; non quia malum amat, sed ne bonum male diligat. Absolute tamen passio ista et generaliter omnes passiones appetitus concupiscibilis moderantur virtute temperantiae ex D. Thoma, IIa IIae, quaest. 141, qui videri potest tota illa quaestione praecipue articulis 2, 3 et 4. Unde cum hac virtute omnes sex passiones appetitus

(80) Ut sunt PHILIPPUS A SS. TRIN., *Summa theologiae mysticae*, Parte I, tract. II, disc. 3. art. 1 ; ed. 1874, t. I, pp. 275-279 ; et ANTONIUS A SP. S., *Directorium mysticum*, tract. II, disp. 1, §. 5 ; ed. 1904, pp. 70-73.

concupiscibilis moderentur, propterea ad assignandum medium quo irascibilis passiones moderantur, transimus.

104. Bonum arduum, quod est obiectum spei, habet aliquid retrahens, ut asserit D. Thomas, IIª IIæ, quaest. 161, art. 1. Bonitas attrahit et ideo excitat spem. Difficultas retrahit, eoque inducit desperationem. Ut autem hae duae passiones moderentur et ne desperatio aut maior spes quam par est excitetur, requiruntur duae virtutes moderantes, quas quidem Angelicus Doctor assignat. Prima est humilitas, quae temperat et refrenat animum ne immoderate tendat in excelsa. Secunda est magnanimitas, quae impellit et firmat animum ad prosecutionem magnorum secundum rationem rectam. Videatur D. Thomas, loco citato et Iª IIæ, quaest. 60, art. 4.

105. Sequitur audacia, quae habet idem obiectum ac timor, sed sub contraria ratione ; quia timor respicit malum ut ei succumbens aut ut ab eo fugiens ; audacia vero idem malum respicit aut illud superans aggrediendo, aut sustinens tolerando. Nec intelligas audaciam non esse actum prosecutionis, cum dicamus respicere malum ut obiectum. Nomine quippe mali ipsa arduitas cum bono connexa intelligitur ; quae quidem arduitas, cum retrahat, ut numero praecedenti dicebamus, habet rationem mali, qua perterritus timor horret, quamquam audacia caput erigens illam aggrediatur. Has duas passiones moderatur fortitudo, licet fortitudine magis moderetur timor quam audacia. Sic D. Thomas, IIª IIæ, quaest. 123, art. 6, ubi ait : *Philosophus dicit in tertio Ethicorum* (81), *fortitudo est magis circa timores reprimendos, quam circa audacias moderandas.* Dicitur autem fortitudo magis respicere timores quos reprimat, quia potior ipsius actus, ut cum Philosopho adstruit inibi D. Thomas, non est audacter oppugnare, sed patienter sustinere.

106. Passionum ultima est ira, quae fit cum ascensione sanguinis circa cor. Haec est motus quo laesus ad vindictam provocatur. Et istum motum moderantur mansuetudo et clementia ex D. Thoma, IIª IIæ, quaest. 157, art. 1 et idem Angelicus Doctor explicans illud Psalmi 24 (82) : *Diriget mansuetos in iudicio :* ait (83) : *Mansuetudo est virtus mitigans iras, quia ira valde impedit, et maxime in moribus invenitur.* Unde qui mansuetus fuerit, etsi, cum opus sit, irascatur, non peccabit.

107. His virtutibus moderantur omnes istae passiones, quae sic moderatae ad virtutem nanciscendam maximopere conducunt. Quare debet incipiens his virtutibus insudare, ut possit ad suum finem feliciter pervenire. Directorque debet illum in his dictis virtutibus exercere, quo ex utriusque mutuo conamine obstacula retardantia exarmentur et fructus optatae palmae manu hilari apprehendantur.

LECTIO NONA

108. Vidimus initio lectionis praecedentis vitia extirpari mortificatione et passiones moderari virtutibus adiuta ratione. Quae eo tendunt ut incipientes in oratione exerceantur ; haec enim est propriissimum viri spiritualis studium. Quod studium et sollicitudo illa extirpandi vitia et moderandi passiones reciproca activitate foventur. Mortificatio enim passionum et appetitus vitiis vitiati cordis valvas orationi pandit ; oratio ipsa passiones et vitia persequitur ut media mortificatione superentur. Unde cum hoc sit incipientium studium, de ipso nonnihil dicemus ; plura, cum de purgationibus agamus, dicturi.

(81) III *Ethic.*, cap. 9. num. 1 ; ed. Didot, t. II, p. 35 ; — Bekk., 1117a, 29.
(82) v. 9.
(83) *In psalm. 24,* num. 8 ; ed. Vivès, t. XVIII, p. 365a : *Mansuetudo est virtus mitigans iram, quae ira valde impedit cognitionem, et maxime in maribus invenitur.*

109. Mortificatio est duplex, exterior scilicet et interior. Mortificatio exterior respicit exteriorem hominem, sensus videlicet externos componendo. Interior vero est qua motus et affectus interni mortificantur. Utraque mortificatio necessaria est ; exterior quidem ut interior perduret ; et interior ut exteriorem valoret. Nihil prodest exterior mortificatio sine interiori ; et sine exteriori interior in nihilum citissime abibit. Hae duae mortificationes sunt duae alae quibus anima in contemplationem aquilis ocior ascendit.

110. Unde incipientes sui profectus cupidi et qui ad superiora tendere festinant, totis viribus debent se mortificationi dedere, sensus exteriores interioresque et omnes suas potentias cohibentes, immo et semetipsos abnegantes, ut ultra progredi valeant in via spiritus.

111. Dictae mortificationes sumi possunt relate ad illicita et ad licita. Prima bona est et obligatoria ; sed secunda est melior atque adeo animam amictu speciosissimo ornat. Et insuper ipsum animam magis ab illicitis seiungit. Quippe vox est D. Gregorii, V *Moralium,* cap. 8 (84) : *Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando et a licitis caute restringit.* Unde quanto hisce mortificationibus se dederint incipientes, tanto pede velociori et solidiori proficient et facilem viam ad orationem sternent.

112. Haec etiam oratio est proprium ipsorum exercitium ; non quia solis incipientibus conveniat, quippe omnium hominum proprium est orare ; sed quia omnium et semper incipientium est se in oratione exercere. Non tamen omnis oratio est incipientium propria: alia enim est oratio quae ad perfectos attinet, et alia quae ad proficientes spectat. Propria igitur incipientium oratio meditatio est ; falluntque et falluntur qui hisce temporibus aliter opinantur. Nostrum tamen dictum a sanctissima Matre nostra Theresia didicimus, quae cap. 13 *Vitae* (85) de oratione meditationis locuta concludit : *et hic est modus orationis in quo omnes incipere debent.* Quod sane Angelici Praeceptoris auctoritate firmatur : ait enim IIª IIªe, quaest. 82, art. 3, in corpore : *Et ideo necesse est quod meditatio sit devotionis causa.* Unde cum incipientes habeant certe devotionem, haec devotio a meditatione oriri debet.

113. Ratioque huius discursus ea est : quod devotio est actus voluntatis, quare ab aliquo actu intellectus causatur, cum hoc sit de ratione actus cuiuscumque voluntatis ut praesupponat actum intellectus, sicut et potentia ipsa intellectiva ad volitivam supponitur. Unde devotio vel causatur a meditatione, vel a contemplatione, ut asserit citatus D. Thomas. Cum autem in incipientibus nequeat a contemplatione causari, quia contemplatio non est res propria incipientium ; relinquitur quod in illis causetur a meditatione.

114. Pro meditationis materia assumat quatuor novissima vel consideret gravitatem, foeditatem et damna mortalis peccati, aut in mysteriis vitae et passionis nostri Redemptoris spatietur. In his omnibus pabulum animae inveniet, quo munitus longam viam purgativam demetiatur et ad contemplationis verticem praeparetur.

115. Quo autem tempore relinquenda sit meditatio et ad contemplationem transeundum, acurata sollicitudine exploret magister ; quia si discipulus non est aptus ut ad viam illuminativam transeat, si purgativam relinquit, oleum et operam perdet. Si autem ad contemplationem maturum detinet in via purgativa, dimittet accepta et non accipiet promissa. Unde maxima dexteritate opus est, ut haec obstacula extreme contraria devitet. Signa vero quibus

(84) Cap. 11 (Rec. 8, Vet. 6) Migne, P. L., col. 688.

(85) Ed. Crit., t. I, p. 96 : *Es el modo de oración en que han de comenzar, y de mediar y acabar todos.*

tanquam Daedali filo uti debet, ut ab his labyrinthiis liberetur, tria sunt proponunturque a Seraphico Parente nostro D. Ioanne a Cruce, libro II *Ascensus*, cap. 13 (84) ; suntque sequentia.

116. *Primum* signum est, quod mysticus videat se meditari non posse, nec imaginatione operari, nec in hoc ut prius deliciabatur, deliciatur, quinimo ariditatem invenit ubi prius dulcedinem reperiebat. *Secundum* signum est, quod non illi placet imaginationem sensumve ponere in rebus particularibus exterioribus aut interioribus ; non quia imaginationis irrequieta fatigatio ligetur, sed quia a consilio fastidit anima illam in aliis collocare. *Tertium* est et certius quidem, quod animae placet manere in pacifica solitudine Deumque considerare cum amorosa attentione sine consideratione aliqua particulari, nec actibus discursivis, sed solum cum notitia quadam generali et amorosa.

117. Haec tria sunt signa, quae Theodidactus Doctor noster assignat, quorum exactissimam sufficientiam solida ratio demonstrat. Etenim si anima deliciatur meditando, hincque illinc per discursum transeundo, idonea ad contemplationem non est ; haec enim est centrum, finis et terminus meditationis, quae est via mediumque quo ad contemplationem itur ; et qui in medio deliciatur, termino certe non inhiat. Requiritur ergo ut primum signum, quod anima non possit meditari et ariditatem ubi prius delicias reperire.

118. Ast quia haec ariditas potest provenire a culpa ipsius animae, vel quia peccavit, vel quia distracta est, nec se, ut debet, praeparat orationi ; propterea requiritur secundum signum, scilicet quod illi displiceat ponere imaginationem in rebus particularibus ; qui enim distracte vivit, super meditatione nauseat, quae spiritualia non sunt diligit et delectatur, cum inutilibus vacat.

119. Verum quidem est, quod fastidium potest provenire ex aliquo humore melancholico, quo ita afficitur anima ut nec meditari, nec alia cogitare queat ; et ob hoc requiritur tertium signum, nempe quaedam simplex et affectuosa attentio in Deum. Qui enim atrabili corripitur, hanc affectuosam attentionem habere minime potest. Unde, ut vides, nec primum signum sine secundo, nec utrumque sine tertio convincunt meditationem relinquendam esse ; sed ex omnibus tribus adaequatum signum evidens consurgit, ut a meditatione in contemplationem transeatur, hoc est, a via purgativa in illuminativam.

120. Ex quibus habetur, vane in hac parte plures mystas ad temporis spatium recurrere, ut fiat hic transitus. Tempus enim in via purgativa insumptum mensura esse non potest, ut talis via deseratur ; tum quia diversitas complexionum multum conducit, ut citius feliciusque via purgativa perficiatur ; tum quia diversus conatus euntium eundi diversum modum convincit ; tum quia Deus, sicut non omnes ad aequalem perfectionis gradum destinat, ita nec omnes aequali celeritate vocat ; tum denique, quia diversitas directorum rem incertam relinquit ; magis enim proficit anima dexteriori et vigilantiori subiecta, quam si sit desidi insciove subordinata (87). Unde tempus norma esse non potest, nisi ut tempus ipsum inutiliter insumatur et ansa erroribus detur. Poterit tamen tempus attendi, dum est aliqua dubitatio circa aliquam ex regulis assignatis ; tunc enim aliqualiter erit tempus non omnino impertinens.

121. Ceterum, cum certum sit viam purgativam deserendam non esse usque dum purgatio activa perficiatur, omnia ea signa quae hanc purgationem perfectam ostendunt, signant etiam tempus quo anima in viam illuminativam intrare potest. De his ergo infra agemus, tunc-

(86) Ed. Crit., *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 11 ; t. I, pp. 150 sq.

(87) cf. S. Teresia, *Vida*, cap. 34, y 39 ; edic. crit., t. I, pp. 289 y 349-353.

que clarius constabit non incongrue definiri viam purgativam per ordinem ad activam purgationem, qua finita, anima ad contemplationem ascendit, cum qua et nos e via purgativa ad illuminativam festinamus.

SYNTAGMA TERTIUM

De via illuminativa, quae est secundus modus Deum in particulari sciendi.

122. Divisioni, quae est secunda pars modi sciendi dialectici, correspondet via illuminativa ; quia sicut divisio animam a corpore separat ut hac arte ignoti naturam ostendat, sic haec via caelestes virtutes secum trahit, quibus anima a terra vitiorum separata in Dei cognitionem tendit.

LECTIO PRIMA

123. Viam illuminativam possumus definire per hoc quod sit *Oratio manifestativa Dei per virtutum acquisitionem et passivam purgationem.* Postquam anima praeterita flevit et in eradicatione vitiorum passionumque moderatione profecit, incipit, clarescente die, sua felicitas coruscare ; siquidem Deum clarius vividiusque cognoscit, dum in eum media ipsius contemplatione rapitur. Quo intellectus ascensu accenditur voluntas, ut amet tam benignum Patrem. Unde D. Bonaventura sic definit istam viam in prologo *Theologiae mysticae* (1) : *Via illuminativa dicitur, qua mens cogitando ad amoris inflammationem accenditur.*

124. Et quamquam haec definitio huius viae naturam egregie exprimat, illam tamen aliam assignavimus, quia procedit per ea quae faciunt magis intelligibilem viam illuminativam ; nulli quippe nisi proficientibus convenit virtutibus speciali sollicitudine roborari purgationemque passivam experiri. Unde cum mens nostra eo meditato collinet (2) ut claritate possibili arcana haec proponantur ; ideo quidquid ad hoc idoneum visum fuerit, non relinquetur infectum.

125. Est et aliud caput inde consurgens, ut haec faciamus ; quia data definitio est brevissimum memoriale eorum quae viam illuminativam constituunt. Unde qui dictam definitionem retinent, praecipuum huius viae non ignorant ; siquidem illa ostendit ea in quibus exercentur proficientes.

126. Horum exercitium est purgatio passiva tam sensus, quam spiritus, de qua nihil modo ; eoque ad aliud exercitium in definitione expressum accedimus. Istud est virtutum acquisitio, quibus anima ornatur ut omnium Domino desponsetur. Ut in hac virtutum acquisitione recte procedant, tam discipulus quam director vires animae cognoscere debent, aliter miserabiliter cadent. Meminerint illius caelestis moniti Seraphicae Doctricis et Matris Nostrae, Mansione V, cap. 3 (3) : *La imaginacion es á donde el Demonio haze sus saltos, y engaños : á mugeres, y gente sin letras podrá hazer muchos ; porque no sabemos entender las diferencias de poten-*

(1) Ed. Peltier, t. VIII, p. 2. — Hoc opusculum numeratur inter *certe spuria,* eius auctor est FR. HUGO (alias HENRICUS) de BALMA, O. MINOR. cf. *Opera omnia S. Bonaventurae,* ed. Quaracchi, t. VIII, *Prolegomena,* cap. 3, art. 2, p CXI ; BENED. BONELLI, *Prodromus ad opera omnia S. Bonaventurae,* col. 677 sq, Venetiis, Bassani, 1767. Hoc opusculum non invenitur in editione Quaracchi. Causa cur hic tractatus olim D. Bonaventurae adscribebatur, videtur esse quod in variis codicibus opusculum *De triplici via ad sapientiam,* quod absdubio opus Seraphici Doctoris est, sub titulo *Mystica Theologia* invenitur. cf. Ed. Quaracchi, t. VIII, Prolegomena, cap. 1, §. 1, b) ; cap. 3, art. 2, pp. IX et CXI.

(2) « *collimet* » in antiquis editionibus.

(3) Ed. crit., t. IV, p. 89.

cias, é imaginacion, y otras mil cosas, que ay interiores. Est dicere : In imaginatione dolos praestigiasque suas daemon fabricat. Et specialiter hoc exsequitur cum mulieribus et idiotis, non enim cognoscunt numerum, indolem et differentias potentiarum, imaginationis et plurium aliorum quae intra nos sunt (4).

127. Audiant hoc et confundantur quotquot mysticorum non esse haec ex professo tractare crocitant. Non possumus horum disputationem texere ; non quia non iudicemus omnino necessariam, sed ob dicta numero 59 (5). Adhuc tamen non pauca dicam, praecipue ex iis quae philosophiam transcendunt ; in his enim non militat ratio illa, ob quam in philosophicis superfluum ducimus spatiari.

128. Virtutum ergo acquisitio est exercitium proficientium ; intellecto illo verbo *acquisitio* modo, quo numero 31 (6) dicebamus. Ast quamquam anima virtutibus ornetur, non est earum subiectum ; quia cum ipsa non sit immediate operativa, non est subiectum harum virtutum, sed in illis potentiis quas perficiunt, recipiuntur.

129. Potentiae propriae animae rationalis sunt in duplici differentia ; nam aliae conveniunt ipsi qua rationali, aliae vero secundum quod ea praestat quae formis brutorum sunt communia. Et hae dupliciter adhuc considerari debent : primo *secundum se,* secundo *prout coniunctae animae rationali.* Potentiae hae sensitivae *secundum se,* nec per infusionem, nec laboris industria aliquam virtutem recipiunt ; quia ipsae a natura habent quidquid requirunt ut operentur. Si autem sumantur *prout coniunctae,* adhuc dupliciter considerantur vel, ut proprius loquar, sunt in duplici differentia, nam aliae sunt supremae, aliae vero non. Si non sunt : nullum habitum recipere possunt, ut patet in sensibus externis. Si sunt in tali linea supremae, cum supremum infimi attingat infimum supremi, idem iudicium ferendum de illis est ac de iis quae animae prout rationali conveniunt. Potentiae propriae animae rationalis, qua talis, temporis decursu et per infusionem aliquid recipiunt quo in operationem exeant, sine quo vel nullo modo, vel difficillime operarentur : unde idem dicimus de potentiis propriis partis sensitivae supremis.

130. Potentiae propriae animae rationalis sunt intellectus et voluntas ; nam memoria, si secundum quod ad partem intellectivam pertinet sumatur, non differt ab intellectu ex I^{a} parte, quaest. 79, art. 7 et ex Complutensibus, *De anima,* disputatione 18, num. 6 (7). Intellectus est potentia cognoscitiva, voluntas vero appetitiva. In parte sensitiva sunt etiam supremae potentiae, aliae cognoscitivae et appetitivae aliae. Cognoscitivae sunt quatuor : videlicet, sensus communis, imaginativa, aestimativa et memoria. Appetitivae sunt duae : nempe, concupiscibilis et irascibilis, de quibus egimus numero 93 et sequentibus.

131. In omnibus his aliqui habitus de novo recipiuntur ut operentur. Verum est discrimen, quia habitus qui recipiuntur in potentiis cognoscitivis sensitivis, non possunt habere rationem virtutis ; quia cum virtus sit consummativa recti operis ex I^{a} II^{ae}, quaest. 56, art. 5 et verum quod hae potentiae respiciunt, non

(4) In I ed. legitur : « Dumtaxat inane et imaginarium quid ; in quo Diabolus dolos et insidias suas struit, quos mulieribus, atque indoctis multos, ac varios struere posset, utpote, quae quod potentiarum, et imaginationum sit discrimen, aliasque sexcentas res interiores intelligere nescimus ». — In editione vero Neapolitana : « Dumtaxat periculum in imaginatione est ; in qua Diabolus, dolos, et insidias struit ; et quidem in mulieribus, atque indoctis multos, et varios struere potest : utpote, qui, quod potentiarum, et imaginationum sit discrimen, aliasque permultas res interiores percipere nescimus ».

(5) Sic in antiquis editionibus ; locus cui alluditur est : Prolegom. VI, num. 39 et 59.

(6) num. 31-35 foret accuratior.

(7) i. e. COMPLUT. ABREV. seu IOANNES AB ANNUNTIATIONE, *Artium Cursus,* lib. III *De anima,* disp. 18, q. 1, num. 6 ; ed. 1670, t. IV, p. 308. — cf. COMPLUTENSES, *De anima,* disp. 19, q. 1. num. 5 sqq.; ed. Lugduni, 1637, pp. 493 sqq.

compleatur in illis, sed in solo intellectu ; propterea rationem virtutis habere non possunt isti habitus, nec ipsae potentiae subiectum virtutis esse possunt. Unde solum remanent quatuor potentiae in quibus virtutes, quae tales vere sunt, valeant subiectari. Potentiae istae sunt intellectus, voluntas, concupiscibilis et irascibilis.

LECTIO SECUNDA

132. Obiectum intellectus est ens verum tota sua latitudine, ingrediente veritate non ut ratione formali, sed ut conditione, ut docet D. Thomas, Iª parte, quaest. 16, art. 3, ad 3 et inibi Caietanus (8). Obiectum voluntatis est bonum in tota etiam latitudine sua apprehensum ab intellectu. Bonum etiam est obiectum concupiscibilis et irascibilis, at non apprehensum ab intellectu, sed bonum sensibile ; per ordinem ad quod diversificantur istae potentiae ab omnibus aliis ; inter se tamen differunt modo dicto numero 93.

133. Has ergo quatuor potentias subiecta diversarum virtutum esse dicimus; ita quod virtutes perficientes in ordine ad verum subiectantur in intellectu, perficientes autem in ordine ad bonum subiectantur in appetitu, ita taliter quod, si bonum in ordine ad quod perficiunt requirit ut conditionem propositionem intellectus, subiectantur in appetitu rationali ; eae vero quae respiciunt bonum sensibile, si illud absolute sumptum respiciunt, subiectantur in concupiscibili ; si vero illud respiciunt ut arduum, in irascibili.

134. Harum potentiarum actus ex se solum dicunt suam entitatem et speciem, nullam tamen, prout sic, dicunt rectitudinem aut deformitatem ; hanc quippe solum dicunt, quatenus procedunt a potentia informata aliquo habitu ; et recti sunt, quando habitus est rectus ; mali vero, si deformis. Mali habitus, quorum extirpationi purgatio activa navavit operam, cupiunt redire ac de novo in potentiis subiectari ; quod ut non assequantur, virtutes in via illuminativa exercentur.

135. Potentiae dictae quamvis conveniant in hoc, quod mediis suis actibus aequaliter sese ostendunt, observandum est tamen actiones appetitus sensitivi passiones dici, actiones vero intellectus voluntatisque operationes nominari. Et hoc non ideo est, quia priores potentiae non sint activae et in posterioribus sua passio non detur ; quippe, teste Philosopho (9), intelligere est quoddam pati ; et appetitus sensitivus vere appetit fugitque, quod activitatem sonat. Dicuntur tamen passiones actus appetitus, quia fiunt cum corporali transmutatione, ut vidimus numuro 96 ex D. Thoma, Iª IIªe, quaest. 22, art. 3 ; nomen vero operationis tribuitur actibus intellectus et voluntatis eo quod talem transmutationem non dicunt, utpote spirituales et organo non affixi.

LECTIO TERTIA

136. Ex dictis habetur requiri virtutes ut actus dictarum potentiarum rectificentur, ad quod omnino necessaria est horum actuum notitia ; sine illa enim nec discipulus progredi, nec magister eum valebit dirigere ; res enim omnino necessaria est ut possit unusquisque munus suum obire.

137. Igitur horum actuum exactam et

(8) cf. *S. Thomae Aq. opera omnia,* ed. Leonina, t. IV, p. 207.

(9) *De anima,* lib. III, cap. 4, num. 9 sqq.; ed. Didot, t. III, p. 468a ; Bekker, 429b, 25. — S. THOMAS, *in III de anima,* lect. IX; ed. Vivès, t. XXIV, pp. 163a-164b ; I, q. 79, art. 2, *sed contra.*

operosam notitiam ex nostris Salmanticensibus, *De virtutibus* (10) petenda est. Nos vero aliqua dicemus. Actus intellectus alii sunt speculativi et alii practici. Primi sunt tres illi actus, quos, dum Summulistam ageres, didicisti et explicant Complutentes (11) ; suntque simplex apprehensio, iudicium et discursus, quorum naturam et virtutem retinere debes ut contemplationis notitiam nanciscaris. Actus practici sunt in duplici differentia ; nam alii sunt practici per se, alii vero per accidens. Hi sunt ipsi actus speculativi, illis enim per accidens admiscentur actus voluntatis quo practici fiunt, ut cum applicat intellectum ad speculandum vel gaudet speculatione.

138. Practici per se ii sunt, qui per se ad practicam spectant, quae voluntatem erga bonum dirigit. Ex his alii versantur circa finem et alii circa media. Primi non habent aliud nomen nisi *iudicium practicum*. Ex his vero qui versantur circa media, prior est *consilium,* per quod media explorantur. Secundus dicitur *sententia,* qui cum omni rigore dicitur *iudicium practicum ;* hic ex pluribus mediis a *consilio* inventis eligit illud, quod hic et nunc iudicat magis idoneum; quod si per *consilium* unicum tantum medium inventum est, tunc non erit opus alterius iudicii praeter illud, quod in ipso consilio clauditur. Ultimum sequitur *imperium* et est actus omnibus aliis perfectior ; eo siquidem dirigitur voluntas ad exsecutionem operis et ad illum iudicium et consilium ordinantur.

139. Actus voluntatis alii respiciunt finem, alii vero media. Ex primis prior est *simplex volitio,* qui potentiae nomine dicitur voluntas ; et illo amatur finis absolute et sine respectu ad media nec ad consecutionem. Secundus actus est *complacentia,* qui supra affectum prioris addit imperfectam quamdam fruitionem finis, quem in apprehensione incipit possidere. Tertius est *dilectio* et addit unionem inter amantem et amatum quatenus unum reputantur. Quartus est *intentio* et respicit finem ut per media consequibilem. Quintus est *fruitio* et *quies* in fine adepto vel secundum rem et sic est perfecta, vel secundum apprehensionem et sic est imperfecta.

140. Ex iis quae media respiciunt, primus est *consensus,* quo voluntas media omnia a ratione proposita sine alicuius exclusione approbat, quod dicitur *consentire*. Secundus est *electio,* quo voluntas ex mediis propositis approbatisque unum aut aliqua assumit, illud aut illa aliis praeferendo ; et quod eligit, est quod solum exsecutioni mandatur. Si vero *consilium* non plura, sed unicum tantum medium proponit ; tunc consensus et electio non sunt duo realiter actus, sed idem, qui ut approbat est consensus, et ut praefert aliis quae non placent, est electio. Tertius est *usus,* quo voluntas applicat alias potentias ad operandum. Dividiturque in activum, qui est ipse actus elicitus a voluntate ; et passivum, qui elicitur ab aliis potentiis ex applicatione et imperio voluntatis ; et hinc provenit celebris illa divisio actuum in elicitos imperatosque.

141. Hi sunt actus intellectus et voluntatis,quos debet conprehendere magister ut sobrie suum ministerium impleat. Observetque quod in voluntate pro quavis actuum serie ponitur unica virtus ; quia cum virtus sit boni operis consummativa (12) et bonum voluntatis non compleatur usque ad assecutionem finis ; propterea una sola virtus perficit omnes voluntatis actus. In intellectu autem aliter res se habet ob oppositam rationem; unde pro diversis actibus, etiam in eadem serie, ponuntur diversae virtutes ; quia rectitudo intellectus in quovis horum actuum habet suum complementum. Sic edocemur a D. Thoma, IIª IIᵃᵉ, quaest. 51, art. 2. Vide nostros Salmanticenses in elucidatione art. 6, Iª IIᵃᵉ, quaest. 57 (13).

(10) *Tractatus XII : De virtutibus ;* ed. V. Palmé, t. VI. Cf. infra *Appendix.*

(11) *Logica,* summulae, prooem., ed. Francofurti 1629, p. 2.

(12) Ia IIae, q. 56, a. 5.

(13) Id est : *Tract. XII : De Virtutibus,* ed. V. Palmé, t. VI, pp. 291 sqq.

LECTIO QUARTA

142. Ut autem materia haec melius percipiatur, eius praxim proponemus. Ordinem quem inter se servant actus voluntatis et intellectus texentes. Sit finis ipsa *virtus,* cuius bonitatem posse debereque omnes nostras potentias movere nemo ignorat.

143. Igitur relate ad hunc pulcherrimum finem primus actus qui in nobis datur est *iudicium* minus rigorose tale, quo intellectus finis bonitatem absolute et sine ordine ad media proponit ; unde medio hoc actu proponit intellectus bonitatem virtutis ; huic correspondet ex parte voluntatis *simplex volitio,* qua *virtus* sine ordine ad media amatur. Sequitur etiam ex parte voluntatis *simplex complacentia,* qua voluntas sibi complacet de eo quod iam aliquomodo possidet, hoc est, in apprehensione. Adhuc ex parte voluntatis sequitur dilectio, qua amans virtutem reputat eam quasi idem sibi. Ad istum actum sequitur ex parte etiam voluntatis *imperfecta fruitio,* quae est delectatio seu quies in fine in apprehensione adepto.

144. Nec mireris ad unicum actum intellectus, scilicet *iudicicium,* sequi ex parte voluntatis tot actus ; nam hoc evenit, vel quia inter quemvis actum voluntatis mediat illud primum iudicium proportionans se cum actu, cui immediate praecedit. Unde sicut iudicium de bonitate praecedit simplicem volitionem; ita ad hanc sequitur ex parte intellectus iudicium, quo voluntati proponitur debere sibi complacere de fine iam aliqualiter possesso, ad quod iudicium sequitur in voluntate *simplex complacentia.* Vel evenit, quia ex quo voluntati proponitur bonitas finis, efficacia talis propositionis tanta est, ut ea sola et virtus ametur, et voluntas sibi in ea complaceat, et diligatur, et imperfecte fruatur. Et hoc secundum iudicamus verius.

145. Ad hos omnes actus sequitur in intellectu *iudicium practicum* magis proprie tale, quo iudicatur de convenientia virtutis ut per media consequibilis. Et correspondet in voluntate *intentio,* qua ipsa in virtutem ut per media consequibilem fertur. Sequitur in intellectu *consilium,* quo explorantur media quibus virtus consequatur ; et correspondet in voluntate *consensus,* quo consentit et media approbat. Sequitur in intellectu *sententia* seu *iudicium practicum* cum omni proprietate tale, quo ex omnibus mediis propositis et approbatis quod magis conveniens iudicatur, eligitur ; huic in voluntate correspondet *electio,* qua eligitur medium illud quod proponitur. Sequitur in intellectu *imperium,* quo dirigitur voluntas ut opera faciat quibus virtutem obtineat, quod facit per actum qui vocatur *usus,* activus scilicet et passivus ; qui quidem est actus voluntatis applicans alias potentias ad operandum et actus ipsarum potentiarum. Insuper correspondet *possessio* et *consecutio* finis per intellectum, tandemque sequitur *fruitio perfecta* in virtute secundum rem adepta.

LECTIO QUINTA

146. Debent animarum directores omni sollicitudine vigilare in discernendo veras virtutes a vitiis, ait D. Gregorius, II[a] parte *Past.,* cap. 9 (14) ; quod facere non possunt quin ipsas cognoscant. Immo ut discipuli virtutes ament, opus est ut illas non ignorent. Non enim potest voluntas in incognitum ferri. Unde de virtutibus agendum nobis est quae actus nuper dictos informant. Non est instituti nostri hanc materiam plena manu tractare, sed aliqua dicere obligamur ut virtutum notitia utcumque haberi possit.

(14) *Regulae pastoralis liber,* Parte II, cap. 9 (al. 20) ; Migne, P. L., t. 77, col. 44 : *Necesse est ut rector animarum virtutes ac vitia vigilanti cura discernat.*

147. Virtus ergo definitur a Magistro in II *Sent.*, dist. 27 (15), per hoc quod sit : *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Quam definitionem adducit et approbat D. Thomas, I^{a} II^{ae}, quaest. 55, art. 4 (16). In illa particula *qualitas* habet rationem generis, per quam convenit virtus cum omnibus illis qualitatibus quae virtutes non sunt. Et licet qualitas sit genus remotum relate ad virtutem, potuit haec per illam definiri, quia, ut docet Aristoteles, II *Topicorum*, cap. 2 (17) recte definitur homo, sive dicatur *animal rationale*, sive *vivens sensibile rationale ;* cum per illam differentiam *sensibile vivens*, quod est genus remotum ad hominem, fiat illi proximum ; quod idem evenit in nostro casu. Subsequentes enim particulae omnes habent rationem differentiae, quibus completur adaequata definitio. Ly *bona* explicat differentiam virtutis a vitio et aliis qualitatibus rem male disponentibus. Per particulam *mentis* differt ab habitibus bonis corporeis, ut sanitas. Unde ly *mentis* designat virtutis subiectum esse potentias rationales quae tales sunt essentialiter, ut intellectus et voluntas, et etiam participative, ut potentiae sensitivae illae de quibus egimus numeris 130 et 131 in fine. Similiter poteris dicere per eandem particulam differre virtutem a gratia habituali ; quippe subiectum huius est anima, quae, ut asserunt nostri Salmanticenses, tract. XII, disp. 1, num. 62 (18) non hic intelligitur nomine *mentis*. Unde sicut per hanc particulam differt a qualitatibus quarum subiectum est corpus, sic et ab illa quae non in potentiis animae, sed in anima ipsa subiectatur.

148. Dicitur etiam *qua recte vivitur*, unde signat virtutem esse principium proximum operandi ; non enim sumitur pro esse, sed pro operari ; per quod adhuc differt virtus a qualitatibus quae non sunt operativae, ut sanitas et aliae ; etiam a gratia quae non est immediate operativa. Insuper differt a donis Spiritus Sancti ; his enim recte vivitur per instinctum seu illustrationem extraordinariam eiusdem Spiritus Sancti. Virtute vero recte vivitur non transcendendo omnes regulas communes, sed sequendo dictamen rationis per prudentiam perfectae. Additur *qua nullus male vivitur*, per quod differt ab illis habitibus seu qualitatibus quibus potest quis uti male, ut sunt opinio, fides humana, character et similes. Per particulas suprapositas definitur virtus acquisita ; ut autem definitio conveniat virtuti infusae,

149. Additur *quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Nam virtutes acquisitas nobiscum Deus operatur, infusas vero sine nobis ; hoc est, virtutes acquistas acquirimus gratia Dei active concurrentes ad earum productionem ; ast infusas solus Deus effective causat concurrentibus nobis solum materialiter et dispositive ; per quod patet sufficiens differentia has inter virtutes et omnium earum ab aliis qualitatibus quae virtutes non sunt.

LECTIO SEXTA

150. Multipliciter dividitur virtus, ut passim apud auctores reperies, ex quibus duas solum divisiones proponam. Primo dividitur in politicam, purgatoriam et purgati animi. Divisionem hanc tradit D. Thomas, I^{a} II^{ae}., quaest. 61, art. 5. Divisum huius divisionis non est virtus ut sic, sed virtus moralis ; propterea que D. Thomas solius virtutis cardinalis meminit dum tradit hanc divi-

(15) i. e. PETRUS LOMBARDUS (alias MAGISTER SENTENTIARUM), II *Sent.*, dist. 27 ; *Opera omnia D. Thomae*, ed. Vivès, t. VIII, p. 359b : *Bona qualitas mentis qua recte vivitur, et qua nullus male utitur, quam Deus solus in homine operatur.*

(16) Et etiam II *Sent.*, dist. 27, q. 1, a. 2 ; ed. Vivès, t. VIII, pp. 364-366.

(17) Sic in antiquis editionibus ; sed requiritur : *VI Topicorum*, cap. 5, num. 5 ; ed. Didot, t. I, p. 241 ; Bekk., 143a, 22.

(18) *Tract. XII : De virtutibus*, disp. 1, dub. 4, §. 1, num. 62 ; ed. V. Palmé, t. VI, p. 226.

sionem, ut patet ex titulo articuli praecitati ; quod non ideo fecit, quia sentiret solas virtutes cardinales sub illa divisione comprehendi, sed quia ad virtutes cardinales reducuntur omnes virtutes morales ex eodem Angelico Praeceptore in prologo II^{ae} II^{ae}. Unde idem est virtutes cardinales dividere ac morales.

151. Insuper debes cum Caietano (19) observare, quod data divisio *non est virtutum secundum essentiam ; sed secundum statum, et actus perfectionem.* Quare eaedem virtutes prout in uno statu sunt politicae et prout in alio sunt purgatoriae aut purgati animi. Unde D. Thomas citatus ad 2 (20) ait : *Politicae virtutes moliunt passiones, id est, ad medium reducunt ; purgatoriae auferunt : tertiae, quae sunt purgati animi, obliviscuntur.* Ex quibus habes bene dixisse nostrum Ioseph a Spiritu Sancto in sua *Catena mystica,* col. I, prop. 8, r. 2 (21) : virtutes politicas esse proprias incipientium, purgatorias ad proficientes attinere, purgati autem animi ad perfectos spectare. Unde ipsae virtutes quas homo habet ante purgationem activam et in ipsa purgatione, sunt politicae. Eae vero quae purgationem passivam non supponunt, purgatoriae sunt; ac denique illae quae tam ad activam quam ad passivam purgationem sequuntur, sunt virtutes purgati animi. Vide dicta numero 29, quia ex his illa percipies et ex illis ista facillime penetrabis.

152. Aliter dividitur virtus in theologicam, intellectualem et moralem. Virtus theologalis habet Deum immediate pro obiecto, relate ad quem potentias perficit; illa siquidem Deo iungitur mens humana ex D. Thoma, I^{a} II^{ae}, quaest. 68, art. 4 (22). Virtus haec theologica est triplex, scilicet Fides, Spes, Caritas ; quae superant perfectionem omnium aliarum virtutum ; immo et donorum perfectionem excedunt, ut docet D. Thomas, loco citato et II^{a} II^{ae}, quaest. 9, art. 1, ad 3.

153. Fides ex D. Paulo, *Ad Hebraeos,* XI (23), est *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur *substantia,* tametsi accidens sit ; quia ex D. Thoma, II^{a} II^{ae}, quaest. 4, art. 1 in corpore, *substantia solet dici prima inchoatio cuiuscumque rei, et maxime quando tota res sequens continetur virtute in primo principio.* Quiaque fides est primum fundamentum basisque totius supernaturalis fabricae, propterea dicitur *substantia.* Dicitur *rerum sperandarum,* licet spes non dicatur rerum credendarum ; quia omne quod spe theologica speratur, creditur ; sed non e contra, cum Verbum divinum carnem sumpsisse credamus, non autem speremus. Quippe spes solummodo ad futura extenditur ; fides vero etiam ad praesentia praeteritaque terminatur. Dicitur *argumentum,* non quia argumentativa sit, sed quia sicut demonstratione convincitur intellectus ad assentiendum conclusionibus, sic fide captivatur ut assensum praestet revelatis rebus. Dicitur *non apparentium* quia, ut patet ex *Ad Romanos,* VIII (24), *quod non videmus, speramus.*

154. Per se loquendo non datur fides sine spe, quamquam per accidens dari possit, ut patet in his qui desperant. Subiectum fidei est intellectus. Ex quo tamen non sequitur ipsam esse virtutem intellectualem : ait enim D. Thomas, III *Sent.,* dist. 23, quaest. 2, art. 3, quaest^{la} 3, ad 1 (25) : *Non omnem habitum, qui habet pro subiecto intellectum posse dici virtutem intellectualem, nisi perficiat intellectum et quantum ad obiectum, et*

(19) *In Iam IIae,* q. 61, art. 5, §. 1 ; *S. Thomae Aq. opera omnia,* ed. Leonina, t. VI, p. 399a: *non est distinctio virtutum secundum essentiam ;...*

(20) Ia IIae, q. 61, a. 5, ad 2 ; ed. Leonina, t. VI, p. 399a: « Unde Plotinus dicit quod *passiones politicae virtutes molliunt,* id est ad medium reducunt ; *secundae,* scilicet purgatoriae, *auferunt ; tertiae,* quae sunt purgati animi, *obliviscuntur* ».

(21) *Cadena mystica carmelitana,* col. I, prop. 8, resp. 2 ; ed. 1678, p. 52b.

(22) ad 3.

(23) v. 1.

(24) v. 25.

(25) Ed. Vivès, t. IX, p. 361a.

quantum ad modum actus. Et licet fides perficiat intellectum quantum ad obiectum, scilicet dirigens illum ad verum, non autem quantum ad modum actus ; quia modus proprius actus intellectus est clare procedere, quod omnino repugnat fidei ; atque adeo virtus intellectualis non est, de cuius ratione est, quod clare procedat quantum est ex parte sua. Quod dicimus propter theologiam, quae licet in viatoribus obscure procedat, hoc tamen est per accidens ratione status ; in patria autem aliter procedet ; quod de fide verificari nunquam potest, quia accedente lumine perit.

155. Spes definitur per hoc quod sit: *Habitus infusus, quo voluntas firmiter tendit in Deum, ut in bonum arduum futurum consequi possibile ipsius Dei auxilio* (26). Quae definitio clarissime huius virtutis naturam ostendit, praesertim suppositis quae circa spem, quae est passio appetitus, diximus numeris 99 et 104.

156. Caritas est virtus *qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum, et in Deo*. Sic Magister in III *Sent.*, dist. 27 (27) ; ex qua definitione habetur obiectum caritatis esse Deum et proximum. Deus est obiectum primarium, cum per se et propter se attingatur a caritate. Proximus autem est obiectum secundarium, cum attingatur propter Deum. Haec virtus omnium est virtutum regina, cuius imperio subsunt. Illaque constituuntur tres illae viae, per quas in praesenti ambulamus (28).

157. Virtus intellectualis est, quae perficit intellectum in ordine ad verum ; dividiturque in intelligentiam, sapientiam, scientiam et artem. Omnes illae in intellectu subiectantur, illum dirigunt iuxta modum ipsius intellectus ; eoque intellectuales dicuntur. De his virtutibus non plura dicemus, tum quia parum conducunt ad nostrum propositum, tum quia earum notitia habetur apud nostram *Logicam Complutensem,* disputatione 20 (29).

158. Virtus moralis dicitur a *more ;* quod nomen significat inclinationem ad aliquid ; quiaque hoc quod est ad aliquid inclinari est proprium potentiae appetitivae, quae ex natura sua fertur ad res, ut passim adstruit D. Thomas (30) ex Augustino in illo notissimo dicto, quod iam in paroemiam abivit : *Amor meus pondus meum, eo feror quocumque feror* (31) : propterea virtus moralis illa dicitur, quae dependenter a prudentia et eius regulis perficit appetitum et in ipso subiectatur.

159. Virtus moralis dividitur in acquisitam et infusam. Quid autem sit virtus acquisita infusaque diximus numero 147 (32). Virtutes infusae infunduntur omnes simul cum gratia ; adeoque connexae sunt cum caritate, ut nec sine caritate dari possint, nec caritas sine illis, ut docet D. Thomas, quaest. 4 *De virtutibus,* art. 2 (33). Virtutes acquisitae in statu perfecto etiam dependent a caritate ; si vero sumantur quoad essentiam, possunt sine caritate dari, cum videamus peccatores faciliter elicientes harum virtutum actus.

160. Haec sufficiant pro utcumque ostendenda virtutis pulchritudine ; qui plura voluerit, adeat inter scholasticos nostros Salmanticenses in *Arbore virtutum* (34) et inter mysticos nostrum Ioannem a Iesu Maria in *Schola orationis,* tractatu VI (35). Ubi omnia haec plene planeque discussa reperiet.

(26) Salmanticenses, *Arbor praedicamentalis virtutum,* num. 18 ; ed. V. Palmé, t. VI, p. 425a : *Habitus infusus, per quem voluntas...*

(27) Ed. Vivès *Operum omnium D. Thomae,* t. IX, p. 417a : *Caritas est dilectio qua diligitur Deus propter se, et proximum propter Deum vel in Deo.*

(28) cf. IIa IIae, q. 24, a. 9 et q. 183, a. 4, ad 1. — cf. supra num. 39.

(29) disp. 19 et 20 ; Francofurti, 1629, pp. 397-438. — Complut. Abbrev., *Logica,* disp. 19 et 20 ; ed. Lugduni, 1670, t, I, pp. 444-485.

(30) Ia IIae, q. 58, a. 1.

(31) *Confessionum* lib. XIII, cap. 9 ; Migne, P. L., t. 32, col. 849 : *Pondus meum amor meus ; eo...*

(32) num. 147-149.

(33) Ed. Vivès, t. XIV, p. 303.

(34) Ed. V. Palmé, t. VI, pp. 408-510.

(35) *Schola de oratione et contemplatione..., tract. VI, De Virtutibus ; Opera omnia,* ed. Coloniae Agrippinae, 1650, t. II, pp. 581a-590b ; ed. Florentiae, t. II, pp. 537b-546a. — Cf. infra *Appendix.*

STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE

LECTIO SEPTIMA

161. Omnes dictae virtutes pertinent ad omnes tres status viae perfectionis. Verum ut purgatoriae sunt, sunt propriae viae illuminativae ; unde ad eum attinet in acquisitione harum virtutum laborare ; proptereaque per ordinem ad hanc acquisitionem definitur. Cum autem director viderit discipulum magno desiderio proficiendi in virtute affectum, tunc credere potest virtutem in eo esse eo perfectionis gradu, qui proprius est huius status ; quippe ea est virtutis pia indoles, ut semel possessa gustataque corda gustantium inflammet, ut illam magis ac magis degustent (36).

162. Ut autem prudens iudicium efformet, exploret, si discipulus prompte delectabiliterque eos virtutum actus eliciat, quos prius non nisi difficulter eliciebat ; siquidem est vox expertissimi Bernardi, *Epistola* 72 (37) : *Absque dubio virtutem habet, qui non se difficilem, et morosum ad eius opera, sed agilem, et expeditum advertit.* Quod ut non obscure cognoscat, videat, si discipulus caret vitiorum molestissima lucta et passionum importuno tumultu. Quia cum sit de ratione virtutis reprimere vitia contraria et elicere actus proprios, cum hos elicit sine illorum pugna, est signum certum vitia repressa passionesque moderatas esse ; atque adeo tunc virtus perfecte dominatur exterminatis contrariis. Hocque est totum proficientium exercitium.

163. Proficientium enim est propria contemplatio, ad quam habendam omnino requiruntur virtutes ; quod de theologicis nemo dubitare potest. De moralibus vero idem asserendum est ; quia licet illae virtutes pertineant essentialiter ad vitam activam, dispositive tamen ad contemplativam pertinent ; quia, ut ait D. Thomas, II^a II^{ae}, quaest. 180, art. 2 : *Virtutes morales impediunt vehementiam passionum, et sedant exteriorum occupationum tumultus.* Unde cum contemplatio sit summa quies animae profundumque ipsius silentium, quacumque inordinata commotione perturbatur. Indidemque convincitur conducere ad exercitium contemplationis virtutes morales, quae removent hoc quod prohibet contemplationem. Cuius natura proprietatesque infra commodius aperientur. Dictisque habes ea in quibus via illuminativa consistit ; purgationeque passiva in alium locum, ut saepe dixi, relicta.

SYNTAGMA QUARTUM

De via unitiva, quae est tertius modus particularis Deum sciendi.

164. Sicut argumentatio est inter modos sciendi dialecticos perfectior, quia in eam alii ordinantur, sic et via unitiva perfectior est inter mysticos modos sciendi ; in illam quidem aliae viae, ut sint viae perfectionis, referuntur. Et hoc est primum caput similitudinis versantis hos inter modos sciendi. Insuper sicut argumentatio unum ex alio deducit sicque subiecti proprietates ostendit ; ita via unitiva Dei ineffabiles proprietates contemplandas proponit. Denique in argumentatione propter identitatem extremorum habitam cum medio in praemissis uniuntur maior minorque extremitas in conclusione ; quae unio in argumentatione perfectissima evenit per hoc quod minor extremitas subiiciatur subsitque extremitati maiori. Quod certe datur in via unitiva, eo unitiva dicitur ; quippe post tot toleratos labores, post tot praecedentium viarum exercitia, in hac unitur

(36) « *Degustet.* » in I et Neapol. ed.

(37) Perlustratis omnibus S. Bernardi epistolis tum genuinis, tum dubiis ac spuriis locum hunc invenire non potui apud Migne, P. L., t. 182.

minor extremitas cum maiori ; anima scilicet cum Deo, ei omnimode subiecta. De hac supereminenti via locuturus pauca dicam ; quia postmodum de oratione unionis, quae est specialis orationis species ad hanc unitivam viam attinens, acturus sum.

LECTIO PRIMA

165. Quae hactenus dicta sunt, sunt dispositiones ad dicenda ; quippe via purgativa illuminativaque disponunt animam ut viam unitivam ingrediatur. Via unitiva potest dici : *Oratio manifestativa Dei per aestuantissimum studium ad osculum oris ipsius.* Meta huius viae subindeque totius perfectionis est intima unio cum Deo. Hanc anima desiderat ex quo viam spiritus ingreditur. Non tamen eodem modo in omnibus statibus afficitur hoc desiderio ; quippe in incipientibus et proficientibus et tepidum est, et non ita purum, cum adhuc per ignem et aquam purgationum non transierint. Insuper quia incipientes occupati sunt in pugna culparum ; proficientes vero in acquisitione virtutum ; quae occupatio est eis propriissima et principalissima ; atque ideo non respiciunt immediate unionem, sed disponuntur ad illam. Perfecti autem cum iam passiva spiritus purgatione examinati sint, totis viribus in hanc unionem tendunt, quam immediate respicit quidquid operantur. Unde tametsi exerceantur in heroico virtutum exercitio (de quo nostrates affatim in praesenti agunt), hoc exercitium non est eorum cura praecipua, sed caelestis illa unio; quippe verbo et opere anima in hoc felicissimo statu constituta clamat : *Mihi adhaerere Deo bonum est, et ponere in Deo meo spem meam* (1). *Quid mihi est in Coelo, et a te quid volui super terram* (2) *? Deus cordis mei* (3). *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris, et deosculer te, et iam me nemo despiciat* (4). *Dilectus meus mihi, et ego illi* (5). *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur* (6). Tandemque, ne multus fiam, si plura scribo, inquit : *Osculetur me osculo oris sui* (7). Haec eius mens, ipsius hoc studium ; quod dum assequitur, sitibunda quaerit, queritur palabunda. Nec mirere; quia plurimo sole acta, sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita Deum suum desiderat fontem vivum, aquas propinantem in vitam aeternam salientes, quas, qui hauserit, in aeternum non sitiet, quamquam sitiat (8).

166. Ex dictis nota manet congruitas datae definitionis. Dicitur enim via unitiva *Oratio manifestativa Dei,* et in hoc convenit cum viis praecedentibus ; ab iis tamen differt per subsequentes particulas ; quod ut noscas, scire debes ex D. Bernardo, *sermone 52* (9), animam perfectionem inhiantem triplici modo singularissimo ad suum dilectum accedere, quem *osculi* nomine exprimit mellifluus Pater. Primum osculum dicit esse *osculum pedis ;* secundum *osculum manus ;* tertium denique *osculum oris.* Et ipse D. Bernardus, cuius est haec divisio et nominatio, applicans singula singulis ait : quod *osculum pedis* est proprium incipientium, qui peccata sua deplorantes ad pedes Domini procumbunt enixe veniam petentes. Similiter asserit *osculum manus* esse proprium proficientium, qui virtutum splendore aurei, iam intra amicorum classem, vocati e servorum numero, numerantur ; subindeque a pedibus ad manus ascendunt. *Osculum oris,* ait Bernardus, est unio illa divina,

(1) *Ps.* 72, v. 28 ; ed. Hetzenauer, p. 524 : *Mihi autem adhaerere Deo bonum est : ponere in Domino Deo spem meam.*
(2) *Ps.* 72, v. 25 ; *ib.* : *Quid enim mihi est in caelo ? et...*
(3) *Ps.* 72, v. 26.
(4) *Cant.,* c. VIII, v. 1.
(5) *ib.,* c. II, v. 16.
(6) *ib.,* c. I, v. 12.
(7) *ib.,* c. I, v. 1.
(8) cf. *Ps.* 41, v. 1 ; *Ioan.,* c. IV, v. 13 et 14.
(9) *Serm. IV in Cantica ;* Migne, P. L., t. 183, col. 796-798.

qua supremus omnium Dominus animae copulatur ; non iam ut Dominus cum servis incipientibus ; nec ut amicus cum amicis proficientibus ; sed ut pientissimus sponsus cum sua dilectissima sponsa, quae deliciis affluens innixaque super dilectum suum (10) fortiter illum apprehendit tenetque, nec dimittet (11), quia aquae multae non poterunt extinguere hanc ferventissimam caritatem (12), nec flumina obruent illam ; est enim fortis ut mors dilectio haec (13).

167. Unde particulae illae per *aestuantissimum studium ad osculum oris ipsius* non incongrue huius viae naturam declarant ; in ea siquidem considerari debet terminus et medium per quod in illum terminum itur. Terminus est unio ipsa ; medium vero est totum illud spatium, in quo anima est ab ingressu in statu perfectorum usquedum Deo unitur. In cuius spatii progressu unionem tametsi non habeat, ambit sub nomine *osculi oris* dicens : *osculetur me osculo oris sui* (14). Quare tradita definitio per propriissima definiti eius naturam ostendit.

LECTIO SECUNDA

168. Omnibus huic sacratissimae unioni inhiandum est et praecipue iis, quorum est in perfectionem ire et die ac nocte in orationibus vigilare. Quamobrem, carissimi, estote fortes in bello et pugnate vigiles cum antiquo serpente (15) vos veneno suae invidiae ab hac felicitate retrahere sollicitante. Nec vos deterreat asperum certamen, quod aggredimini ; sed introspicite fastigium, in quod vocamini. Durissimi sunt, fateor, labores, quos ambientes hanc felicitatem perpetiuntur, si absolute aut in seipsis considerentur ; sed disparent futilissimi, si cum fine quem apprehendunt, conferantur. Audite divinum oraculum apud *Isaiam*, cap. LV (16), dicens : *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum properate, emite et comedite. Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum, et lac.* Quod sic exponit D. Thomas ibi (17) : *Haec mystice exponuntur de aqua divinae sapientiae, quae gratis sitientibus datur.*

169. Quibus verbis omnes et speciatim eos qui eius angelico magisterio gloriamur, invitat Angelicus Magister ad hanc felicissimam unionem, eamque sub nomine scientiae proponit ut nos in illam alliciat. Quippe homo insignitur naturali appetitu ad scientias in easque maiori pondere debet ferri, quae appetibiliores sunt; unde cum nulla alia sapientia sit magis aut aeque appetibilis ac haec, quae nos cum Deo summo bono intime unit in ipsumque nos transformat ; propterea hanc ipsam sapientiam nobis desiderare debemus eam omnibus divitiis et deliciis praeferentes.

170. Si autem roges quo labore haec sapientia addiscitur ? Respondebo : illo ipso, quo aqua bibitur , ideo Isaias illam dicit aquam : *Venite ad aquas.* Est tamen considerandum quod aqua potest vel ad sitientes referri, vel ad non sitientes comparari. Si ad sitientes comparatur, avide et facile bibitur, quamquam in sordido vasculo propinetur. Non sitientes vero aquam vel limpidissimam renuunt. His labor est aqua ; illis vero deliciae ; proptereaque Isaias non quoscumque ad has aquas vocat, sed solum sitientes invitat : *Omnes sitientes;* ut noscas, quod tibi sitienti aqua haec vel in augustiis contenta, contemptum non provocat, sed amorem ; tibi autem non sitienti nauseam offert, non delicias.

(10) *Cant.*, c. VIII, v. 5.
(11) *Ib.*, c. III, v. 4.
(12) *Ib.*, c. VIII, v. 7.
(13) *Ib.*, c. VIII, v. 6.
(14) *Ib.*, c. I, v. 1.
(15) *I Petri*, c. V, v. 8 et 9.
(16) v. 1.
(17) Ed. Vivès, t. XIX, p. 37a : *Haec autem mystice...*

Unde si illam sitires, minime pressuras, quas, dum premeris, pateris, patereris. Habet sitis haec vim divinam transmutandi : illa, veluti virga Moysi ostensa, aquae *Mara* dulcescunt (18) et sine illa vel ipsam dulcedinem amarissimam reputabis.

171. Si ulterius inquiras quo pretio haec sapientia comparatur ? Respondet Isaias : nullo, *absque argento,* et D. Thomas, *gratis* ; ut nemo ab acquisitione huius sapientiae excusetur, offertur gratis. Unde quotquot ad illam venire recusant inexcusabiles sunt. Vellem certe omnes semper in conspectu habere opusculum LXI et LXIII D. Thomae (19), ut noscerent huius unionis altitudinem pulchritudinemque et quomodo in ipsam debent toto conatu tendere.

172. Verum est, quod citatus D. Thomas, praesertim opusculo LXIII, loquitur de unione, qua in beatitudine Deo copulantur beati ; ast etiam verum est ex ipso Angelico Praeceptore, quem adducit noster Philippus a Sanctissima Trinitate iam citandus, hanc unionem esse in hac vita animae felicitatem et beatitudinem inchoatam. De quo videatur dictus noster Philippus tertia parte *Theologiae mysticae,* tract. I, art. 5 (20) ; nostrum *Mysticum directorium,* tract. IV, disp. 1, sect. 5 (21).

LECTIO TERTIA

173. Aliqua diximus lectione praecedenti, quae practice voluntatem moveant ad appetendam efficaciter hanc unionem, quae vitae unitivae meta est. Modo vero illam scholastice proponam, ut illam ex omni parte intellectus cognoscat indidemque moveat prorsus voluntatem.

174. Solet mystica unio vel solo suo nomine non capientes terrere, cum certe non sit adeo arduum eius naturam percipere. Igitur unio haec est duplex, scilicet intellectualis et affectiva. Prima est qua intellectus media fide seu dono aliquo Spiritus Sancti Deo unitur. Affectiva est qua voluntas unitur ipsi Deo media caritate. Hoc et nihil aliud est ista mystica unio. Anima siquidem ut Deo uniatur, uti debet his duabus potentiis et ipsarum actibus. Quiaque intellectus et voluntas, si nude accipiantur, nequeunt enti supernaturali uniri ; propterea requirunt formam elevantem, quae etiam sit principium actus supernaturalis, quo actu actu fiat unio haec. Haec forma in intellectu est fides aut aliud donum altius ; in voluntate vero est caritas. Verum istae potentiae ita uniuntur, ut una non possit mystice uniri sine alia. Voluntas non potest uniri quin uniatur intellectus ; et hoc tam mystice quam absolute ; quia cum unio voluntatis nihil aliud sit quam amare, debet praesupponi cognitio intellectus, voluntas enim solummodo in bonum cognitum tendit ; unde qui cognitionem aufert, aufert et volitionem. Intellectus licet possit uniri, hoc est cognoscere, quin voluntas amet ; hoc non erit unio mystica, de qua loquimur, ad quam requiritur quod idipsum quod intelligit intellectus, amet voluntas.

175. Quod ut penitius calleas, scire debes multipliciter posse Deum uniri creaturae. Primo sicut cognitum cognoscenti ; quae unio licet maxima sit, ut ex Aristotele et D. Thoma ostendunt nostri Complutenses, libro tertio *De anima,* disp. 17, quaest. 4 (22), non tamen est ad rem nostram, siquidem haec unio est valde generalis cuicumque cogno-

(18) *Exod.,* c. XV, v. 23-25.

(19) scil. Opusculum *De dilectione Dei et proximi,* in ed. Vivès opusc. LIV, t. XXVIII, pp. 324-394 ; et opusculum *De Beatitudine,* in ed. Vivès opusc. LVI, t. XXVIII, pp. 404-425.

(20) *Summa theologiae mysticae,* P. III, tr. I, disc. 1, art. 5 ; ed. 1874, t. III, pp. 37-43.

(21) Antonius a Spiritu Sancto, *Directorium mysticum,* tr. IV, disp. 1, § 5 ; ed. 1904, pp. 445-447.

(22) i. e. Complut. Abbrev. seu Ioannes ab Annuntiatione, ed. Lugduni, 1670, t. IV, pp. 289 sqq. — Complut., *De anima,* disp. 18, q. 4 ; ed. Lugduni, 1637, pp. 468 sqq.

scenti. Secundo unitur creatura Deo ut Deus est et hoc adhuc multipliciter ; nam potest uniri unione naturali et unione supra naturam. Unione naturali unitur Deus tripliciter creaturae. Primo per essentiam in quantum substantia Dei est intime in creatura. Secundo per praesentiam quatenus omnia sunt in conspectu eius aperta. Tertio per potentiam quatenus ipsius dominio omnia subsunt. Haec unio etiam communissima est, illa siquidem unitur Deus omnibus rebus.

176. Unio supernaturalis alia est substantialis et accidentalis alia. Prima est qua Deus substantialiter unitur creaturae ; et haec est propria et singularis Christi Domini, cuius humanitati sanctissimae unitus fuit substantialiter Deus, quae unio non est mystica, sed hypostatica. Unio accidentalis est quae fit medio dono aliquo accidentali ; quae adhuc duplex est, scilicet habitualis et actualis. Prima fit medio habitu supernaturali, nempe gratia et caritate ; et haec in pueris, in dormientibus et amentibus reperitur.

177. Actualis vero supernaturalis unio fit mediis actibus supernaturalibus ab iis habitibus ortis ; de qua unione loquimur ; dicimusque non posse intellectum media hac unione Deo copulari quin voluntas pariter copuletur. Haec enim unio est experimentalis. Unde non potest intellectus uniri Deo profundissima in ipso contemplando quin voluntas, illius obiecti bonitate allecta, ipsi etiam medio amore uniatur. Videatur Magister Vallgornera, quaest. III, disp. 2, art. 3, num. 2 (23).

178. Haec harum potentiarum unio dividitur in formalem et obiectivam. Obiectiva est conformitas potentiae cum obiecto. Formalis vero est conformitas duarum potentiarum in ordine ad idem obiectum. Unde tunc intellectus est obiective unitus, cum obiectum cognoscit secundum quod est in se, verbi gratia dum cognoscit Deum ut est ens per essentiam ut unum trinumque; tunc vero est unitus unione formali, quando ipse et alia potentia cognoscitiva conformantur in cognoscendo obiectum, sive illud ut est in se, sive aliter cognoscant ; verbi gratia duo intellectus creati vel intellectus divinus creatusque uniuntur formaliter, quando conformantur in cognoscendo Deum esse unum vel angelum esse accidens ; quia cum unio formalis consistat in proprio cuiusque actu (hic enim est medium, quo intellectus illi conformantur in obiecti cognitione, sicut in unione obiectiva actus est id, quo potentia unitur obiecto), propterea cum datur talis conformatio in actibus, datur unio.

179. Quae proportionabiliter de voluntate intellige cum hoc tamen discrimine, quod in potentiis cognoscitivis ut detur unio formalis, sufficit conformitas in cognitione obiecti *quod*, quidquid sit de aliis. Ast ut duae voluntates formaliter uniantur, debent ultra hoc, quod est idem obiectum diligere, convenire in fine volitionis ; aliter contrariae erunt, non conformes eae voluntates. Ut si duo velint eundem librum, sed non eidem, sed unus vult illum Francisco, alius vero Ioanni. Unus vult librum ut devoret, alius ut legat ; tunc enim tametsi eundem librum velint, non conformantur ; immo opponuntur voluntates illae. Unde, sicut antea diximus quod absolute potest intellectus uniri obiecto quin voluntas uniatur ; eodem modo dicimus quod, attenta natura unionis obiectivae et formalis, potest voluntas uniri obiective et non formaliter. Non tamen potest mystice uniri obiective quin formaliter uniatur ; quia si Deum amat et non ut debet, contrariatur divinae voluntati. Unde et debet amare Deum, et ut oportet, ut sic mystice obiective cum Deo uniatur et cum ipsius voluntate conformetur.

180. Unio haec dividitur in activam et passivam. Activa est quam per ordinariam gratiam habitusque fidei et caritatis potest homo pro libito exercere.

(23) i. e. *Mystica theologia* ; 3 ed., 1911, q. 3, disp. 2, art. 3, nº 565 ; t. I, p. 399.

Passiva est quam homo omnino gratuito recipit a Deo, etiam supposita gratia et aliis comprincipiis supernaturalibus ; quippe in eius receptione non se habet ut agens, sed ut patiens. Verum haec omnia ex dicendis cum de oratione unionis agam, magis aperientur.

LIBER SECUNDUS

De Signis.

Qui dialecticantur, dicunt signum esse *quod praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire* (1). Quam definitionem, prout iacet, admittimus pro signis mysticis, eaque ut inferiora praecontenta in ratione illa superiori definita cognoscimus, de iisque agere incipimus.

SYNTAGMA UNICUM

De signis mysticis.

Signorum notitia multum ardua dialecticis, est pene insuperabilis mysticis. Quia etsi multa scientia polleant virtutibusque praediti sint ; si Deus specialiter non adest lucem conferens, labuntur multoties, ut experientia testatur. In sequentibus lectionibus multiplicitatem signi mystici proponam, qua potuero brevitate simul et claritate.

LECTIO PRIMA

1. Tam arcana est via spiritus, tam diversae res quae passim in ea offeruntur, ut impossibile sit signa omnia adducere ; et hoc non solum respectu omnium animarum, sed etiam respectu unius. Continuo enim adeo diversa in eadem anima conspiciuntur, ut nec numerari valeant, nec cognosci. Unde semper recurrendum nobis est ad orationem, ad lectionem, ad consultationem cum expertis, ut sic possit veritas aliqualiter haberi. Scientes quod licet fumus sit signum ignis, multoties aquas fumigare videmus ; et discernere inter fumum superni ignis montes sanctitatis tangentis ac fumigare facientis (2), et inter vaporem abyssi animas devorare conantis, hoc opus, hic labor est et inextricabilis labyrinthus non nisi gratiae filo superandus, ut omnes vel gigantes sub aquarum catalysmo gementes confitentur.

2. Igitur signum mysticum dividimus primo in materiale et formale. Signum materiale voco id, quod provenit ab eo, quod habet rationem materiae, utpote ab individuali cuiusque complexione, quae certe plura parit, quae signant hominis ingenium et classem, ad quam pertinent multa quae in oratione eveniunt. Unde si harum rerum principium non attenditur, periculo manifesto subsunt discipulus et magister. Multa enim quae sunt certissimae pusillanimitatis effectus, sub larva divinae communicationis proponuntur; ut saepe evenire in patientibus deliquia materialia infra videbimus. Quare introspiciendum est, an ea quae spirituali eveniunt, signent pusillanimem conditionem, ut sic lapsus non infrequentes caveantur.

3. Signum formale est quod provenit

(1) Complut. Abbrev., *Artium Cursus, Logica,* Summulae, lib. II, cap. 1; ed. Lugduni, 1670, t. I, p. 13a. — Complutenses, *Artium Cursus, Logica,* Summulae, lib. I, cap. 1 ; ed. Francofurti, 1629, t. I, p. 8a. — S. Augustinus, *De Doctrina Christiana libri quatuor,* lib. II, cap. 1 ; Migne, P. L., t. 34, col. 35 : *Signum est enim res, praeter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire.*

(2) *Ps.* 103, v. 32.

a spiritu ; quod subdividitur in illud, quod est a spiritu superiori et ab inferiori. Spiritus inferior est anima corpus informans hominemque constituens. Qui quidem spiritus attente considerari debet, ut qua arte, quibus exercitiis in perfectionem tendat, videatur. Non omnibus eadem exercitia prosunt, immo obsunt ; nec possunt omnes eadem regula regulari ; sicut nec possunt eadem mensura demetiri ; nec, quamquam eodem morbo graventur, eisdem medicaminibus mederi.

4. Spiritus superior ille est, qui supra hominis spiritum est ; eoque signum ab ipso proveniens partitur sicut ipse ; unde subdividitur signum spiritus superioris in bonum et malum. Malum est quod provenit a spiritu malo, nempe a daemone, qui tanta in via spiritus operatur, ut multo sale opus sit, ut eius mentita lux a luce veritatis separetur. Opplentur paginae innumerabiles, ut lamentabiles huius proditoris fallaciae dignoscantur ; nec possunt, nec valerent, quamvis litterae in paginas mutarentur.

5. Signum bonum subdividitur in increatum et creatum ; hoc provenit a principio creato, nempe ab angelo lucis ; et illud a principio increato, scilicet a Deo Optimo Maximo. In hac ultima divisione notandum est quod, sive signum sit a Deo, sive a bono angelo, semper bonum est animaeque proficuum. Unde in eorum distinctione non est immorandum ; sed circa alia dividentia ad aliqua pro praxi dicenda transeundum.

LECTIO SECUNDA

6. Circa signa materialia quae timiditatem individualem concernunt, nonnulla dicam libro sequenti, Syntagma 2, numeris 27 et 30. Modo vero dico quod magister notet, si discipulus melancholicus sit, vehemens, curiosus, inquietus, nec ulli cedere volens, et alias ipsius individuales proprietates consideret, ut possit dictamen prudens formare.

7. In primis mores praeteritos noscat media generali confessione, quae non solum sit ut peccata subiiciantur, verum ipsa peccata sumuntur ut signa, ut ex vitae praeteritae actibus aperiatur confitentis propensio. Eos qui multum peccavere, in mortificatione exerceat ; praesertim in iis, quae culpis praeteritis (servatis tamen servandis) contrariantur. Materia meditationis istorum sit propriae vilitatis consideratio et etiam novissimorum ; ut sic spes gloriae erigat, quem deprimit mortis, iudicii et tartarorum terror. Meditentur etiam vitam mortemque nostri indulgentissimi Redemptoris ; quod licet *Lucernae mysticae* (3) displiceat, omnibus tamen aliis mysticis placet, quo enim medicato bolo uti poterit aptiore, ut saevientem labendi consuetudinem valeat strangulare ? Cruore siquidem Dei Reparatoris offa efficitur, qua cancerberus sopitur et anima roboratur.

8. Si parum peccavit et praesertim si peccata potius fragilitatem quam malitiam et propensionem vitiosam exprimunt, ea, quae illi alii, meditetur ; licet magis in Redemptoris vita et morte quam in novissimorum consideratione exercendus sit. Et iste citius quam illi ad contemplationem accedat.

9. Si inquietus sit vivacisque ingenii, non proficiet in arcana solitudinis quiete pacificoque exercitio. Unde in piis considerationibus suum profectum quaerat, nec multum in discursibus propriae vivacitatis divagetur ; sed adepta meta discursus, in ea ut ut possit conquiescat. Si tamen vivacitas dicta associetur cum indole pacifica et tranquilla, signum est animae multum profecturae ; quia vivacitas ingenii deservit ad mysteriorum

(3) LOPEZ EZQUERRA (Ioseph), *Lucerna mystica pro directoribus animarum*, tract. I, cap. 8, num. 79, p. 18 ; Bassani, 1782, in-8°.

penetrationem, et genii tranquillitas ut lumen divinum felicius in anima radicetur. Unde isti ad quietam contemplationem dirigendi sunt.

10. Alii sunt pacifici et affectuosi, sed in operando tepidissimi, quibuscum maxima cura habenda est ; quia expositi sunt falaciis daemonis ; immo a seipsis falluntur, dum iudicant se in sublimi et arcana contemplatione positos. Et quies, qua tunc isti funguntur, non est simplex intuitus veritatis, sed genialis ipsorum tepiditas vel tepiditatis suae aspectus simplex ; quare hi in meditatione exercendi sunt, nec nisi post frequentia et repetita signa debent in contemplatione collocari.

11. Sunt alii ad ea solum quae secum voluptatem afferunt, proni, qui nimium confitentes et vitae laxitati dediti, sunt in operando intrepidi et inconsiderati. His applicanda est consideratio mortis, iudicii infernique, ut terror inde haustus eos ad mortificationem inclinet et ad rectitudinem vitae. Alii sunt inquieti, sed scrupolosi et melancholici ; et hi ad pacificam quietem parum apti sunt, tametsi in activa perfectione exerceri possint. Horum meditatio sit vita et passio Redemptoris, fidei mysteria et alia huiusmodi, quae scrupulos et melancholiam non foveant.

12. Videbis et alios inquietos, impatientes et adeo instabiles, ut a quocumque vento circumferantur. Isti penitius inepti ex se sunt ad contemplationem ; unde in virtutum exercitio manere debent et in meditatione vitae et passionis Domini. In quo per totam vitam permaneant, nisi evidentissime constet Deum eos in contemplationem vocare, quod si ita est, mutabit prius eorum genium ; quo in casu iam alia signa dabunt.

13. Sunt alii velut mortui et insensibiles, qui nec ad bonum, nec ad malum inclinantur. Isti inepti sunt ad contemplationem ; si namque in illa exercerentur, inciderent in otium turpe et illusiones ; eoque proprium eorum exercitium debet esse meditatio novissimorum. Alii denique sunt aridi, inaffectuosi, aliqualiter melancholici, sed nimium patientes et taciturni ; et hi aptissimi sunt ad contemplationem ; nam operantur per internum et abstractum a sensibus exercitium ; unde profundi, solitarii, abstracti et sine ulla adhaesione sunt ; eoque valde idonei ut Deum contemplentur.

LECTIO TERTIA

14. Multa quae ab eo, quod est materiale in homine, ortum ducere videntur, praetermitto ; ut ad signa quae animam ipsam magis concernunt, accedam. Quapropter, si post fervidam meditationem anima inclinatur ad exercitium activum, nempe ad proximorum salutem, vel ministrando infirmis, vel praedicando, vel alia huiusmodi pietatis opera exercendo; hoc signum est Deum velle hanc animam in exercitio externo operum misericordiae propriam quaerere perfectionem. Et quamquam non raro quiete contemplationis fruatur, frequentius per opera externa dirigetur ; et illa ipsa quies, qua aliquando fungetur, erit ut fortius ferventiusque activo exercitio intendat. Quod si in affectibus meditationis delicietur quieti pacique inclinata, exercitiumque activum, etsi vocata, non amat ; sed in illud non exit vel si exeat, citius ad suavem quietem redit ; haec profecto contemplativa erit ; eoque velut in contemplationem vocata duci debet.

15. Si autem ad exercitia activa vocata, dum illa exercet, quietae recollectioni inhiat ; deinque ei meditatio displicet ; haec certe vocatur ad exercitium mixtum ex actione et contemplatione ; quod notare debet director, ut obsequens lumini lucide illam dirigat et secundum quod viderit praevalere in vocatione, manuducat. Unde si vocatio ad activa est aequa-

lis vocationi ad interna, aequaliter iuxta utrumque munus dirigenda est ; si vero inaequalis est, inaequaliter dirigatur semper illam, quae praevalet, praeferendo.

16. Aliorum animae activa exercitia inutilissima anhelant ; ut sunt exteriores devotiones, cultus affectatus huic vel illi imagini ; qui, si videant patientis Redemptoris effigiem aut puerum Iesu in praesepio iacentem, illico in fletus exeunt, in eiulatus erumpunt. Quos et eiusdem furfuris alios belle excarpit Extaticus noster Parens D. Ioannes a Cruce, libro III *Ascensus,* cap. 27 et 34 (4). Isti, nisi moderentur, contemplativi non erunt ; est enim contemplatio valde seria, nec haec ridicula patitur. Quamobrem director eos qua potuerit prudentia dirigat, amictus patientia sicut vestimento ; quia frequenter conspiciet animam suam nauseare super gente ista levissima.

17. Denique aliae animae sunt, quae peracta meditatione statim in Deo quiescunt, quem ita fortiter tenent ut nullatenus dimittant, volentes illum introducere in domum matris et in cubile genetricis earum (5). Harum amor eo perfectior est quo nullum sensibilem experiuntur saporem, sed solitariae et quietae Domino suo adhaerent ; istae, si alias obedientes sunt et mortificatae, sunt aptiores aliis ad contemplationem. Quod si ultra hoc, quod est carere consolationibus, illas quoquo modo oblatas reiiciant ; istae adhuc meliores sunt ; quia per viam inviam et desertam et inaquosam(6) sanctum Deum suum in veritate quaerunt. Hi fortissimi lectulum Salomonis ambiunt, non ut in illo decumbant, sed ut lectuli delicias, eo validiores quo praesentiores, ad bella doctissimi, donec exsilium exsulet, calcent, iisdem in beatitudine redimiendi.

18. Plura alia signa, quae observare expedit, praetereo ; quia ex dictis poterit director colligere, quae necessaria sunt pro praxi sui ministerii, et Numinis ope opes aggregabit, quas, dum opus fuerit, dexter conferat.

LECTIO QUARTA

19. Emensis signis inferioribus, signa spiritus superioris occurrunt, eorumque aspectu veni in altitudinem maris veritus ne tempestas demergat me ; laborabo tamen clamans, dum spero in Deum vivum (7), qui illuminat abscondita tenebrarum (8). Ad rem ergo. Favores, quos anima patitur, sunt signa vel signa continent, de quibus loquimur. Hos Deus animae confert ut illam ad suam unionem elevet, ut ait mysticus noster Parens D. Ioannes a Cruce, libro II *Ascensus,* cap. 17 (9). Verum quia satanas satagit istam felicitatem impedire ; propterea fingit favores divinis similes, quibus animam specie bonitatis seducat. Nec moratur ; sed multoties vera profert et ad virtutem inclinat ovina pelle indutus ut falsum aliquod vitiumve suggerat lupus rapax ; et haec est summa omnium difficultas, scilicet discernere inter signa spiritus superioris boni et mali. Ad malum spiritum reducimus quidquid mundus et caro adversum spiritum concupiscunt ; tum quia foederati sunt, tum quia diabolus alios animat ut armentur.

20. Hi supernaturales favores plurimi sunt ; ad quatuor tamen classes reduci possunt cum laudato Parente nostro(10). Unde dantur visiones, locutiones, revelationes et spirituales sensationes. De quibus infra in propriis sedibus loquemur. Modo vero de illis et raptibus aliis-

(4) Ed. crit., t. I, p. 352-356 ; 372-375.
(5) *Cant.,* v. III, v. 4.
(6) *Ps.* 62, v. 3.
(7) *Ps.* 68, v. 3-4.
(8) *I. Cor.,* c. IV, v. 5.
(9) Ed. crit., *Subida del Monte Carmelo,* lib. II, cap. 15 ; t. I, p. 175.
(10) *Subida del Monte Carmelo,* lib. II, cap. 9 ; ed. crit., t. I, pp. 135-136.

que pluribus hos favores aut comitantibus, aut consequentibus solummodo agimus, quatenus signa offerunt quibus ipsorum origo dignoscatur.

21. Ad quod, caeleste sane est documentum D. Iacobi in sua *Epist.*, cap. III (11). Ubi locutus de divina sapientia, quae his favoribus animam fortiter et suaviter dirigit in suum finem, ait : *Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est : deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.* Has omnes conditiones favores qui habuerint, a bono spiritu sunt ; qui autem his omnibus vel earum aliquibus caruerit, vel a malo spiritu sunt, vel, ut minus, erunt de bonitate suspecti. Verum de singulis, quamquam breviter, agemus.

LECTIO QUINTA

22. Primum, quod D. Iacobus petit in favore orto a sapientia divina, est quod sit pudicus, hoc est, aiunt nonnulli mystici, *humilis* et cum reverentia. Praecipua nota qua communicatio supernaturalis Dei differt a daemonis illusione, est humilitas. Unde totis viribus videndum est, si hoc charactere fulgeat. Et quia multipliciter potest humilitas deesse, exploretur nedum humilitas communicationis receptae, verum etiam personae recipientis. Si namque haec humilis est, optimum signum habetur ut impressio recepta a bono spiritu credatur, siquidem sapientia divina desiderat cum humilibus habitare ; eoque illis domum construit columnis decoram, convivium parat omni suavitate fulgens ; quippe superbis resistens Deus humilibus dat gratiam suarum caelestium consolationum (12).

23. Facto examine humilitatis personae, sequitur consideratio ipsius consolationis, quae, si a bono spiritu est, relinquit in anima veram humilitatem, quae propriam miseriam intelligere facit, ita ut latere non possit, ut ait Sancta Mater Nostra Theresia, libro *Vitae*, cap. 28 (13) ; haec humilitas, quam in anima causat iste favor, non solum ostenditur in effectu dicto, sed etiam in rubore et confusione, quibus afficitur persona recipiens, si manifestare talem favorem compellatur. Gravissime torquetur quoties de his sermonem facere, vel urgentissime iussa, intendit. Cuius contrarium habet communicatio, quae a daemone fingitur vel a propria imaginatione fabricatur. Siquidem ultima non parit humilitatem et prima superbiam parit paratque ruinam. Quare in omni supernaturali impressione curet director haec expendere, et signum habebit, quo in veritatis cognitionem ducatur.

24. Est etiam *pacifica* caelestis sapientia ; eoque impressio ab ea descendens pacifica est pacisque amorem conciliat. Sic asserit expertissima Theresia, *Mansione* VI, cap. 3 (14), docens signum esse boni spiritus, cum hae communicationes relinquunt in anima magnam quietem, recollectionem devotam et pacificam aptamque ad laudandum Deum. Cuius oppositum causat, cum a malo spiritu proveniunt ; siquidem tunc horrorem, terrorem turbationemque pariunt ; nec Dei laudem respiciunt in malum pronae.

25. Observa tamen praeiactam turbationem provenire vel a superioritate rei insuetaque sive insperata ipsius impressione ; vel a contrarietate seu oppositione versante inter spiritum visum et videntem. Primo modo quidquid superius est, turbationem causat in inferiori ; scimus enim quod angelorum Regina hominumque suffugium, Gabriele nuntiante, *turbata est in sermone eius* (15). Scimus

(11) v. 17.
(12) *Iacob.*, c. IV, v. 6.
(13) Ed. crit., t. I, p. 221.
(14) Ed. crit., t. IV, pp. 115 sqq.
(15) *Luc.*, c. I, v. 29.

etiam vocem Domini confringere cedros Libani et commovere desertum Cades (16). Unde ait D. Thomas *in Iob*, cap. IV, lectione 3 (17): *homines ad insolita pavere consueverunt : unde quando alicui fiunt insolitae revelationes, in principio timorem patitur.*

26. Verum turbationes istae, quas bonus malusque spiritus causant toto caelo distant. Primo quidem, quia turbatio boni spiritus est reverentialis ; alia vero est horroris. Prima expeditionem non aufert potentiarum, ut visum est in turbatione sanctissimae Virginis, quae licet turbata esset ob salutationem Gabrielis, cogitabat tamen *qualis esset illa salutatio* (18). Secunda autem potentiarum expeditionem secum non patitur, sed excaecat. Adverte tamen quod hae communicationes vel fiunt ad annuntiandum aliquod malum grande, vel non ? Et insuper vel fiunt in expertis, vel in virtute provectis ? Si fiant virtuosis et alias nullum grande malum annuntient ; quamquam turbent, non auferunt, sed acuunt expeditionem. Unde relate ad has est certissimum datum signum. Quia nisi ipsa anima velit seipsam decipere, spiritum favores imprimentem cognoscet ; cum certum sit, signa secum trahere, quibus manifestetur. In bono enim signum datum reperitur ; in malo autem alia signa dantur, quae oppositum signant ; siquidem teste Seraphica Doctrice, libro *Vitae*, cap. 25 (19) : *Dexan una grande sequedad en el alma, y una inquietud, que no sabe entender de donde viene ; sino que parece, que resiste el alma, y se alborota, y aflige sin saber de qué ; porque algunas vezes lo que dize no es malo, sino bueno. Pienso si se siente un espiritu á otro : suele dar al principio gustos, y deleytes, mas de otra manera de los que da Dios; y assi aunque puede engañar á los que no los han tenido de Dios; mas no, si estos los han experimentado.* Vel sic: Anima arida et conturbata manet, quin originem suae conturbationis recognoscat. Resistit, commovetur, affligitur; horum tamen causam ignorat ; quia interdum quod audit, bonum est. Forsan unus spiritus alium praesentit. Initio gustus offerre solet ac delicias, diversissimas tamen ab iis, quas Deus concedit. Quocirca quamvis inexpertis dicipere queat ; non tamen decipit eos, qui de divinis favoribus experientiam habent (20).

27. Hisce verbis mirabiliter instruimur, ut sciamus expertos, nisi decipi velint, dubitare non posse a quo spiritu agantur ; tum ob diversitatem effectuum, tum etiam ob illud mirissimum documentum : *Pienso si se siente un espiritu á otro.* Quod latine est dicere : *Forsan unus spiritus alium praesentit* (21). Hoc est iudico animam geniali antipathia ductam spiritum tenebrarum, lucis candorem mentientem, ominare.

28. Si autem communicatio dicta inexperto conferatur non diffiteor turbari anxiarique, nec vires ad aliud habere. Pro his tamen attendantur alia signa

(16) *Ps.* 28, v. 5 et 8.
(17) Ed. Vivès, t. XVIII, p. 31a.
(18) *Luc.*, l. c.
(19) Is locus aliter legitur in editione critica, t. I, p. 195 ; scilicet : *Dejado la gran sequedad que queda, es una inquietud en el alma a manera de otras muchas veces que ha primitido et Señor que tenga grandes tentaciones y trabajos de alma de diferentes maneras ; y aunque me atormente hartas veces, como adelante diré, es una inquietud que no se sabe entender de dónde viene, sine que parece resiste el alma, y se alborota, y aflige sin saber de qué ; porque lo que él dice no es malo sino bueno. Pienso si siente un espiritu a otro. El gusto y delelte que él da, a mi parecer, es diferente en gran manera. Podia él engañar con estos gustos a quien no tuviere u hubiere tenido otros de Dios.*
(20) In I vero ed. sequens versio habetur : « Relinquunt ingentem in anima ariditatem, inquietudinemve ; eiusmodi autem haec est, ut unde veniat scire nequeat, nisi quod anima illi resistere, eaque turbari, et affligi videatur ; nesciat tamen causam, quia quod aliquoties dicit, non malum est, sed bonum. Ipsa mihi persuadeo, se unum alium spiritum sentire ; solet utique in principio gustum, et dulcedinem tribuere, caeterum longe differunt ab eis, quae a Deo impertiuntur ; posset ille his gustibus eum decipere, qui Dei gustus nondum habet, nec habuit, non autem illos Divinorum experientia fruentes ». — Similiter in Neapol. ed. legitur, praeter : « ...eiusmodi autem haec est unde ea veniat scire nequeat... Ipsa mihi persuadeo, quod unus spiritus alium sentiat... ; posset ille his gustibus decipi, qui Dei gustus... »
(21) In prima editione legitur : « Ipsa mihi persuadeo, se unum alium spiritum sentire ». In Neapolitana vero : « Ipsa mihi persuadeo, quod unus alium spiritum sentiat ».

subiicienda, quorum ductu cognoscetur an rei insuetae novitas, an vero spiritus malus causa sit talis effectus. Quod si malum aliquod minatur, tunc etiam in provectis commotionem causat ; verum quae a compassione, ob malum infligendum, provenit ; et hoc etiam est boni spiritus signum, ut patet ex verbis D. Iacobi, in quorum expensione moramur.

29. Denique turbatio boni spiritus est in principio impressionis, postea vero pacem solatiumque conciliat, ut ait praecitatus D. Thomas his verbis : *In principio timorem patitur* (22). Quae vero a malo spiritu est, quo crescit impressio, augetur ; et si per aliquod tempus disparet, postea animam dissipat horrore sui aspectus.

LECTIO SEXTA

30. Itidem divina sapientia est *modesta* et quidquid ab illa descendit modestum est. Modestia dicitur a *modo,* ait D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 160, art. 1, vel quia per modestiam modum scimus, quem in affectionibus et actionibus observare debemus ; vel quia ipsa modum statuit, quem in dictis teneamus. Quantum ad praesens attinet, communicatio quae modestiam non halat, modestissimae divinae sapientiae non est filia. Et ut sigillatim de pluribus, quae hic occurrunt, loquamur,

31. Scias discipulum et directorem hac modestia indigere. Si namque communicatio recepta modum suggerit, ut recipiens illam cum solo directore communicet ; signum est talem communicationem esse a Deo. Propterea modestia ponitur a D. Thoma citato virtus non specialis, sed generica sub se continens plures alias virtutes, quarum prima cariorque est humilitas. Unde, sicut numero 23 dicebamus humilitatem non habere, qui non torquetur dum favores, quos recipit, cogitur propalare ; sic etiam longe a modestia ire dicimus, quisquis suum secretum sibi non servat. Adeo nexa haec signa sunt.

32. Superest tamen praecipuum, in quo modestia splendere debet. Dicta terminantur ad verba. Sed etiam debet lucere in actionibus, et in his maxime. Unde modum tenere debet, qui favores recipit, ut iis utatur pro illo solo fine, pro quo conceduntur. Quod si observarent omnes, non serperent per viam spiritus tot monstra. Communicationes suas Deus impertitur, ut anima gradus faciens ab inferioribus ad superiores feratur et ab his in ipsum Deum elevetur. Quod certe non facit, qui cortice favoris moratus, nucleo haud usus abutitur.

33. Audiant quotquot perfectionem ambiunt D. Bonaventuram, *Profec. III Religion.* (23), dicentem: *Consolationes, sicut non sunt necessariae saluti, ita etiam suspectae sunt, et saepe falsae, fictae, et deceptoriae : ut visiones, revelationes, prophetiae, sensuales consolationes, oblectationes, miraculorum operationes, maxime modernis temporibus ; licet quandoque reperiantur verae, sed in*

(22) cf. supra num. 25.

(23) *De Profectu religiosorum,* lib. II, cap. 1 ; *Opera omnia S. Bonaventurae,* ed. Peltier, t. XII, p. 363b... *saluti, sic etiam suspectae sunt, et saepe falsae, et fictae, et deceptoriae... ut visiones, revelationes, prophetiae, sensuales oblectationes, miraculorum operationes...* — Hoc opusculum non est S. Bonaventurae, sed Fr. DAVID AUGUSTANI. Deest in editione Quaracchi *Operum omnium S. Bonaventurae.* Distinguendum est hoc opusculum a secundo libro *Speculi disciplinae ad novitios,* licet in quibusdam editionibus (v. g. in ed. Veneta anni 1584) hic secundus liber detur sub titulo *De processu Religionis ;* etenim huius ultimi opusculi liber secundus tantum sex capita comprehendit, nec textum de quo hic agitur continet. Ipsum *Speculum disciplinae* enumeratur inter opuscula dubia vel illegitima in editione Quaracchi *Operum omnium S. Bonaventurae* (t. VIII, *Prolegomena,* cap. 2, p. XCV) ; ubi adscribitur eidem Fr. DAVID AUGUSTANO ; daturque t. VIII, pp. 583-622 ; in ed. vero Peltier, t. XII, pp. 443-497. MARCELLUS VILLER, S. I., (*Revue d'ascétique et de mystique,* t. III, n° 9 [Janvier, 1922, Toulouse] pp. 45-56) etiam adscribit Fr. David Augustano *Profectum religiosorum* et *Speculum disciplinae ad novitios ;* hoc ultimum opusculum inscribit *Formula novitiorum ;* ibique identificat *Speculum monachorum* (de quo tam usa est *Devotio moderna*) cum prima parte *Formulae novitiorum.*

paucis. Audiant insuper Seraphicam Doctricem apud *Medullam,* folio 308, numero 25 (24), asserentem de his communicationibus : *Que aunque aya algunas almas, que las tengan muy ciertas, y verdaderas, es menester, que se las deshagan, y que hagan, que se repare poco en ellas, como cosa, que vale poco, y que á vezes impiden mas que aprovechan.* Id est, tametsi aliquot animae sint, quae patiuntur revelationes certissimas et verissimas. Debet tamen director eas animas ab iis impressionibus quam citissime expedire. Impedientes reflexionem erga illas, quia revera non multam utilitatem praeseferunt et quandoque potius obsunt quam prosint (25).

34. Ex his deducenda est prudens praxis, immo omnino necessaria. Nam vel isti favores sunt certe a bono spiritu, vel non ? Quod possint non esse patet per allatum Bonaventuram. Ergo dum manet hoc dubium debet anima valde modeste se habere in receptione illius favoris, ne, si a malo spiritu est, perniciem inveniat ubi salutem quaerit. Si vero certo constet a bono spiritu esse, videat quid faciendum praecipit Seraphica Magistra; unde necesse est quod modestia nostra nota sit omnibus revelationibus et favoribus ; ut, si a malo spiritu sunt, per immodestum eorum usum non peccemus. Quae pericula modestia arcet, colligens ex his favoribus quae in Deum ducunt et spernens quae ab ipso Numine avertunt. Unde si bona inspirant, etsi a malo spiritu sint, virtutem amet; si malum suggerit, quamquam a bono spiritu venirent, vitium odisse oportet. Qua regula curas vitabit, quibus plurimi torquentur, terentes pretiosum tempus, dum explorant : an impressio recepta sit huius vel illius conditionis? Melius sibi consulerent, si Deum per securam obscuram fidem sequerentur, et nihil praeter Deum desiderarent, et putarent cum illis locutum Dionysium dum Timotheo dixit (26): *Tu autem, Timothee, circa mysticas visiones forti concertatione sensus derelinque, et intellectuales operationes, et omnia sensibilia, et intelligibilia, et existentia, et non existentia ; eo enim tui ipsius, et omnium irretentibili, et absoluto excessu ad supersubstantialis caliginis radium, cuncta auferens, et ab omnibus absolutus munde et pure sursum age.*

35. Maneat ergo quod impressio, quae menti hanc puritatem non suggerit, est a malo vel quoad substantiam, vel quoad circumstantiam. Si est quoad substantiam, vera communicatio supernaturalis non est, sed ficta a daemone vel a propria imaginatione ; si est quoad circumstantiam, licet impressio sit quoad substantiam a bono spiritu, miscet tamen diabolus substantiae bonae vitium circumstantiae malae, quo animae noceat. Unde debet director haec explorare, ut animabus prosit quas manuducit ; modestiam doceat, monens illud illius : *Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis sub herba* (27). Videatur Extaticus noster Doctor, libro II *Ascensus,* cap. 11 et 17 (28).

LECTIO SEPTIMA

36. Notetur etiam si superior communicatio sit *suadibilis et bonis consentiens.* Illa est *suadibilis,* quae inclinat ad obtemperandum directori. Illa est *bonis*

(24) i. e. FRANCISCUS A SANCTO THOMA, *Medula mystica.* — cf. (quoad sensum) S. M. N. THERESIA, *Moradas VI,* cap. 9 ; ed. crit., t. IV, pp. 166-168. — cf. praesertim S. P. N. IOANNES A CRUCE, qui diffuse de hoc disserit *Subida del Monte Carmelo,* lib. II, cap. 10 et sqq ; ed. crit., t. I, pp. 137 et sqq.

(25) Alia versio adest in I et Neapol. editionibus: « Quanvis aliquae sint animae certas verissimasque illas habentes, necessarium est, ut illas dissipent, et faciant, ut parum circa eas advertant, sicuti res parvi momenti, nam aliquando praedictae consolationes, visiones, revelationesque magis impedimentum, quam utilitatem pariunt. »

(26) *Theologia mystica,* cap. 1. Textus graecus, Migne, P. G., t. 3, col. 997 et 1000.

(27) VIRGILIUS, *Bucolica,* Ecloga III, v. 93 ; 23 ed. Benoist-Duvau, Parisiis 1917, p. 54.

(28) Ed. crit., *Subida del Monte Carmelo,* lib. II, cap. 10 et 15 ; t. I, pp. 137 sqq. et 174 sqq.

consentiens, quae aliorum virtutes aemulatur, quibus, ut Domino placeat, decoretur. Et haec sunt duo fortissima signa; quia impressio mali spiritus vel propriae imaginationis non suggerit aliorum imitationem, sed contemptum; iactans cum phariseo : *Non sum sicut caeteri homines* (29). Quae autem a bono spiritu est, secum imbuit illud caeleste monitum : *Aemulamini charismata meliora* (30).

37. Similiter quod magis ab anima arcere diabolus vult, est obedientia, quam vivide imprimit spiritus bonus. Unde communicatio quae consulit obedientiam, admittatur ut caelestis ; quae autem obedientiae adversatur, respuatur ut infernalis. De alia conditione, nempe quod sit plena misericordia, diximus numero 28.

38. Sit etiam *plena fructibus bonis.* Quod dupliciter intelligo. Primo relate ad ipsam communicationem. Et sic reddit hunc sensum, quod communicatio imprimat omnes illos effectus bonos, quos nata est communicare ; quare illa, quae bonis effectibus destituitur, non est a Deo.

39. Secundo intelligo hanc conditionem sic : *Sit communicatio plena fructibus bonis,* hoc est, subiecto imprimatur fructibus bonis abundans. Unde si subiecto virtuoso fiat, signum est a bono spiritu esse ; quas autem conditiones debeat habere subiectum ut datum signum sit verum, videre potes in *Directorio mystico,* tract. III, disp. 5, sect. 8 (31), quia nobis non licet diutius immorari.

40. Scias tamen signum hoc secundo hoc modo acceptum non esse infallibile, cum sciamus perversum Caipham communicationem supernaturalem habuisse a bono spiritu descendentem; et non raro eximios sanctitatis proceres deceptos fuisse, mali spiritus vel proprii discursus partus bono spiritu accensentes. Unde illo primo modo sumpto hoc signo planius pleniusque uteris Iacobi verbis (32). Quia impressio supernaturalis arbor est et certe non infructifera ; unde a fructibus cognoscenda est iuxta Redemptoris dictum (33) ; quiaque arbor bona non potest malos fructus facere, nec e contra (34) ; propterea communicatio quae bonos fructus parit, bona est; sin minus mala est.

41. Etiam sit communicatio *non iudicans;* sunt enim aliquae communicationes, quarum praecipua cura est salus aliorum, quorum defectus iudicat eosque zelo correctionis evulgat. Impressio sic procedens non est a bono spiritu ; quia quae a bono spiritu provenit non in aliorum defectus invehitur, sed in defectus proprios irritatur. Proprium profectum suadere signum est boni spiritus ; sollicitare vero alienum, iudicans servum extraneum, a bono spiritu non est. Quod si illustratio tendat ad emendationem alicuius culpae, servatis his quae ratio dictat et Evangelium statuit, tunc casus ut boni spiritus iudicandus (35) est. Communicetur tamen directori, ut eius ductu sine offensione procedatur.

42. Denique sit *sine simulatione,* hoc est, ait D. Thomas (36), absque hypocrisi. Hypocrisis est, qua superiores communicationes maxime mentiuntur ; ita ut sit summe arduum edisserere quis sub illo sanctitatis schemate occultatur. Quippe satanas, hypocritarum ductor, sub lucis lucido velamine absconditur, lumina suggerens, quibus splendoris mentiti hamo anima obnubiletur et vitiis in cratere falsae sanctitatis haustis farciatur. Insuper quod homo ipse a daemone actus, hos ipsos audeat favores

(29) *Luc.,* c. XVIII, v. 11 ; Hetzenauer, p. 1029: *non sum sicut ceteri hominum.*

(30) *I Cor.,* c. XII, v. 31 ; ib. p. 1119 : *Aemulamini autem...*

(31) i. e. Antonius a Spiritu S., *Directorium mysticum,* tract. III, disp. 5, §. 8 ; ed. 1904, pp. 382-385. — cf. etiam *ib.* a §. 7 ad §. 14, pp. 379-421.

(32) Numero 21 allatis.

(33) *Matth.,* c. VII, v. 16-20.

(34) *Matth.,* l. c.

(35) « *iudicanda* » in antiquis editionibus.

(36) *In epist. canon. B. Iacobi Ap.,* cap. IV ; ed. Vivès, t. XXXI, p. 355a, quoad sensum.

mentiri, non raro accidit ; qui, si interrogetur de effectibus causatis, mira potest respondere ; vel quia ea ab aliis audivit, vel quia legit. Quo casu director facile decipietur ; et multoties visum est adhuc in litteratissimis et sanctissimis viris.

43. Verum quia pientissimus Deus Ecclesiae dilectissimae suae omnia praestat, quibus suos transmittat in caelestem Hierusalem ; non potuit non de remedio providere in hoc maximo periculo. Et praeterquam quod concedit illam suam gratiam, quae dicitur *discretio spirituum,* qua facillime haec pericula superantur ; tamen quia haec gratia non est communis, alia media offert, quibus directores utantur ; de quo lectione sequenti loquar.

LECTIO OCTAVA

44. Remedium pro dicto periculo praeparavit Redemptor noster dicens apud *Matth.,* VII (37): *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intresecus autem sunt lupi rapaces : a fructibus eorum cognoscetis eos.* Quibus verbis ostendit dari hypocritas, qui nostrae saluti insidiantur ; et quid nobis faciendum est ut eos cognoscamus. Primo enim ait : *attendite,* id est, ait ibi D. Thomas (38), *diligenter cavete, quia occulti sunt, et a laqueis occultis cavendum est.* Nec enim sine magna attentione et oratione possumus in tanti mali cognitionem venire.

45. Quid autem attendere debemus ut genus istud pessimum dignoscamus ? Iam ipsa veritas dicit, quod fructus consideremus : *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Unde sive satanas tenebrosus vafer lucibus amiciatur, sive homo vitiosus virtutum velamine occultetur, ut horum caliditas detegatur, considerentur fructus ; hi enim signa sunt, quae arboris conditionem manifestant, cum scriptum sit *Prov.,* XXVII (39): *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Unde sicut qui aquas respiciunt, si hae motae turbataeque sunt, exspectat donec turbatio abeat, et tunc in illis vultum proprium, qui latebat prius, contemplatur ; sic director prudens debet ab effectibus colligere quae qualisque sit persona, quam cognoscere desiderat. Quod sane consequetur hac arte ; quia, ut aiebat Seneca a D. Thoma adductus (40) : *Nemo potest diu fictam ferre personam.* Quare signa hactenus tradita consideret et cum illis fructus arboris conferat, et vel ipsum daemonem larva claritatis fingentem deprehendet.

46. Ast quia homines, qui ad hypocrisim confugiunt ut decipiant, multum sua hypocrisi nocere solent ; quia ex una parte carent illa nativa oppositione, quam nos inter et daemones esse vidimus numero 26 ex Seraphica Doctrice ; et ex alia iactant effectus bonos, qui bonam communicationem comitantur ; difficile cognosci possunt.

47. Verum contra venenum hoc ditavit Deus Ecclesiam suam thesauro sapientiae D. Thomae, cuius luce hypocrisis dissipatur. Sic enim de hypocritarum simulatione locutus, interrogat loco citato (41). *Quaeres qualiter possunt cognosci ?* Et respondet : *Dicendum, quod vix potest hypocrita aliquis esse ita compositus, quin appareat aliquid malitiae vel verbo, vel facto.* Deinde haec tria signa proponit (42). Primo enim ait : *Manifestantur in his, quae subito agenda occurunt ; quia in his, quae cum deliberatione aliquis facit, cavet sibi. Item*

(37) v. 15 et 16.
(38) Ed. Vivès, t. XIX, p. 348a.
(39) v. 19.
(40) l. c., Ed. Vivès, t. XIX, p. 348b.
(41) l. c. p. 348b : *Sed quaeres : Qualiter possunt cognosci? Dicendum, quod potest vix aliquis hypocrita esse ita compositus quin...*
(42) *ib.: In duobus autem maxime manifestantur. In his quae... cum deliberatione quis facit,... Eccli, VI, 8 : Est amicus...*

in tribulationibus, Eccles., VI, est amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis. Item manifestantur, quando non possunt consequi, quod volunt, vel cum iam consequuti sunt: unde principatus virum ostendit. Haec Praeceptor Angelicus, quibus mirabiliter erudimur.

48. Primum signum est : *Quae subito agenda occurunt ;* unde director subita reprehensione discipulum carpat, censuret, humiliet et contemnat ; ita ut insperata reprehensio non concedat tempus ad deliberandum. Quae dum facit, discipuli vultum caute consideret eiusque primos motus contempletur ; quia in subitis nuda a fictione exit operatio. Ob quod vel inter legistas observantur vox, loquela, mutatio vultus et alia quae veritatem signant, quam inquirunt. Nam ex verbis et signis homo dignoscitur, *L. de minore,* §. plurimum, ff. de quaest (43). Thusch, *conclus.* 444, litt. L., numero 19 (44). Videri possunt Carpzo, *Pract. crimin.,* p. III, quaest. 120 *de indiciis,* numero 77 (45) ; Menoch., libro I *De praesumpt.,* 89, num. 71 (46).

49. Et licet subita reprehensio etiam bonos immutare soleat, est magnum discrimen ; quia boni post reprehensionem humiliantur manentque hilares et pacifici. Mali autem irascuntur, et quamquam multum dissimulent, tandem inveniuntur tristes et melancholici non valentes conceptam amaritudinem obvelare.

50. Secundum signum est modus quem in tribulationibus servant ; quia bonus humiliatur et suis culpis attribuit mala, quae perpetitur ; cum Dei voluntate conformatur dicens: *Fiat voluntas tua* (47). Et etiam : *Si bona suscepimus de manu Domini ; mala autem quare non sustineamus ?* (48). Malus autem haec non facit, sed in superbiam actus, queritur vel de ipso Deo, vel, ut minus, de aliquo aut de aliquibus hominibus male opinatur ; ipsis attribuens mala illa, quibus torquetur.

51. Tertium signum est observare qualiter se habent, dum non assequuntur quae desiderant ; et etiam dum quae desiderant, assequuntur. Quia virtuosi in quocumque eventu constantissimi sunt ; nec prosperitatibus efferuntur, nec adversitatibus deterrentur ; conformes semper vultum animumque uniformem observant. Ast mali tabescentes in adversitate marcescunt ; in prosperitate vero non possunt intra seipsos manere ; eoque omnia commovent ter io canentes.

52. Tria haec D. Thomae signa intelligo relate ad illos, qui purgatione aliqua, maxime spiritus, non premuntur. In illis vero, qui in dicta purgatione sunt, multa ex dictis reperientur, quin hypocritae sint, sed virtuosi ; unde aliter isti, aliter alii medicandi sunt.

53. Haec circa signa in generali dicta sint. Signa vero particularia hic introducere nolui ; quia cum haec sint, quae signant signatum particulare, nempe visionem externam, verbi gratia, nedum ut a revelationibus distinctam, verum etiam ut a visione imaginaria et intellectuali differentem ; non potuerunt hic inseri quin de ipsis visionibus revelationibusque ageretur ; quod omnino impertinens est in praesenti. Unde cum de illis agam, aliqua de signis ipsis dicam; quamquam doctrina data omnia comprehendat ; atque adeo retineri debet etiam pro signis particularibus dignoscendis.

(43) BARTOLO, *Commentaria in secundam Digesti novi partem,* libro *De minore,* §. *Plurimum,* num. 3; Lugduni, 1552, t. III, volumine II, folio 214a.

(44) TUSCH (alias TUSCUS) *Practicarum conclusionum juris in omni Foro frequentantium,* t. V, conclus. 143, littera L, ad vocem *loquendum,* num. 19 ; Romae, 1605, t. V, p. 487b.

(45) CARPZOVIUS, *Practica nova imperialis saxonica rerum criminalium,* Parte III, quaest. 120 de indiciis, num. 77 ; Wittebergae-Francofurti, 1684, t. III, p. 183.

(46) MENOCHIUS (Iacob), *De praesumptione, coniecturis signis et indiciis commentaria in sex distincta libros et recens in lucem edita,* lib. I, quaest. 89, num. 71 ; Coloniae Agrippinae, 1628.

(47) *Matth.,* c. VI, v. 10 ; c. XXVI, v. 42.

(48) *Iob,* c. II, v. 10 ; Hetzenauer, p. 458 : *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus ?*

LIBER TERTIUS

De terminis

1. Terminus est extremum propositionis, ut tenent dialectici ex Arist., I *Priorum* (1), ubi ait : *Terminum autem eum appello, in quem resolvitur propositio, ut praedicatum, et id de quo praedicatur.* Ex quibus habemus primo, ita esse proprium propositionis dialecticae terminum logicalem, ut extra illam non detur, licet detur extra illam id, quod alias habet rationem termini. Secundo habemus totam fabricam huius dialectici artefacti consistere in unione duorum, ex quibus unum habet rationem inferioris, eoque subiicitur alteri, quod habet rationem superioris illud formalisantis speciosumque reddentis. Et haec subiectio ad suum superiorem est eximium quod invenitur in subiecta re. Homo enim, verbi gratia, duplici relationi substat ; quia refertur relatione subiicibilis ad suum superius et relatione praedicabilis ad sua inferiora. Ex quibus subiicibilitas vel est essentia a qua praedicabilitas dimanat, ut tenet Caietanus, cap. *de specie* (2) ; vel licet non habeant inter se illum ordinem essentiae et proprietatis, ut docent nostri Complutenses in *Logica,* disputatione 6, numero 8 (3), tamen *concedimus* (verba sunt dictorum Complutensium) (4) *magis connaturale quodammodo esse naturae fundare relationem ad genus, quam ad individua quia illud respicit, ut quid sibi essentiale ; haec autem, ut quid extra essentiam.*

SYNTAGMA PRIMUM

De termino mystico.

2. Plura in hac mirabili sapientia habent rationem termini. Primo enim et praecipue hoc est proprium Dei et hominis ; sunt enim extrema mysticae unionis. Secundo habent rationem termini aliqua, quae mystae invenerunt ut exprimerent mysticae unionis ineffabilem excellentiam et extremorum immensam maiestatem. De quibus lectionibus sequentibus loquar.

LECTIO PRIMA

3. Homo potest considerari vel relatus ad Deum et ad res spirituales, vel ut refertur ad mundum eiusque vanitatem caducam. Secundo modo superior est, *ut praesit.* Primo vero modo est inferior, quia subiicitur Deo ; quae subiectio est homini magis propria et intranea quam illa superioritas. Primo quia illa subiectio indispensabiliter illum comitatur, nec potest ab illa absolvi. Secundo quia superioritas respectu visibilium fundatur in illa subiectione ; unde ex quo hanc subiectionem rebellis homo negavit, illico, qui supra omnia visibilia erectus principabatur, *comparatus est iumentis, et similis factus est illis* (5).

4. Ceterum quae homo per culpam amisit, per gratiam Christi habet ; quo reparatore et eximium subiectionis exemplar propinante, dum hominibus propter Deum subdebatur et Deo usque

(1) Ed. Didot, *Analytica priora,* lib. I, cap. 1, num. 4 ; t. I, p. 39. Bekk. 24b, 16.

(2) *Super Praedicabilia Porphyrii,* cap. III, part. IV, §. *Hic quarto* et part. V, §. *Hic quinto ;* Venetiis, 1554, fol. 4b et fol. 5c.

(3) *Logica,* disp. 6, q. 1, num. 8 ; ed. Francofurti, 1629, t. I, p. 175.

(4) *ib.,* q. 3, num. 32 ; t. I, p. 181 : *Quodammodo esse magis connaturale, et quasi intrinsecum naturae specificae fundare... haec vero, ut quid extra essentiam.*

(5) *Ps.* 48, v. 13 ; Hetzenauer, p. 511,... *iumentis insipientibus, et...*

ad mortem, mortem autem crucis optemperabat (6), redit subiectio hominis ad Deum et reuniuntur haec extrema adeo per culpam distantia. In hac unione tot mira dantur, quorum expressioni nullus creatus intellectus sufficit; proptereaque succumbens speciose oneri ad terminos investigandum recurrit, quibus utcumque explicet haec arcana. Isti termini ita proprii sunt huius sacrae facultatis, ut formaliter sumpti non possint extra illam reperiri. Horum terminorum primi sunt Creator et creatura rationalis. Haec ut subiectum, quod media unione cum Deo habet totam suam perfectionem et pulchritudinem. Creator vero ut praedicatum creaturam ab ergastulo tenebrarum eripiens et vocans in admirabile lumen.

5. Secundo dividitur terminus mysticus in communem et singularem. Singularis est qui significat aliquod singulare cum nullo alio conveniens nisi in ratione communissima termini mystici ; de quo postmodum. Communis est qui significat pluros terminos in una immediata ratione convenientes. Terminus communis dividitur a mysticis in terminum imperfectum et superperfectum. Imperfectus est ille, qui cum in nobis imperfectionem dicat, positus autem in ente superiori dicit maximam perfectionem, quam nec percipere, nec nominare valemus. Tales sunt illi termini *bos, aquila, leo,* qui hominibus applicati, illico *bos* repraesentat hominem tardum, *aquila* rapacem, *leo* vero ferocem. Verum applicati Deo ipsum nobis patientissimum, activissimum et fortissimum ostendunt. Et apte quidem per hos terminos nobis Dei perfectiones demonstrantur, ut docet D. Thomas, I[a] parte, quaest. 1, art. 9, ad 3, quia de Deo melius sentimus cum cognoscimus quid non est, quam cum aliter procedimus ; et ad hanc cognitionem habendam iuvant termini ipsi *imperfecti.*

6. Theologia ipsa mystica, quae his utitur terminis estque ineffabilis unio nectens creaturam cum Creatore, dicitur a D. Dionysio (7) *irrationalis, amens, nesciaque sapientia.* Quae sane apud eos, quos genium huius arcanae facultatis latet, dici non possent ; sunt enim notissimi dedecoris. Verum hi termini, qui hominibus applicati maximam imperfectionem signant, dicti de re tam sublimi eius perfectionem, ut possunt, declarant. Quippe dicitur *irrationalis,* non quia ratione careat, sed quia est supra omnem humanam rationem. Dicitur *amens,* quia transcendit omnem humanam prudentiam. Dicitur etiam *nescia,* quia est supra omnem humanam scientiam. Et melius exprimitur sublimitas theologiae mysticae his *imperfectis* nominibus, quam si *perfectis* nominibus nominaretur. His enim quaevis alia scientia, etsi multum inferior, nominatur.

7. Termini *superperfecti* sunt quibus ostenditur Deitas superare omnem perfectionem possibilem et omnem conceptum quem de ipso possumus efformare. Ob hoc aufert theologia mystica a Deo omnes terminos *perfectos,* asserens, Doctore Dionysio, cap. 7 *De divinis nominibus* (8), Deum non esse viventem, nec sapientem, nec bonum. Unde hos *perfectos* terminos a Deo relegat et asserit ipsum esse superviventem, supersapientem, superbonum. Quo nobis declarat Deum esse aliud altius, quam iis *perfectis* nominibus possimus considerare, ut ait D. Thomas, I[a] parte, quaest. 13, art. 3, ad 2.

8. Et quod magis mirere, ipse Dionysius, cap. 1 et 5, *De mystica Theologia* (9), nominat Sanctissimam Trinita-

(6) *Philip.,* c. II, v. 8.

(7) *De Divinis Nominibus,* cap. 7, lect. 2; ed. Vivès *operum D. Thomae,* t. XXIX, p. 516a. — Textus graecus apud Migne, P. G., t. 3, col. 868, §. 1, fine.

(8) Ed. Vivès *operum D. Thomae,* t. XXIX, p. 514a sqq. — Textus graec. Migne, P. G., t. 3, col. 865 sq.

(9) cf. antiqua translatio in *operibus B. Alberti Magni ;* ed. Vivès, t. XIV, p. 817 et 858. — Text. graec. Migne, P. G., t. 3, col. 997 et 1048.

tem *superdeam,* Deitatem illi negans, non quia Deus non sit illud ineffabile ens, sed quia conceptus, quem formamus, audito hoc nomine *Deus,* inferior multum est quam res nominata ; unde ut hunc excessum cognoscamus, denegatur illi Deitas et dicitur *superdea.* Quod absdubio damnaret quivis quantumvis sapientissimus, si idioma theologiae mysticae ignoraret.

9. Insuper dividitur terminus communis in *dissimilem et contrarium.* Terminus *dissimilis* ille est, qui de substantiis superioribus nobis exprimit quid non sunt, ut ita minus imperfecte concipiamus id quod sunt. Tale est genium mysticae theologiae, ut terminos *improprios* seu *dissimiles* quaerat, quibus substantias separatas cognoscat melius quam per terminos *proprios* seu *similes ;* hi enim quid sit Deus ostendere conantur nec assequuntur ; illi vero quid non sit Deus exprimunt, ac per hoc perfectioris conceptus causa sunt ; quia, ut ait D. Dionysius, cap. 2 *Caelest. Hierar.* (10): *Aliquando supersubstantialis Deitas ab eisdem laudatur scripturis honestissime ac pene divine, dum in eius laude dissimilibus utuntur signis, his eam appellantes nominibus, quibus non quid sit, sed quid non sit dicitur.*

10. Egregie D. Bonaventura explicavit perfectionem divini amoris eum appellans summam amentiam *Itin. IV aetern.,* dist. 5, art. 2 (11): *Nonne summae amentiae videtur esse, etc.* Et per hunc terminum adeo *contrarium dissimilemque* divinae prudentiae superni amoris, eius naturam vividius expressit, quam si omnes terminos *similes* coacervaret. *Illa sane,* ait laudatus Dionysius (12), *convenientior in rebus invisibilibus erit expressio, quae per dissimilia signa monstratur.*

11. Terminus *contrarius est* qui opponitur ipsi significationi propter quam adducitur ; verum ipsa sua oppositione aptius rem declarat, quam si non opponeretur. Theologiae mysticae Parens Dionysius citatus hoc genium theologiae mysticae aperuit, dum volens ostendere pacificum gaudium, quo substantiae separatae Deo unitae fruuntur, illud appellat *immanem quietem* (13). Nil magis opponitur quieti quam crudelitas et e contra ; verum hac contrarietate optime ostendit Dionysius substantiarum superiorum Deo media unione mystica subiectarum quietem non esse frigidum otium, sed activitatem fervidissimam.

12. In calce huius lectionis observa eundem terminum mysticum esse *contrarium, dissimilem imperfectumque,* ut patet in nuper dicto *immanis quies.* Ast cum ob rationem diversam patiatur dictus terminus varietatem dictarum divisionum ; propterea eas omnes subire potest ; quod idem cernere est in termino dialectico. Secundo observa terminos praeiactos non solum convenire in ratione communi termini mystici, sed etiam in alia inferiori ratione, nempe in ratione illa, quam *communem* diximus ; siquidem omnes illi habent sub se plures alios terminos, relate ad quos communes sunt et superiores ; unde terminus *imperfectus* et *superperfectus,* verbi gratia, postquam concipiuntur ut termini mystici et antequam concipiantur differre per differentias *imperfecti* et *superperfecti,* conveniunt inter se et cum aliis ex dictis in hoc quod quilibet est communis, plures alios terminos sub se habens ; cuius contrarium evenit in termino quem diximus *singularem,* de quo iam loquimur.

(10) §. 3 ; text. graec. Migne, P. G., t. 3, col. 140.

(11) *De septem itineribus aeternitatis,* IV itinere, dist. 5, a. 2 ; ed. Peltier *operum omnium S. Bonaventurae,* t. VIII, p. 451. Editio Quaracchi (t. VIII, *Prolegomena,* cap. 3, art. 2, p. CXI) enumerat hoc opusculum inter *certe spuria,* illudque adscribit Fratri RODULPHO DE BIBRACO, O MINOR., qui floruit circa 1360 (WADDINGEN, *Scriptores Ord. Minor.,* 1650, p. 309, 2a, 210). Cf. etiam BENEDICTUS BONELLI, *Prodromus ad opera omnia S. Bonaventurae,* Venetiis, Bassani, 1767, col. 606. — Hoc opusculum deest in ed. Quaracchi.

(12) *Caelestis Hierarchia,* cap. 2, §. 3 ; text. graec. Migne, P. G., t. 3, col. 141.

(13) *Caelestis Hierarchia,* cap. 2, §. 10, iuxta antiquam translationem quae invenitur in ed. Vivès *operum omnium B. Alberti Magni,* t. XIV, p. 53a. — Text. graec. Migne, P. G., t. 3, col. 141, §. 4.

LECTIO SECUNDA

13. Terminus mysticus *singularis* nihil aliud est quam terminus, quo mystici utuntur ad declarandum aliquem mysticum affectum in particulari. Plures sunt isti termini, de quo videri potest *Catena mystica,* col. 1, prop. 1, r. 3, 4, 5 (14) ; aliquos tamen proponam. Primus est hic terminus *macula,* qui apud mysticos non significat culpam sicut apud scholasticos significat ; sed designat quodcumque impedit plenam Dei communicationem, sive libere positum, sive ex necessitate habitum. Unde habitus vitiosus, quivis appetitus cuiusvis quantumvis minimae imperfectionis animam maculant, ut docet Extaticus Doctor D. Ioannes a Cruce citatus lib. I, num, 65. Verum D. Thomas egregie huius mysticae doctrinae radicem detexit in *De Veritate,* quaest. 13, art. 4 (15), dicens : *Per se impediunt se invicem intellectivae, et sensitivae operationes : tum per hoc quod in utriusque operationibus oportet intentionem esse : tum etiam, quia intellectus quodammodo sensibilibus operationibus admiscetur ; cum a phantasmatibus accipiat ; et ita ex sensibilibus operationibus quodammodo intellectus puritas inquinatur.* Ecce coniunctio sensibilis operationis cum intellectiva, quae omnino necessaria est intellectui quoad vivit, illum maculat, quatenus impedit plenam communicationem Dei.

14. Etiam utuntur his singularibus terminis videlicet : *Liquefactio, languor, fervor, gustus, contactus, amplexus, osculum, mors, annihilatio, transformatio.* Ex quibus *liquefactio* tunc datur, quando anima nimio Dei amore succensa duritiem pristinam relinquit et diffusa tendit in ipsum Deum, quem diligit. Sic D. Thomas *in Psalm* 21 (16), ad illa verba *factum est cor meum tanquam cera liquescens.* Quae hoc glossemate explicat Angelicus Doctor (17) : *Liquefactio etiam est amoris: Cant., V, anima mea liquefacta est. Res antequam liquefiat dura est, et constricta in se ; si liquescit diffunditur et tendit a se in aliud. Timor etiam quandoque indurat, quando scilicet non est magnus : et sic est etiam de amore ; quia quando supervenit amor, tunc homo tendit in aliud, quod in se erat ante. Languor* dicitur illa infirmitas, quae animam amantem, nec suum dilectum invenire potentem, cruciat; secundum illud *Cant.,* V (18) : *Adiurio vos filiae Hierusalem, si inveneritis dilectum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* Absentia enim dilecti languet anima. Dum autem ipsa anima sponsi absentia torquetur, illum invenire desiderans, a se egressa vicos et plateas lustrat ut inveniat. Et his actus, quo a se egreditur, dicitur *fervor.*

15. *Gustus* dicitur notitia illa experimentalis, quam in contemplatione habet anima de Deo, et ad augmentum notitiae crescit gustus ; unde solum in patria erit undequaque perfectus. Sequitur *contactus* et est delicatissima sensificatio, qua Deus animam immediate tangit, et ob hoc dicitur *tactus* seu *contactus,* ut tradit Seraphicus Parens noster D. Ioannes a Cruce. Deus enim *tangit animam, gratiam in ea causando,* ait D. Thomas, *De Veritate,* quaest. 28, art. 3 (19). Hoc contactu manet anima valde locuples, colligens uberem thesaurum substantialis virtutis et fortitudinis, ut docet Seraphicus noster Doctor, lib. II, *Ascensus,* cap. 32 (20).

16. *Amplexus* signat unionem animae

(14) Ioseph a Spiritu Sancto, *Cadena Mystica Carmelitana,* col. I, prop. I. resp. 4 et sqq ; ed. 1678, pp. 4b et sqq ; cf. tota « Propuesta I : *Como se han de entender los terminos, y frases obscuras de que usa San Dionisio, y otros Doctores Mysticos en la doctrina de esta Theologia* ». pp. 1a-10b.

(15) Ed. Vivès, t. XV, p. 6b : *Per se quidem impediunt...* — cf. etiam *De veritate,* q. 12, a. 4, ad 3 ; ed. Vivès, t. XIV, p. 608a.

(16) v. 15.

(17) *In Ps. 12,* v. 15 ; ed. Vivès, t. XVIII, p. 349b :... *quod ante in se erat.*

(18) v. 8 ; Hetzenauer, p. 600 : *Adiuro vos filiae Ierusalem, si inveneritis dilectum meum,...*

(19) Ed. Vivès, t. XV, p. 319a.

(20) Ed. crít., cap. 30, t. I, p. 264-267.

cum Deo ; et *osculum* delicias ex illa unione venientes. *Mors* animae est felicissimus ipsius status, quo sibi et solo mortua, soli caelo caelique Domino vivit, iuxta illud D. Pauli (21) : *Vivo ego iam non ego : vivit vero in me Christus.* Hanc mysticam mortem causat languor ille, de quo modo dicebamus, ut docet D. Thomas, *Cant.*, V (22). *Annihilatio* apud scholasticos est destructio totius entis ; mystici autem vocant annihilationem felicissimum illum statum, in quo anima nec memoriam sui, nec alterius rei praeter Deum habet. Rerum omnium oblita unam petit (23) a Domino et hanc requirit, ut inhabibet in domo Domini omnibus diebus vitae suae (24). Quod assequitur, dum in Deum media hac annihilatione transformatur. Et haec *transformatio* est ultimus ex propositis terminis; consistitque in eo quod anima perfectissime purgata adeo intime Deo unitur, ut divina videatur et ut talis operetur. Quem gradum paucissimi consequuntur. O utinam omnes consequeremur !

SYNTAGMA SECUNDUM

De proprietatibus termini mystici.

17. Sicut ad terminum dialecticum suae sequuntur proprietates, sic ad terminum mysticum. Ex quo enim anima amore Sponsi languet, vel in ipsum transformatur, aut alia subit, quae dictis terminis mysticis explicantur ; res divinissimae sequuntur, quarum praecipua causa est amor. Hic mirabiles effectus causat, quorum explicationi quaecumque mens humana exigua est. Eorum notitiam, ut ut possim, adducam, illam extrahens e proprietatibus termini dialectici.

18. Sex ponunt explicantque Patres Complutenses, libro II *Summularum,* cap. 4 et 5 (1); quae sunt *suppositio, ampliatio, restictio, alienatio, diminutio et remotio.* Quae omnia beneficio amoris in mysticis reperiri, res nostra praesens est ; eaque non iniucundam materiam sequentibus lectionibus dabit ; illas tamen paragraphis distinguemus, ut distinctius procedamus.

§. I

De suppositione mystica

19. Suppositio dialectica est : *positio termini loco alterius* (2) ; nam si loco sui ponatur, suppositio erit inutilis prorsus ad scientiae felicitatem comparandam. Sic homo, et ponitur loco sui, et loco Dei ; loco sui ponitur ab amore sui, cuius manibus miserabiliter perit ; loco Dei ponitur ab amore Dei, cuius flammis divinisatur.

LECTIO PRIMA

20. Tale est divini amoris genium, ut caelum e solo plasmet hominemque in Deum mystice mutet. Quod facit illis suis decem gradibus, quorum meminit D. Thomas, *opusculo* LXI (3), ubi quidquid ad huius amoris intelligentiam con-

(21) *Gal.*, c. II, v. 20 ; Hetzenauer, p. 1133 : *Vivo autem, iam non ego:...*

(22) *In Canticum Canticorum,* cap. V ; ed. Vivès, t. XVIII, p. 586a.

(23) Sic in I et Neapol. Ed.; in IV vero editione legitur « *petiit* ».

(24) *Ps.* 26, v. 4.

(1) i. e. COMPLUT. ABBREV. seu IOANNES AB ANNUNTIATIONE, ed. Lugduni, 1670, t. I, pp. 18a-23a. — COMPLUT., *Summulae,* lib. I, cap. 5 et 6 ; ed. Francofurti, 1629, t. I, pp. 13a-15b.

(2) COMPLUT. ABBREV., *Summulae,* lib. II, cap. 4; ed. 1670, t. I, p. 18a ; *positio termini loco alicuius.* — COMPLUT., *Summulae,* lib. I, cap. 5 ; ed. 1629, t. I, p. 13a : *Est positio, seu usus termini loco alicuius.*

(3) scil. *De dilectione Dei et proximi ;* ed. Vivès, opusc. LIV, t. XXVIII, pp. 324b-394b.

ducit, angelice explicat. Eum imitatur Seraphicus noster Parens D. Ioannes a Cruce, libro II *Noctis*, cap. 19 et 20 (4). Horum ergo graduum primus est : *languere utiliter*. Ex quo enim anima media hac scala amoris Domino, illi innixo, unitur, infirmitatem contrahit qua languet. Primum siquidem quod ut proprietas resultat ex animae ad Deum subiectione, est languor hic.

21. Languet carnali amore percitus, sed in interitum, teste Amnone originis piae impio germine. Languet caelesti amore saucius, sed utiliter ; quippe medio hoc languore veteris hominis sentes amburuntur et exsules paradisi gratiae redonantur. Hoc superno languore dulciter torquebatur sponsa cum dicebat Cant., V (5):*Adiuro vos filiae Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* Quae verba sic explicat D. Thomas ibi (6) : *Bene autem se amore languere dicit. Quanto enim superna desiderare coeperit, tanto magis erga ea, quae mundi sunt, infirmatur et languescit. Nec mirum si tales languere dicuntur, cum Apostolus, Colossens., III, eos mortuos dicat: mortui, inquiens, estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

22. Ecce ad unionem languor sequitur, ad hunc mors ; quia languor ille, qui animam in Deum inclinat, propriam voluntatem perimit. Unde infirmitas illa non est ad mortem animae, sed ad ipsius vitam. Pulchre docet hoc D. Thomas, *opusculo citato* (7) dicens : *Verum infirmitas haec non est ad mortem, nisi forte ad mortem mortis scilicet peccati.*

23. Hinc provenit animam hac infirmitate robustam, Deum *quaerere incessanter et operari indesinenter* (8) ; qui sunt alii amoris divini gradus ; quippe cum operari sequatur ad esse, anima quae e tumulo suae mysticae mortis exsurgit pene divina, operationes elicit sibi similes. Sic, cum D. Thoma, noster Frater Ioseph a Iesu Maria, libro II *De ingressu animae*, cap. 2 (9) ; sed pro multis audiatur Seraphicus noster Doctor in *Flam.*, cantione II, v. 6 (10). Loquitur de anima ad hanc vitam novam resurgente et ait : *Todos los afectos del alma, sus potencias, y operaciones de suyo imperfectas, y baxas se buelven como divinas. Y como quiera, que cada viviente viva por su operacion, como dicen los Philosophos, teniendo sus operaciones en Dios por la union, que tienen con Dios, el alma vive vida de Dios, y se ha trocado su muerte en vida.* Omnes animae affectus, potentiae et operationes de se imperfectae inferioresque, velut divinae se vertunt (11). Quomodolibet, quod quisque vivat, ut a philosophis asseritur, habentes suas operationes in Deum per unionem, quam cum ipso tenent, vitam Dei anima vivit et in vitam

(4) Ed. crit., *Noche oscura del espiritu*, canc. II, v. 1, §. 3 et 4 (cap. 19 et 20) ; t. II, pp. 112-119.

(5) v. 8.

(6) Ed. Vivès, t. XVIII, p. 586a : *Bene autem se amore languere dicit : quando enim superna desiderare coeperit, tanta magis erga eaque mundi sunt infirmatur et languescit...* (Ut patet textus a P. Ioseph a Sp. S. allatus melior est).

(7) scil. opusc. *De dilectione Dei et proximi ; De decem gradibus amoris secundum Bernardum*, Primus gradus ; ed. Vivès, opusc. LIV, t. XXVIII, p. 351b :... *scilicet peccati mortalis.*

(8) S. THOMAS, l. c., secundus et tertius gradus; ed. Vivès, t. XXVIII, pp. 351b-352a.

(9) *Entrada del Alma al Parayso Espiritual (que es la segunda parte de la Subida del Alma a Dios y Entrada en el Parayso Espiritual)*, Part. II, lib. II, cap. 2 ; ed. 1694, pp. 350-354 ; et melius Part. II, lib. I, cap. 28 ; ed. cit., pp. 331-337. — Cf. *Appendix*.

(10) *Llama de amor viva*, canción II, v. 6 ; edic. crit., t. II, p. 426 : *Todos los apetitos del alma y sus potensias según sus inclinaciones y operaciones (que de suyo eran operación de muerto y privación de vida espiritual) se truecan en divinas. Y como quiera que cada viviente viva por su operación, como dicen los filósofos, teniendo el alma sus operaciones en Dios por la unión que tiene con Dios, vive vida de Dios ; y así ha trocado su muerte en vida, que es vida animal en vida espiritual. — Primera Llama de amor viva*, canc. II, v. 6 ; ed. crit., t. II, p. 643 : *Todos los apetitos del alma y sus potencias, y las operaciones de ellas, que eran de suyo operaciones de muerte et privación de la vida espiritual, se truecan en divinas ; y como quiera que cada viviente viva por su operación (como dicen los filósofos), teniendo sus operaciones en Dios, por la unión que tienen con Dios, el alma vive vida de Dios, y se ha trocado su muerte en vida.*

(11) In editione Neapolitana legitur : « *velut in Divinas se vertunt.* »

mors eius conversa est. Unde ad illam divinam vitam, qua fungitur, indefessa sollicitudo indeficiensque operatio sequuntur.

LECTIO SECUNDA

24. Nihil feci, si huius languoris naturam non aperio. D. Bernardus, *Sermone 46 in Cant.* (12), sic eum definit : *Affectio quaedam de absente dilecto amantem conficiens.* Et est duplex : unus proprius proficientium, alius vero perfectorum. Uterque ab eadem causa provenit, sed non eodem modo sumpta ; quare modalis diversitas causae causat diversitatem languorum. Primus provenit a caritate perfecta ; sed quae non plene confert suum effectum subiecto ob huius indispositionem ; non enim est adhuc plene purgatum perfectumque ; atque adeo non dominatur illi caritas ea, qua par est, perfectione. Secundus oritur a caritate afficiente subiectum iam perfectum; unde recipit totum caritatis impulsum ; proptereaque est iste languor perfectior.

25. Convenientia horum languorum in causa facit eos in substantia convenire ; differentia vero in modo facit eos in effectibus discriminari. Primus languor facit quod animae nihil praeter Deum placeat. Quidquid videt, audit sentitque, non placet, immo displicet ; quia in iis non invenit quem languens incessanter quaerit. Et ab hac dilecti absentia provenit, ait Richardus de Sancto Victore, *De grad. viol. caritatis,* fol. 136 (13), quod *anima corpore deficit, corde tabescit, ac languescit, consilium non accipit, sed clamat cum sponsa : nuntiate dilecto, quia amore langueo.*

26. In eodem creatorum taedio et Dei fame consistit secundus languor ; qui cum in subiecto perfectiori sit, perfectius imprimitur ; a qua perfectissima impressione provenit quod animam fortissime inclinet ad quaerendum incessanter et ad operandum indesinenter. Non enim moras patitur vehemens haec flamma suum centrum inquirens.

27. Et quia rei quidditas melius per effectus percipitur, dicam cum nostro Thoma a Iesu, *De oratione divina,* libro III, cap. 9 (14), quod primus ille languor regulariter causat materiales impetus et deliquia. Secundus vero producit impetus spirituales et ferventissimam sitim, quam cum non possint extinguere creaturae ; nec Creator, qui solus illam satiare potest, videatur, languescit anima ; suisque effectibus in se reflexa caelestis febris augetur et causat immedicabile vulnus. De quibus omnibus aliqua dicam.

28. Observa tamen languorem formaliter et metaphysice non consistere in illa sollicita inquisitione, nec in operatione illa continua, nec in impulsibus, nec in siti aut fame. Haec enim potius sunt effectus languoris quam eius quidditas, quae ex tradita definitione venari aliqualiter potest. Siquidem ex quo anima loco Dei posita ab ipso Deo absorbetur et deificatur, ut ait Seraphicus noster Doctor in *Flam.,* cantione II, vers. 6 (15), propter Sponsi absentiam languet ; quippe sustinere non potest hanc absentiam, sciens in Sponso suo habere omnem felicitatem ; quamobrem telo huius absentiae conficitur suspensaque est velut inter caelum et terram ; hanc fastidiens, illud ambiens, neutrumque pro votis evenire deplorans ; quia nec

(12) *Sermo. LI in Cantica,* num. 3 ; Migne, P. L., t. 183, col. 1026 : *Quod non est aliud, quam taedium quoddam impatientis desideril, quo necesse est affici mentem vehementer amantis absente quem amat dum totus in exspectatione, quantamlibet festinationem reputat tarditatem.*

(13) *Tractatus de quatuor gradibus violentae charitatis ;* Migne, P. L., t. 196, col. 1211 : *Si enim eo frui non possit corpore deficit, et corde tabescit. Consilium non recipit, rationi non acquiescit, nullam omnino consolationem admittit.*

(14) Ed. Coloniae Agrippinae, 1684, t. II, p. 273. — Cf. infra *Appendix.*

(15) *Llama de amor viva,* canc. II, v. 6 ; ed. crit., t. II, pp. 425-429. *Primera Llama...,* t. II, pp. 643-645.

terram deserit prout desiderat ; nec Deum reperit, quem sine velaminibus contempletur ; et hoc est, quod illam conficit et sauciat ; et in hac confectione consistit metaphysice languor, ad quem illae aliae affectiones sequuntur.

29. Anima enim haec patiens, quaerit incessanter ut inveniat ; operatur indesinenter ut obtineat ; in impetus prorumpit sitibunda si forte, quem diligit, valeat reperire ; quae sane a languore discerni dignoscuntur, sicut et languor ipse ab amore, qui quidem omnium harum affectionum causa est.

LECTIO TERTIA

30. Ab anima languente resultant dicti impulsus, qui, ut vidimus numero 27, alii sunt materiales, spirituales alii ; quae differentia a subiecto eos patiente venatur ; quia si non est perfecte purgatum, impulsus est materialis ; si autem perfecte purgatum est, datur spiritualis impulsus. Primus dicitur materialis, non quia a causa spirituali non sit, sed quia facit animam in affectus materiales prorumpere et eo materialiores quo minus purgata est. Ad eum plane modum, quo lignum, si perfecte dispositum est, recipit quasi insensibiliter flammam ignis ; si autem non est a contrariis dispositionibus purgatum, effectus sensibiles et materiales producit. Pariformiter dum anima perfecta non est, habet hos materiales effectus vi superni luminis et amoris, quibus, ait sanctissima Theresia in *Vita,* cap. 29 (16), anima mori desideraret, cuius crudelissima poena et suavis gloria ita eam decipere facit, ut nesciens quo se vertat, dum magis vulnerari et conflagrari videtur, in impetus magis extraordinarios explicatur.

31. Impetus isti, ait noster Philippus a Sanctissima Trinitate in *Theologia mystica,* parte III, tractatu 1, disp. 3, art. 4 (17), sunt veluti sagitta a Domino immissa, qua anima excitatur et tota, praesertim in exordio, tremit, ingemiscit et dulcissime se sauciatam sentit. Quod fit mira divini amoris dexteritate ; siquidem Deus, qui communicat hoc lumen et amorem, aufert promptam reflexionem luminis et flammam intensiorem infundit ; unde anima se videt in rogo ardentissimo cremari et vulnerari, quin manum vulnerantem inveniat ; ob quod clamoris vocibus de sic eam vulnerante conqueritur. Videatur Seraphica Theresia, libro *Vitae* suae, cap. 29 (18).

32. Impulsus pure spirituales oriuntur ex dictis lumine et amore ; sunt tamen, ut dictum est, praecedentibus multum perfectiores ; quia cum imprimantur subiecto perfecto suavissimos effectus producunt. Sauciatur anima et ardet, sed adeo suaviter et tranquille ut nullatenus sensibiliter percipiatur ardor iste ; flagrat ardentissimis desideriis poenosis, sed simul dulcibus et pacificis ; et quibus non inquiete, sed tranquille et moderate movetur. Mire haec aperit Sanctissima Mater nostra Theresia, *Mansione* VI, cap. 2 (19).

§. II

De amplicatione et restrictione mysticis

33. Oppositae inter se sunt ampliatio et restrictio apud dialecticos ; siquidem ampliatio est extensio termini ; restrictio vero est ipsius termini coarctatio. Illa facit terminum de minori ad maius elevari ; haec illum facit de maiori ad minus redire (20). Quod etiam in termino mystico dari, nunc declarari oportet.

(16) Ed. crit., t. I, pp. 231 sq.

(17) *Summa theologiae mysticae,* Parte III, tractatu I, discursu 3 (et non « tomo I, disp. 3. » ut legitur in antiquis editionibus Isagogae), art. 4 ; ed. Bruxellis, 1874, t. III, pp. 98 et 99.

(18) Ed. crit., l. c.

(19) Ed. crit., t. IV, pp. 107 sq.

(20) Complutenses, *Summulae,* lib. I, cap. 6 ; ed. Francofurti, 1629, t. I, p. 15. — Complut. Abbrev., *Summulae,* lib. II, cap. 5 ; Lugduni, 1670, t. I, p. 22.

LECTIO PRIMA

34. Divinus ille amor, qui scala est, qua ad caelum itur, animam, quam loco Dei positam habet, roborat ne ipsius Dei absentia et continua defatigatione pereat. Unde idem amor et morbum secum affert et medicamen. Quod patet in 4, 5 et 6 *Caelestis scalae* gradibus. Horum primus est *sustinere infatigabiliter*. Secundus est *appetere impatienter*. Tertius vero est *currere velociter* (21). Ne ergo velocitas cursus et desiderium impatiens amantem animam perimant, amor ipse eam sufferentia infatigabili ornat, qua tolerare valeat impatientiae cursusque laborem. Et sane si ipso amore fatigante non recrearetur, periret.

35. Vehementissimus est iste amor, eiusque vi anima ampliatur seipsam super se elevans, ut palmae fructus, qui sponsus est, apprehendere possit ; quod quia non consequitur, restringitur, humiliter se coarctando ad centrum suae parvitatis. Clarissime hanc ampliationem et restrictionem in anima hac febre laborante recognoscit Extaticus noster Parens, libro secundo *Noctis*, cap. 19 (22), ubi ait : *En este grado tanta es la vehemencia, que el amante tiene por aprehender al amado, y unir se con él; que toda dilacion, por minima que sea, se le haze muy larga, molesta, y pesada ; y siempre piensa, que halla al amado, y quando vé frustrado su deseo, (lo qual es casi á cada paso) desfallace en su codicia, segun hablando en este grado lo dize el Psalmista : Codicia,* (ecce ampliationem) *y desfallece* (ecce restrictionem) *mi alma á las moradas del Señor*. Quam utilissimam sententiam sic legere vales : In hoc gradu tanta est vehementia, qua amans ardet ut amatum apprehendat seque illi intime uniat ; quod quaevis mora, etiam minima, sibi valde diuturna, gravis et importuna videatur. Continue iudicat se suum dilectum reperisse; et cum spem suam delusam videt (quod frequentissime evenit) deficit et tabescit. Sicuti in hoc ipso gradu locutus Psalmista dicit : *Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini* (23).

36. Hoc ipsum explicat D. Thomas, *opusculo citato* (24), sic : anima, quae hoc amore percussa deliciatur, *bolismum patitur summi boni, hiat, et inhiat, concupiscit, et deficit*. Paucissimis rem totam comprehendit Angelicus Doctor. Asserens enim bolismum pati hanc animam ampliationis et restrictionis meminit, quas penitius explicat, dum addit : *Hiat, et inhiat, concupiscit et deficit*. Siquidem dum inhiat et concupiscit, ampliatur seu extenditur beneficio amoris ; dum autem hiat et deficit, restringitur seu coarctatur industria humilitatis. Unde inter hos duos terminos occupata infatigabiliter sustinet, quod dilectum, quem appetit impatienter et post quem currit velociter, facie ad faciem videre non possit. Ceterum sive a propria pusillitate in Dei magnitudinem elevetur, sive ab huius magnitudinis fastigio, bolismum passa, in propriam pusillitatem regrediatur, arcem sibi in caelis construit, quam deliciis affluens habitet in aeternum. Pulcherrime hoc docet D. Thomas (25) hac opportuna elegantique phrasi : *Directus est autem cursus a*

(21) D. THOMAS, opusc. *De Dilectione Dei et proximi : De decem gradibus amoris secundum Bernardum;* ed. Vivès, opusc. LIV, t. XXVIII, p. 351a.

(22) Ed. crit., *Noche del Espiritu,* canc. II, v. 2 ; t. II, pp. 115-116 : *En este grado el amante tanta es la vehemencia que tiene por aprehender al Amado... lo dice el Salmista diciendo : Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. Codicia y desfallece mi alma á las moradas del Señor* (*Ps* 83, 9).

(23) I vero editione legitur : « In isto siquidem gradu tanta est vehemens vis ab amante habita, ut apprehendat amatum, secumque illum uniat, quod omnis mora (quantumvis minima sit) illi prolixa, molesta, et ponderosa maxime sit ; et semper cogitat amatum reperire, et dum videt suum frustratum desiderium (quod quasi passim evenit) deficit in sua expetitione, sicut de isto gradu alloquendo dicit Psalmista : Concupiscit (ecce ampliationem) et deficit (ecce restrictionem) anima mea in atriis Domini. — Similiter in Neapol. ed., praeter : «... secumque illum uniat.... »

(24) gradu 5 ; ed. Vivès, t. XXVIII, p. 353a.

(25) gradu 6 ; ed. Vivès, t. XXVIII, p. 353b :... « *Exultavit* » *enim quidem* « *ad currendam viam, a summo caeli egressio ejus et occursus ejus* ».

summo deorsum (haec est humilitatis restrictio) *vel ab imo sursum* (haec est amoris ampliatio) *exultavit quidem ad currendam viam a summo caelo egressio eius, et occursus eius, usque ad summum eius.* Quo nil proprius pulchriusve.

LECTIO SECUNDA

37. Aliter hanc mysticam ampliationem et restrictionem explicat Seraphicus noster Doctor, libro II *Noctis,* cap. 13 (26), ubi ait : *La hambre, y sed, que tiene de lo que le falta, que es la union, y las fuerzas, que ya el amor ha puesto en la voluntad, con que la ha apassionado ; la haga ser ossada, y atrevida, segun la voluntad inflammada : aunque segun el entendimiento por estar á escuras, se siente indigna, y miserable.* Hoc est : Fames sitisque qua anima percita amore torquetur, quia unione, pro qua suspirat, caret ; et insuper robur, quod amor in ipsam impressit, sanctis audaciam illi conferunt secundum voluntatem ; quamquam attenta obscuritate, qua intellectus procedit, propriam indignitatem ac miseriam recognoscit (27). Haec expertissimus sanctus de anima impatiente hoc amore percussa. Ubi perspicue ostendit animam istam media sua inflammata voluntate ampliari ; medio vero intellectu restringi.

38. Nec praetereas Doctorem sanctum appellare hunc impatientem amorem famen sitimque ; et eundem a Seraphica Matre nostra D. Theresia (28) dici sagittam ; quae nomina intensionem huius amoris ostendunt. Quippe dicitur sagitta ob velocitatem, qua ferit divinus hic amor fulgetris longe ocior. Repente enim animam invadit simul percutiens et sanans. Sanans amoris proprii vestigia et percutiens adeo intime animam, ut nihil ipsius remaneat impercussum. Propterea D. Thomas illum dicit acutum in III *Sent.,* dist. 27, quaest. 1, art. 1, ad 4 (29) his verbis : *Acuti est ad intima rei dividendo devenire ; et similiter amatum penetrat amor ad interiora eius perveniens.*

39. Acuta haec amoris sagitta adeo fortiter rapit in Deum animam ; ut haec solius Dei meminerit, sui penitus oblita nisi ad contemptum. Egregie Seraphica Doctrix sagitta hac vulnerata, hoc asserit cap. 29 suae *Vitae* (30) dicens : *Hincan una saeta en lo mas vivo de las entrañas, y corazon á las vezes, que no sabe el alma qué ha, ni qué quiere. Bien entiende que quiere á Dios, y que la saeta parece traía yerva para aborrecerse á si por amor de este Señor, y perdería de buena gana la vida por él.* Id est : Interdum in intimiori fundo viscerum et cordis sagitta configitur, cuius vulnere anima penitus absorbetur, quid habeat aut quid velit ignorans. Probe scit se Deum diligere ; et quod spiculum, forsitan herba conditum, odium sui secum affert et amorem Dei ; ob quem felix iste patiens ultroneus martyr occumberet (31). Ex quibus habes sagit-

(26) Ed. crit., *Noche oscura del espiritu,* canc. I, v. 2 ; t. II, p. 95... *por estar á oscuras y no illustrado se siente indigna y miserable.*

(27) In I ed. legitur : « Fames, et sitis, quam habet de illo, quod sibi desit, quod est unio, et fortitudines, quas amor in voluntate posuit, cum quibus illam passam reddidit ; audacem, et confidentem facit, prout voluntas inflammata est : quanvis secundum intellectum, quia in caligine est, se indignam miserabilemque sentiat ». — In Neapol. ed. vero : « Fames, et sitis, quam habet de unione, quae sibi deest : viresque, quas amor in voluntate posuit, quibus illam inflammatam reddidit ;... » (cetera ut in I ed.).

(28) *Vida,* cap. 29 : ed. crit., t. I, pp. 232 et 233.

(29) Ed. Vivès, t. IX, p. 421b : *Acuti enim est dividendo ad intima rei devenire ; et similiter amatum penetrat amantem, ad interiora ejus perveniens.* — In antiquis editionibus erronee ponitur « *dist. 17* ».

(30) Ed. crit., t. I, pp. 232-233.

(31) In I ed. legitur : « Intimis in visseribus (sic), aliquandoque in corde sagittam transfigunt, ut ubi sit, et quo affectum tendat, anima nescit. Bene autem intelligit, quod Deum vult, et quod sagitta secum herbam duxisse videtur, ut ex istius Domini affectu odio se habeat, et libenter pro illo vitam perdidisset ». — In Neapolitana : « Intimis in visceribus, ac in praecordiis aliquando sagittam infigunt; tuncque ubi ipsa sit : vel quo affectum tendat anima nescio, intelligit utique se velle Deum : et quod sagitta haec (veluti herba prodigiosa illita) ex Domini amore, et ad seipsam odio habendam : et vitam libentissime pro dilecto profundendam vehementer accendit ».

tam hanc amoris animam ampliare usque ad Deum et ipsam usque ad sui contemptum restringere.

40. Dicitur etiam impatiens hic amor *fames ;* quia sicut famelicus appetit impatienter satiari ; ita animae hoc amore vulneratae famen ut canes patiuntur et circumeunt sanctam civitatem, si forte videant qua aeterna tabernacula ingrediantur. Est quippe Deus proprius animae cibus, quo vivit, movetur et est ; unde anima usque dum hunc cibum apprehendat, famen patietur ; nec satiabitur, donec appareat gloria Domini.

41. Ob simile motivum dicitur *sitis ;* quia sicut qui siti laborat, nihil cogitat nisi potum et vel dormiens fontes lustrat; sic iste amor facit animam intensissime sitire ; proptereaque *sitis* appellatur. Et apte, quia sicut sitis materialis ex nimio potu et viscerum adustione provenit ; sic haec spiritualis sitis oritur ex frequenti potatione animae, quae de torrente voluptatis in via bibens (32) et nimia caritate flagrans, ipsam caelestem aquam, quam in via bibit, in patria gustare sitit. Quippe exsulibus haec potatio sitim non exstinguit, sed auget ; eoque currunt in siti cum Davide ut in flumine illo, cuius impetus laetificat civitatem Dei (33), de exstincta sua siti glorientur.

42. Huius sanctissimae hydropisis varii sunt effectus, de quibus haud difficulter potest iudicium facere director. Quod autem solet aliquam divisionem inter magistros causare, est desiderium impatiens, quo isti sitibundi corripiuntur, petendi a Deo labores, quibus velut imbre tellus refrigerentur in siti, qua fatigantur. In quo dissidium aliquod est inter directores. Alii enim iudicant perfectius esse postulare a Deo illos ipsos labores, qui sitiuntur. Per labores enim conformes fiunt imagini Filii sui (34), qui, vel opprobriis saturatus, adhuc maiora sitiebat. Alii vero per oppositum affirmant melius esse divinae voluntati se conformare: sitire labores, sed non petere, nisi quod fiat voluntas Dei.

43. Perfectae hae viae sunt et in praxi securae ; etsi relate ad hoc vel illud subiectum attendantur, iam unam, iam alia sequenda erit pro genii, status et aliarum circumstantiarum diversitate. Ast si secundum se inspiciantur, secunda praeferenda est. Siquidem non recusat labores, qui se conformat Deo, e cuius manu eodem vultu aerumnas suscipit ac delicias. Sic enim labores inspiciuntur sub altiori motivo, auferturque errandi occasio ; quia qui in omnibus desiderat quod Dei voluntas impleatur, errare minime potest. Et sic etiam melius conformamur imagini Filii Dei (35), qui licet passionem ambiret, suo patiendi desiderio Dei voluntatem praeposuit dicens : *Non sicut ego volo, sed sicut tu* (36). Qui actus tantum Deo placuit, ut in capite libri scriberet hanc promptam resignationem.

§. III

De mystica alienatione

44. Terminus dialecticus solet a sua propria significatione extrahi et alienari, ut patet in hoc dicto : *Vicit leo de Tribu Iuda* (37) ; ubi ille terminus *leo,* qui puram creaturam ex se significat, alienatur a sua hac significatione et significat Creatorem (38). Nullibi vividius exprimitur industria divini amoris, cuius proprium genium est has transformationes formare. Amore Verbum

(32) *Ps.* 35, v. 9.
(33) *Ps.* 45, v. 5.
(34) *Ad Rom.*, c. VIII, v. 29.
(35) *ib.*
(36) *Matth.*, c. XXVI, v. 39.
(37) *Apoc.*, c. V. v. 5.
(38) cf. COMPLUTENSES, *Summulae,* lib. I, cap. 6; ed. Francofurti, 1629, t. I, p. 15b. — COMPLUT. ABBREV., *Summulae,* lib. II, cap. 5 ; ed. Lugduni, 1670, t. I, p. 22b.

caro factum est ; quia propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos (39), Deus filium suum misit (40), et habitavit in nobis (41). Et industria huius amoris factum est ut terminus *homo,* qui significat purum hominem, et nomen *Deus,* quod solum Deum significabat, transierint ad significandum *homo* verum Deum et *Deus* hominem. Quod in nostra mystica theologia evenit ; siquidem creatura, quae exercitio huius facultatis decoratur, ipsius beneficio transit mystice in Creatorem, secundum illud mystici Doctoris nostri, cantione V, vers. 5 (42): *Amada en el amado transformada* (43). In hocque collimat annihilatio, quae huius facultatis propria est, ut patet ex supradictis. De hac ergo alienatione, quam amor causat, nunc agimus.

LECTIO PRIMA

45. In praetactis gradibus scalae amoris anima distat a Deo, ut notat D. Thomas opusculo citato. Nunc vero in septimo gradu, qui facit *audere vehementer* (44), desiderat ipsius Dei praesentiam, pertaesa distantiam ; unde ait: *osculetur me osculo oris sui* (45). *Id est,* explicat D. Thomas (46), *per se ipsum mihi loquatur.* Quod assequitur in gradu octavo amoris, qui facit *stringere indissolubiliter.* Ubi D. Thomas ait (47) : *Omnia praecedentia fieri possunt in distantia, verum hic primum est coniunctio amantis cum amato.*

46. Hanc coniunctionem, qua fulget anima in hoc octavo gradu, in septimo vehementer audens appetit, nolens internuntios etiam angelicos ; sed Deum suum, quem diligit, sine mediationis taedio habere. Egregie hanc sanctissimam audaciam exprimit Seraphicus noster Parens in *Epithalam.,* cantione VI (48), ubi suspirat :

Ay quien podrá sanarme!
Acaba de entregarte ya de vero,
No quieras inviarme
De oy mas ya mensagero,
Que no saben decirme lo que quiero (49).

Similia precatur cantione XI, in cuius declaratione vers. 1 (50) ait, animam deliquium pati, extra se ferri rapique efficacia huius intensissimi amoris. Haec sunt Sanctissimi Doctoris verba : *Hace tal efecto en el alma, que le hace codiciar, y desfallecer en deseo de aquello que siente.* Quae latinitati donata est dicere (51) : Talem affectum in anima causat, quod facit illam concupiscere et deficere in desiderio illius quod sentit. Et subdit (52) : *Y por esso con mas fuerza es atraída, y arrebatada el alma de este bien, que ninguna cosa natural de su centro.* Quocirca hoc summum bonum potentiori efficacia animam ad se attrahit et rapit, quam ceterae res aliae a suo centro attrahantur (53).

47. Haec Extatici Doctoris verba movent ut non loquamur in praesenti de omnibus illis sensationibus, quae mysticae alienationes sunt ; sed solum de illis, quae in his duobus gradibus amoris iuxta dicta eveniunt ; de aliis vero alibi loquemur.

(39) *Ad Ephes.,* c. II, v. 4.
(40) *Ioan.,* c. III, v. 17 ; *ad Galat.,* c. IV, v. 4 ; I *Ioan.,* c. IV, v. 9.
(41) *Ioan.,* c. I, v. 14.
(42) Ed. crit., *Subida del Monte Carmelo,* t. I, p. 28 ; *Noche oscura,* t. II, p. 2.
(43) In editione Neapolitana additur : *l'amata nell' amato trasformata.*
(44) cf. D. Thomas, opusc. citato *De Dilectione Dei et proximi : De decem gradibus amoris...* grad. 7 ; ed. Vivès, t. XXVIII, p. 359b.
(45) *Cant.,* c. I, v. 1.
(46) *In Cant. Cant.* ; ed. Vivès, t. XVIII, p. 557b.
(47) Opusc. cit., grad. 8; ed. Vivès, t. XXVIII, p. 361b: *Omnia quidem praecedentia...*
(48) *Cantico Espiritual,* cancion VI ; ed. crit., t. II, p. 164 vel 496.
(49) In editione Neapolitana additur :
Ahi, Chi potrà sanarmi !
Deh datti omai in tutto, e daddovero
Non volere inviarmi
D'oggi in poi messaggiero
Che non mi sanno dir, quello che chiedo.
(50) Ed. crit., t. II, p. 215 : *hacen tal efecto... Tota « canción XI »* et eius « *Declaración* » desunt in « *El Primer Cántico espiritual* ».
(51) « *Quae latinitati donata est dicere* » desunt in prima editione ac in Neapolitana.
(52) Ed. crit., t. II, p. 216 *...es atraida el alma y arrebatada de este bien...*
(53) In I et Neapolitana ed. legitur : « Propter quod maiori vi abstracta, raptaque est anima ab isto bono, quam nulla res creata a suo centro ».

LECTIO SECUNDA

48. Harum sensationum prima est deliquium, quod vulgo dicitur *arrobamiento* (54). Evenitque cum sensuum alienatione ; quae oritur ex eo quod anima exteriora deserens ad interiora confugit divina virtute vocante, vi cuius omnes suas vires ita colligit, ut nullus suppetat calor pro animandis confovendisve sensibus. Sic Seraphica Mater nostra, libro *Vitae,* cap. 20 et *Mansione* VI, cap. 5 (55).

49. Ex cuius caelesti doctrina, loco citato ex libro *Vitae* suae (56), habemus mysticas alienationes idem inter se esse. Verba ipsius sunt : *Arrobamiento, ó elevamiento, ó buelo, que llaman de espiritu... digo, que estos diferentes nombres todo es una cosa: y tambien se llama extasis.* Latine vero sic dicas : Raptus, elevatio, volatus, quod aiunt, spiritus est eadem res diversis nominibus significata, quae etiam exstasis nominatur (57). Unde, ut asserit noster Philippus a Sanctissima Trinitate, III parte *Theologiae mysticae,* tract. 1, disc. 3, art. 3 (58) :*Oratio raptus idem omnino est apud Doctores mysticos, ac volatus, seu elevatio spiritus et extasis.* Haec licet ita esse non diffitear, differunt tamen dictae sensationes, ut ex sequentibus constabit ; quare licet ex parte luminis et quoad substantiam sint idem, quod adductae auctoritates convincunt, quoad aliqua accidentalia discriminantur.

50. Causa ergo deliquii est illa, quam numero 48 dedi ; ultra eam alias quinque assignat *Lucerna mystica* (59), sed quas, si ad praeiactam non reducas, haud probabo.

51. Deliquium hoc est duplex ; aliud perfectum, imperfectum aliud. Utrumque cum alienatione evenit, et ex hac parte est proprium huius loci. Deliquium perfectum est idem ac raptus ; unde quae de raptu postea dicemus, dicta pro deliquio seu, ut vulgo loquar, *arrobamiento* (60) intellige. Similiter cum audieris ab aliquibus alicuius notae doctoribus celebrari hoc deliquium, eos deliquium pro raptu sumere observa.

52. Deliquium imperfectum, licet ex parte luminis illud causantis non differat a perfecto, tamen quia hoc lumen imprimitur animabus non purgatis et in materialia propensis, propterea imperfectum est ; unde, ut breviter rem absolvam, si hoc perfectissimum lumen imprimitur animae iam purgatae, causat deliquium perfectum ; si vero animae imprimatur imperfectae, sausat imperfectum deliquium. Vide dicta numeris 30 et 32.

53. Haec deliquia alia sunt supernaturalia, alia vero non. Supernaturalia sunt, quae a lumine supernaturali intellectui impresso proveniunt, de quibus dictum est modo. Non supernaturalia dividuntur in mere naturalia et praeternaturalia. Mere naturalia sunt, quae proveniunt a naturali complexione ea habentium ; quod verificatur in feminis et in effeminatis, qui ex aliqua sensuum apprehensione, ita hiat eorum animus, ut viribus destituti, a sensibus alienati in deliquia explicentur. Quod ipsum evenit in iis, qui cerebri debilitate laborant aut imprudenter vigiliis et paenitentiis se tradunt. Ob quod solet illis in remedium applicari cibi somniique usus prudens, quo solo deliquia et alii affectus, quos spirituales reputant, evanescunt.

54. Ut autem cognoscatur si deliquium est naturale, inspiciatur, si tempore, quo evenit, mens sit in Deum aut aliud spiri-

(54) In editione Neapolitana additur : « *Ratto* ».
(55) Ed. crit., t. I, p. 146 ; t. IV, pp. 131 sq.
(56) Ed. crit., t. I, p. 145.
57) In ed. prima et Neapol. legitur : « Raptum, vel elevationem, seu volatum, quod de spiritu vocant... dico, esse tria differentia nomina, attamen rem eandem esse : etiamque extasis appellatur ».
(58) Ed. 1874, t. III, p. 90.
(59) LOPEZ EZQUERRA (Ioseph), *Lucerna mystica pro directoribus animarum,* tract. V, cap. 19, num. 188-195 ; ed. Bassani, 1782, p. 107.
(60) In editione Neapolitana additur : « *Ratto* ».

tuale obiectum erecta in ipsoque vivaciter occupata, ita ut naturali cognitione illuc perveniri non posse dignoscatur ; tunc enim deliquium infusum est. Si vero tunc temporis sit mens debilis, torpida et iacens humi, non est deliquium infusum, sed mere naturale.

55. Deliquia praeternaturalia causantur a daemone, qui bene potest in sensus agere et eos alienare. Signum ergo (praeter dicta libro de signis) ut hoc cognoscatur, petendum est ex parte effectus, tum etiam ex parte causae. Ex parte quidem effectus attendatur, si vires interiores animae sunt in Deo profunde occupatae ; quia si hoc evenit, deliquium a Deo est. Si vero spiritus, dum est a sensibus alienatus, manet otiosus, negligens et obscurus ; tunc deliquium non est a Deo, sed a malo spiritu. Ex parte vero luminis, quod est deliquii causa, advertendum est quod lumen, quod a principe tenebrarum communicatur, sapit eius conditiones ; unde horrososum est et tenebrosum, languidum et insuave ; illoque anima non quiescit, sed fatigatur ; aliosque non bonos effectus parit, qui illico malum spiritum auctorem esse clamant.

56. Ex quibus patet quod, cum ex una parte sit tam periculosa haec materia, et ex alia sit valde nociva nedum saluti corporali, verum et spirituali propter inanem gloriam et remotionem a fide, quam hae exterioritates, adhuc cum bonae sunt, gignunt ; debet anima Seraphicam Matrem nostram sequi et petere a Deo quod ipsa sanctissima petiit hisce verbis in libro *Vitae*, cap. 20 (61) ; *Suplique mucho al Señor, que no quisiesse ya darme mas mercedes, que tuviessen muestras exteriores ; porque yo estaba cansada ya de andar con tanta quenta, y que aquella merced no podia su Magestad hacermela sin que se entendiesse. Parece ha sido por su bondad servido de oirme, que nunca mas hasta aora la he tenido.* Hoc est : Enixe ad Dominum exclamans petii quod in me modum imponeret suis beneficiis quae exterius cognosci possent. Mihi quippe molestissimum iam erat modos quaerere, quibus illa dissimularem. Et, ni fallor, exaudita est deprecatio mea. Quandoquidem ab illo tempore usque ad praesens eae exterioritates cessavere (62). Quod valde observare debes, non solum pro deliquiis imperfectis ; sed etiam pro omnibus alienationibus mysticis, quae exterius percipiuntur, de quibus certe loquitur Seraphica Doctrix.

LECTIO TERTIA

57. Est et alia sensatio,quae dicitur extasis, et ex doctrina D. Thomae, I^{a} II^{ae}, quaest. 28, art. 3, ad 1 (63) definitur sic, est *elevatio mentis in Deum cum alienatione a sensibus ex magnitudine ipsius elevationis procedens.* Per hoc quod extasis fiat *cum alienatione* convenit cum deliquio, a quo differt per hoc, quod alienatio in deliquio oritur non a lumine recepto, sed a recipientis imperfectione; in extasi vero provenit ex perfectione ipsius luminis, quo anima in se recolligitur et tota in Deo occupata a sensibus alienatur.

58. Nec intelligas, quod lumen extasim causans perfectius ex se est quam lumen deliquium patientis. Hoc enim non positive asseritur ; unde multoties lumen est aequale ; ast in subiecto imperfecto non operatur secundum perfectionem ipsius, sed pro capacitate subiecti impotentis

(61) Ed. crit., t. I, p. 147.

(62) In I ed. legitur : « Instantissime Dominum rogabam, ut iam non amplius gratias mihi daret, quae aliquam exteriorem apparentiam haberent, nam taediosum iam mihi erat ubique, et semper ita me circumspecte gerere, cum hanc Maiestas eius mihi gratiam dare non posset, quin aliis notam esse. Et meas ipse preces ob suam benignitatem exaudisse videtur : nam exinde usque in praesenti non amplius id mihi contigit ». — In Neapolitana vero omnia ut in I ed., praeter sequentia : « Instantissime Domino rogabam... quin aliis nota esset...

(63) cf. etiam *Comment. in psalm. XXX* ; ed. Vivès, t. XVIII, p. 394b ; et II^{a} II^{ae}, quaest. 175, art. 2, ad 1.

effectus, in quos ex se lumen inclinat, recipere. In subiecto vero purgato, quale est extasim patiens, impresso lumine, sequuntur effectus, in quos ex se inclinat ipsum lumen. Eadem est lux solis, et in visu perfecto causat illum confortans visionem perfectissimam, in noctua autem tenebras parit et confusionem. Pariformiter ergo eadem caelestis lux perfectum extra se evehit, extasim faciens ; imperfectum vero a sensibus alienat, deliquium causans ; sed taliter quod illa extasis non a subiecti dispositione proveniat, sed a lumine ; et deliquium non a lumine sit, sed ob imperfectionem subiecti. Sicut claritas in visu perfecto non est a visu, sed a sole ; in imperfecto vero obscuritas non est a sole, sed a visu.

59. Discriminantur etiam in eo quod in deliquio sensus externi patiuntur ; unde in eo sensuum alienatio potest dici vehementissima passio ; siquidem vere patiuntur et conquassantur. In extasi autem nihil patiuntur. Et radix huius discriminis ex ipsa alienationis causa petenda est ; siquidem alienatio deliquii venit a lumine impresso subiecto indisposito et materialibus assueto, eoque causat illam passionem ; ut videre est in ligno viridi, quod a calore impetitum pugnam concitat, vel videntibus iniucundam. Alienatio vero extasis non oritur a lumine ; quia cum subiectum dispositum sit, non est cur ex hac parte alienationem patiatur. Provenit autem alienatio in extasi ex eo, quod anima, luminis claritate ducta, efficacissime absorbetur in contemplatione illius obiecti, quod medio lumine attingit ; uti observat Dionysius Cartusianus, *Theologiae mysticae* libro III, art. 17 (64) ; unde sensus hic non patiuntur, quamquam propter recessum animae alienentur. Ut cernere est in iis, qui valde dediti sunt speculabilibus ; hi enim absopti in speculatione a sensibus alienantur ita ut nec videant, nec sentiant, ut de Socrate refert Caietanus, IIª IIªe, quaest. 175, art. 1 (65).

60. Cum autem extasis sit extra se poni, dupliciter accidit extasis ; quia dupliciter ponitur homo extra se, uti docet D. Thomas, Iª IIªe, quaest. 28, art. 3 (66), scilicet secundum vim apprehensivam et appetitivam. Primo modo evenit extasis, quando quis ponitur extra cognitionem sibi propriam ad superiorem evectus ; ut cum elevatur ad comprehendenda aliqua, quae sunt supra sensum et rationem ; hic enim dicitur extasim pati, quatenus extrahitur a connaturali modo cognoscendi, qui est per rationem et sensum. Secundum vim appetitivam evenit, quando appetitus alicuius in alterum fertur, exiens quodammodo extra seipsum. Primam extasim, ait praecitatus D. Thomas, facit amor dispositive quatenus facit meditari de amato ; intensa enim meditatio unius alienat ab aliis. Secundam vero facit amor directe ; simpliciter quidem amor amicitiae, amor autem concupiscentiae secundum quid. Videatur Angelicus Doctor.

61. Ex dictis habes extasis naturam, quantum patitur materia praesens, explicatam tum simpliciter ex parte causae ; tum ex parte subiecti ; tum etiam ex parte divisi et distinctionis, quam habet respectu aliorum, ut ex dictis de deliquio patet et clarius ex dicendis de raptu supernaturali constabit.

LECTIO QUARTA

62. Raptum pertinere ad hunc gradum amoris, quo anima post vehementem ausum indissolubiliter stringit, convincit Theodidacti Parentis nostri auctoritas citata numero 46, ibi : *Por esso con mas fuerza es atraída, y arrebatada el alma*: Hoc est : Propter quod maiori vi atracta raptaque est anima (67). Raptus

(64) *De contemplatione libri tres*, lib. III, art. 17 ; ed. Monstrolii-Tornaci, 1912, t. XLI, p. 278.

(65) Ed. Leonina *operum omnium D. Thomae*, t. X, p. 404b, num. II.

(66) In antiquis editionibus erronee ponitur : « *quaest. 82* ».

(67) In ed. I et Neapol. « *Hoc est* » deest et loco « *atracta* » legitur « *abstracta* ».

ergo ex D. Thoma, IIª IIªe, quaest. 175, art. 1 (68), definitur sic: est *motio spiritualis, qua anima subito fertur in obiectum superius modo sibi non naturali cum sensuum alienatione et violentia quadam.* Ex qua definitione constat maxima propinquitas, quam dicit raptus cum extasi ; ob quam multi non propinquitatem, sed identitatem ponunt. Falluntur tamen ; quia licet in pluribus conveniant, discriminantur in aliis. Quippe extasis non causat passionem in sensibus, ut dictum est ; raptus vero illam causat ; non quia subiectum sit indispositum, ut de deliquio dicebamus; sed quia subito movetur spiritus, qui antea erat vel distractus, vel licet Deum meditaretur, erat sub modo naturali, nempe cum ministerio sensuum et conversione ad phantasmata. Hunc ergo spiritum vel distractum, vel modo sibi naturali occupatum invadit subito motio divina et illum in Deum rapit. Ex quo sequitur alienatio cum passione in sensibus.

63. Hincque oritur discrimen aliud extasim inter et raptum; quia in extasi nulla violentia datur, sed magnitudine elevationis ducta fertur anima suavissimo modo, sicut avis quae blande aera pectens sidera scandit ; unde non simul a sensibus alienatur, sed nunc ab uno, postea ab aliis. Item illum ipsum sensum a quo abstrahitur, non totum instantanee deserit, sed successive ; unde prius aliquid, postea minus ac postmodum nihil sentit. Ut asserit expertissima Theresia, cap. 20 suae *Vitae* (69).

64. In raptu autem non hac suavitate alienatur ; nam licet non semper ligentur in illo omnes sensus, uti et in extasi evenit ; illi tamen, a quibus alienatur, violenter ligantur. Quam violentiam angelice explicat sanctus Thomas citatus (70) dicens, quod res dupliciter violentiam patitur ; primo quando fertur vi superioris agentis seu impulsus extra suum terminum, ut cum lapis iaculatur sursum ; tunc enim violentia invenitur. Secundo quando res licet in terminum sibi connaturalem a superiori sibi virtute moveatur, movetur tamen modo non connaturali ; ut cum lapis vi magna in centrum mittitur, tendit quidem in terminum naturalem, ast non naturali modo tendit, sed violento ; quia lapis ille naturae suae relictus in centrum sane descenderet, non autem adeo velociter.

65. Sic ergo in raptu ita subito movetur anima, ut licet in terminum sibi connaturalissimum tendat, rapi dicatur propter velocissimam motionem, qua agitatur. Audiatur citatus D. Thomas, art. 2, ad 1 (71) : *Extasis importat simpliciter excessum a se ipso, secundum, scilicet, quod aliquis extra suam ordinationem ponitur ; sed raptus super hoc addit violentiam quamdam.*

66. Hanc ipsam violentiam insinuat Sanctissima Theresia loco allegato (72), ubi haec habet : *Pues quando esta en este arrobamiento, el cuerpo queda como muerto, sin poder nada de si muchas veces, y como le toma, se queda siempre, si sentado, si las manos abiertas, si cerradas, etc...* Id est : Toto ergo tempore, quo sic rapta est anima, corpus est veluti mortuum, sibi frequenter non sufficiens. Et eo ipso modo remanet ac erat cum caelestis ille impulsus in ipsum irruit (73).

---

(68) scil. quoad sensum. Alia definitio datur a D. Thoma, *Comment. in epist. II ad Corinthios*, cap. XII, lect. 1 ; ed. Vivès, t. XXI, p. 153b : *Raptus est ab eo quod est secundum naturam in id quod est supra naturam, in vi superioris naturae, elevatio.*

(69) Ed. crit., t. I, p. 146.

(70) IIª IIªe, q. 175, art. 1.

(71) In editione Leonina, t. X, p. 403b, legitur : *Nam extasis importat simpliciter excessum a seipso, secundum quem scilicet aliquis extra suam ordinationem ponitur : sed raptus supra hoc addit violentiam quandam.*

(72) Ed. crit., t. I, p. 153.

(73) In I editione vero et Neapol. legitur : « Cum ergo in isto raptu est, corpus quasi mortuum manet multotiesque de se nihil potest, in eoque statu ubi illud arripit, semper manet, si sedens, sedens ; si manus eius apertae, apertae remanent; si clausae, clausae relinquuntur, etc. ».

LECTIO QUINTA

67. Raptus evenit animabus perfectis; quae nihil facere debent in his favoribus, sed audire quid loquatur in ipsis Dominus Deus quoniam loquetur pacem. Longe enim est a spiritu nequam, immo et ab angelo lucis verum raptum in anima causare ; quia non possunt agere in spirituales potentias, in quas solus ille agere potest, qui potentiarum et animae Dominus et Creator est.

68. Nec negamus posse daemonem raptus fingere, quibus seducat. Verum hoc facit in animabus imperfectis et quae exercitium mixtum ex sensibilibus et spiritualibus formis habent. Harum enim sensus violenter rapere potest et eis offerre visiones valde sublimes, quibus animas earumque directores decipiat. Quomodo autem discerni possit pretiosum raptum Dei a daemonis vili raptu, docent ea, quae libro de signis dedimus. Praeter quae alia particularia signa pro raptu dabimus.

69. Primum sit, quod in vero raptu habet anima maximam certitudinem se a divino spiritu raptam esse ; ita ut nec dubium, nec timor de hoc sit. In raptu autem diaboli est pavor et timor. Et quamquam secum afferat aliquam securitatem, sicut et bonus raptus timorem ; hoc autem non est valde arduum discernere ; quia illa mali raptus securitas adiuncta est cum propria aestimatione, et pavor inde secutus inquietus est et indevotus. Timor autem qui cum securitate boni raptus invenitur, est timor humilis, resignatus ortusque ex consideratione vilitatis propriae, qua anima se indignam reputat recipiendi hunc favorem ; unde timor hic securitatem non minuit ; quin potius, quia anima secura est se a Deo rapi, timet suam indignitatem videns.

70. Secundum signum sit status animae raptum patientis ; quae si imperfecta est, licet possit a Deo rapi, caute tamen procedendum est ne lateat anguis sub herba. Si vero perfecta sit et in via spiritus experta, clare cognoscet, si raptus, quos patitur, sunt a Deo.

71. Hinc divisos doctores invenio. Alii enim dicunt quod verum raptum fere semper visio imaginaria comitatur ; alii vero asserunt quod nunquam. Quae sane immediate contrariantur. Ast utriusque sententiae auctores conciliabimus, si observemus raptus nomine etiam intelligi deliquim, quod supra monuimus, et similiter quod visio imaginaria est duplex ; alia fit per species sensibiles, licet obiecta spiritualia sint ; alia, quae fit per species spirituales, quamquam obiecta sint materialia. Quo notato, dico quod doctores asserentes dari in raptu visiones imaginarias, vel sumunt raptum pro deliquio, vel loquuntur de iis visionibus, quae per species spirituales fiunt ; sic enim compatitur visio imaginaria cum raptu. Ceterum visio imaginaria quae fit mediis speciebus sensibilibus, non compatitur cum raptu proprie tali ; etsi cum raptu qui est idem ac deliquium, compatiatur. De quo agendum serio a nobis est in ultimo praedicabili ; videatur interim *Lucerna mystica* (74).

72. In vero raptu etiam audiuntur verba, ut experientia testatur D. Paulus. Quae verba divinissima sunt effectusque sibi similes producunt. De illis aliqua dicemus, cum de verbo locuti fuerimus.

§. IV

De diminutione et remotione mysticis.

73. Ultimae proprietates termini mystici sunt diminutio et remotio ; quae sunt etiam proprietates termini dialecti. Diminutio est detractio partis. Remo-

(74) LOPEZ EZQUERRA (Ioseph), *Lucerna mystica*, tract. V, cap. 21, num. 226-228 ; ed. Bassani, 1782, p. 112.

tio autem est detractio totius suppositionis ; unde ille ipse terminus, a quo per diminutionem pars suppositionis aufertur, tota illa per remotionem privatur (75). Has ergo termini dialectici proprietates cum sponsalitio et matrimonio mysticis, mystici termini affectionibus, comparabo. Est enim sponsalitium mysticum assimilatio termini inferioris cum superiori ; verum haec assimilatio partialis est, non totalis ; hoc quippe mystico matrimonio reservatur ; quod lectionibus sequentibus aperitur.

LECTIO PRIMA

74. Postquam anima ausa est dilecti praesentiam sollicitare, et ascendit ad gradum amoris qui facit *stringere indissolubiliter* (76), ab ipso dilecto suo ornatur, ut cum eo feliciter desponsetur; quam felicitatem assequitur, cum evehitur ad nonum gradum amoris, qui facit *ardere suaviter* (77). In quo gradu celebratur mystica desponsatio, ut tenet *Disceptio Mystica* (78) ; estque expressa doctrina Extatici Parentis D. Ioannis a Cruce, libro *Cantionum,* in XIII, versu 1 (79), ubi inter alia ait : *En este dichoso dia se le acaban á el alma las ansias vehementes y querellas de amor que antes tenía ; mas quedando adornada de los bienes, que digo, comienza á gozar de un estado de paz, y deleyte, y de suavidad de amor : y conociendo estas grandezas de su amado, de que goza por la union del desposorio, ya no dize cosas de ansias, y penas, como antes, sino comunicacion de dulce, y suave amor.* Est dicere : In hac felici die finiuntur animae vehementes impetus et impetuosae amoris querelae, quibus prius anxiabatur. Caelestibus bonis cumulata ingreditur fruitionem status pacifici deliciosissimi ac suavissimi amoris. Comprehendensque haec omnia sibi contulisse caelestem desponsationem ; iam non impatienter explicatur sicut ante, sed communicatione dulcis ac suavis amoris (80).

75. Hunc suavem ardorem seu desponsationem mysticam egregie explicat Seraphica Theresia (81) comparatione duplicis cerei ardentis et valde uniti. Horum lux una quidem est, verum ipsi, quamquam valde uniti, distinguuntur et facile separantur. Ecce suavitatem ardoris et mysticam diminutionem. Ab unione cereorum provenit *ardere suaviter ;* quia ex quo anima adeo intime Deo suo unitur, suaviter ardet. Ab ipsa unione habet anima quod sit idem mystice cum Deo ; at non totaliter, sed quoad lucem;

---

(75) cf. Complutenses, *Summulae,* lib. I, cap. 6; ed. Francofurti, 1629, t. I, p. 15b. — Complut. Abbrev., *Summulae,* lib. II, cap. 5 ; ed. Lugduni, 1670, t. I, pp. 22b-23a.

(76) cf. D. Thomas, opusc. *De dilectione Dei et proximi ; de decem gradibus amoris secundum Bernardum,* gradus 8 ; ed. Vivès, t. XXVIII, p. 361b.

(77) D. Thomas, l. c., gradus 9 ; ed. Vivès, t. XXVIII, p. 362b.

(78) Antonius ab Annuntiatione, C. D., *Disceptatio mystica,* tract. III, quaest. 4 ; ed. 1683, p. 272.

(79) *Cántico Espiritual* (de la escritura segunda), canciones XIV y XV, anotación; ed. crít., t. II, p. 233: *Y en este dichoso dia no solamente se le acaban al alma sus ansias vehementes y querellas de amor que antes tenía, mas quedando adornada de los bienes que digo, comiénzale un estado de paz y deleite y de suavidad de amor, según se da á entender en las presentes Canciones, en las cuales no hace otra cosa sino contar y cantar las grandezas de su Amado, las cuales conoce y goza en él por la dicha unión del desposorio. Y así en las demás Canciones ya no dice cosas de ansias y penas como antes hacía, sino comunicación y ejercicio de dulce y pacífico amor con su Amado, porque ya en este estado todo aquella fenece.* Eadem lectio invenitur in *El primer Cántico Espiritual,* l. c. ; ed. crít., t. II, pp. 532-533, praeter : *...de el desposorio. Y ansi en las demás Canciones siguientes ya no dice cosas de penas ni ansias, como antes... fenesce.*

(80) In I vero ed. legitur : « In ista foelici die absunt ab anima vehementes anxietates, et querimoniae amoris, quas ante habebat ; caeterum ornata manens bonis, quos refero, gaudere incipit statu pacis voluptatis, et suavitatis amoris : recognoscensque magnalia haec sui amati, quibus per unionem desponsationis fruitur, iam non alloquitur de rebus anxietatum, et poenarum sicut antea, sed communicationem dulcis, et suavis amoris ». — Similiter in Neapolitana ed. praeter : « ...iam non loquitur de anxietatibus, et poenis sicut antea, sed de communicatione dulcis, et suavis amoris ».

(81) *Castillo interior ó Las Moradas,* Moradas VII, cap. 2 ; ed. crít., p. 187.

quia multiplicitas illa, quae inter ipsos cereos remanet, obest perfectae assimilationi ; est quippe detractio assimilationis perfectae multiplicitas illa.

76. Si autem roges : In quo consistat haec mystica desponsatio ? Respondeo tripliciter Deum animae desponsari : primo media fide et gratia in baptismo ; secundo media absoluta et spontanea traditione ; quod proprie fit per traditionem voluntariam, qua anima se Deo tradit illum in omnibus secutura ; proprius fit per sacrorum ordinum susceptionem ; et propriissime per religiosam professionem.

77. Ultra hos duos modos est tertius, in quo Deus animae desponsatur per altissimam communicationem, qua illam sibi mystice unit, spondens se illam ducturum et in hac vita per matrimonium inchoatum, et per matrimonium perfectum in futura. Et haec est desponsatio, de qua hic loquimur ; quae sane in sublimi unione animae cum Deo consistit ; verum quia multipliciter anima unitur cum Deo, videndum nobis est, quae unio hanc desponsationem constituat.

78. Dupliciter unitur voluntas Deo, ait D. Thomas, Ia IIae, quaest. 28, art. 1, scilicet, realiter et affective. Tunc realiter unitur, cum amans est praesens amato illumque sua praesentia decorat. Tunc affective unitur, quando tota propensione praesentiam dilecti sollicitat. Primam unionem causat amor formaliter ; quia ipse est vinculum amantem cum dilecto uniens. Secundam causat ipse amor effective ; quia ipse est, qui impellit amantem ut amatum quaerat.

79. Utroque modo animam Deo uniri certum est ; nam media gratia et caritate unitur realiter Deo, cuius naturam habet media gratia ; et quia gratia et caritas faciunt animam appetere intuitivam Dei visionem ; propterea iis mediis unitur etiam affective. Hoc tamen commune est omnibus iustis ; qui magis vel minus uniti Deo sunt secundum quod magis vel minus de gratia et caritate habent. Unde in hac unione nequit consistere singulare desponsationis mysticae privilegium.

80. Quare ultra hanc habitualem unionem, quae fit media gratia, datur alia perfectissima unio, qua Deus unitur intellectui et voluntati contemplantis per illapsum in has potentias ; non quia intuitive cognoscatur, sed solum experimentaliter et per indicia ; non per fidem, sed per donum sapientiae. Quae unio sic fit. Postquam anima gratia ornata est, habet media, quibus perfecte cognoscat ametque Deum. Qua cognitione crescente, crescit amor et hoc magis radicatur gratia ; qua perfectissime radicata, perfectissima cognitio dilectioque dantur ; et cum anima ita Deo adhaeret, ut iam non solum indissolubiliter stringat, sed etiam suaviter ardet, celebratur inter Deum et animam felicissima unio, quae si permanens sit et per modum habitus, fundat matrimonium spirituale, de quo postea. Si vero actualis sit et per modum transeuntis, fundat mysticum sponsalitium.

LECTIO SECUNDA

81. Unde, ut vides, consistit desponsatio haec in unione fruitiva perfectissima, qua animae potentiae uniuntur Deo ; intellectus veluti intuitive contemplando, voluntas vero suaviter ardendo ; quae tamen unio actualis est et vix ad mediam horam perdurans, uti asserit Seraphica Theresia, libro *Vitae,* cap. 8 (82). Verum tanta dulcedine opplet animam, ut haec sit sensibus privata, pene emortua ; atque adeo, quin discernere sciat gratiam, qua fruitur, toto

(82) Ed. crit., t. I, p. 134.

tempore quo sponsalitium celebratur. Quod certe non evenit in matrimonio, in quo anima nec a sensibus alienatur, nec absorbetur ; sed in his, quae proprii muneris sunt, plena advertentia occupatur. Sic docet experientia sanctissimae Theresiae, *Mansione* VII, cap. 1 (83). Et haec est prima differentia, quae datur inter mysticam desponsationem et mysticum matrimonium.

82. Radix huius discriminis ea est (et sit secunda differentia) quod gratiae in sponsalitio concessae animae mediis sensibus recipiuntur ; unde non potest anima illas recipiens a sensibus non alienari. In matrimonio autem quidquid gratiae anima recipit, in eius centro recipitur; quiaque centrum animae est subiectum ex se nobilius et iam supponitur mediis purgationibus aptum, propterea recipit hos favores quin advertentiam amittat.

83. Tertium discrimen est illud, cuius iam meminimus ; nempe quod sponsalitium consistit in unione faciliter amissibili. Illa enim suavitas ardoris cito transit ; eoque manet anima clamans ad dilectum, quem indissolubiliter stringit, ut illam osculo oris sui iterum osculetur (84). Proptereaque comparatur sponsalitium duplici illi cereo ardenti, quos facile separabis (85) ; quod ideo est, ait *Mysticum Directorium,* tract. IV, disp. 4, numero 368 (86), quia in sponsalitio non fit totalis transformatio animae cum Deo, sed solum partialis ; unde dicitur mystica diminutio. Matrimonium vero consistit in unione, quae licet amitti absolute possit, tamen non amittitur de facili. Unde comparatur a Seraphica Theresia (87) duplici luci per duas fenestras ingredienti, quae ante ingressum duae certe sunt, post ingressum tamen ita uniuntur, ut separari non possint.

LECTIO TERTIA

84. Lucis exemplum proxime positum exprimit naturam matrimonii spiritualis. Quod celebratur cum anima acendit ad decimum gradum amoris, qui facit *assimilari totaliter* (88). Scias tamen hanc assimilationem totalem esse duplicem seu dupliciter intelligi posse ; scilicet totalitate essentiali et totalitate status. Assimilatio totalis totalitate essentiali illa est, quae assimilat quantum ex se nata est assimilare. Et hoc modo nemo, quantumvis perfectus, Deo totaliter assimilatur dum viator est ; quia huiusmodi assimilatio non datur nisi in gloria ; siquidem visio beatifica est quae facit hanc totalem assimilationem, ut asserit Extaticus noster Parens D. Ioannes a Cruce, libro II *Noctis,* cap. 2 (89).

85. Assimilatio totalis totalitate status est illa, quae habet tantum de assimilatione, quantum status patitur. Et haec in praesenti vita datur, in eaque consistit mysticum matrimonium inchoatum ; quia matrimonium consummatum, quod a perfectissima assimilatione provenit, non celebratur usque ad patriam.

86. Igitur cum anima ad perfectissimum gradum amoris de Libano vocata venit, medio hoc perfectissimo amore Deo totaliter assimilatur, cum quo matrimonium init, in illum penitus transformata. Unde patet notabile discrimen, quod est inter haec tria : scilicet sponsalitium ratum et consummatum. Primum consistit in unione actuali, sed quae cito transit, ut lectione praecedenti dicebamus ; quare sic uniti dicuntur hospites in domo Dei. Secundum con-

(83) Ed. crit., t. IV, pp. 181 sq.
(84) *Cant.*, c. I, v. 1.
(85) S. Theresia, *Las Moradas,* Moradas VII, cap. 2 ; ed. crit., t. IV, p. 187.
(86) Antonius a Spiritu Sancto, C. D., *Directorium mysticum,* tract. IV, disp. 4, §. 1, num. 368 ; ed. 1904, p. 552.
(87) l. c.
(88) cf. D. Thomas, l. c. gradus 10 ; ed. Vivès, t. XXVIII, p. 351b et 364a.
(89) Sic in antiquis editionibus. — cf. *Cántico Espiritual,* canciones XXXVI-XL ; ed. crit., t. II, pp. 344-369 ; *El primer Cántico Espiritual,* canciones XXXV-XXXIX ; ed. crit., t. II, pp. 594-613 ; *Llama de Amor viva,* canc. I, v. 5 y 6 ; ed. crit., t. II, pp. 402-409 y 629-633.

sistit in unione habituali, atque adeo multum duranti ; unde sic uniti non sunt iam hospites et advenae in domo Dei, sed sunt domestici ipsius (90). Tertium denique consistit in unione actuali, sed inamissibili. Primum est perfectum, secundum perfectius, tertium vero perfectissimum. Unio primi est perfecta, quia est actualis ; ast quia cito transit exceditur ab unione secundi, quae et permanens est et pro libito actualis fit. Unio tertii est perfectissima, et quia actualis est, et inamissibilis. Primum et secundum sunt propria viatorum ; tertium vero est proprium comprehensorum.

87. Quare, tertio ad patriam relicto, ubi quod in hac valle auditur, in supernо illo monte contemplatur. Matrimonium ratum clare cognoscitur ex iis, in quibus vidimus a sponsalitio discriminari. Praecipue tamen differunt in eo quod, si sponsalitium, ut vidimus, est mystica diminutio, quia terminum inferiorem partim assimilat superiori, partim vero non ; matrimonium comparatur remotioni, quia est totalis assimilatio termini inferioris cum Deo. Ardet quippe anima matrimonium contrahens amore faciente *totaliter assimilari.*

88. Et praeterquam quod rei proprietas ostendit matrimonium mysticum esse mysticam remotionem ; sic illud nominant magni nominis mystae. *Directorium mysticum,* agens de hoc spirituali matrimonio, ait tractatu IV, disp. 4, sect. 4, num. 438 (91), ex D. Thoma in III *Sent.,* dist 27, quaest. 1, art. 1, ad 2 (92) : *Proprium est naturae unionis, quod res inter se unitae una ab altera participet id, quod est alterius, et sic amans quodammodo habet amatum, et veluti in eum transformatur. Hoc tamen non debet intelligi de transformatione propriae naturae in divinam ; hoc enim est impossibile ; sed per remotionem propriae naturae in perfecta participatione divinae naturae.* Et eodem modo loquitur noster Frater Phillipus a sanctissima Trinitate in discursu prooemiali, art. 6, §. *Sexta est* (93).

89. Angelicus Doctor egregie elucidat hoc ipsum pluribus in locis et praecipue in III *Sent.,* dist. 27, quaest. 1, art. 1, ad 4 (94), ubi ait : *Ex hoc enim quod amor transformat amantem in amatum facit amantem intrare ad interiora amati, et e contra ; ut nihil amati amanti remaneat non unitum, sicut forma pervenit ad intima formati,... sed quia nihil potest in alterum transformari, nisi secundum quod a sua forma quodammodo recedit, quia unius una est forma : ideo hanc divisionem penetrationis praecedit alia divisio, qua amans a se ipso separatur in amatum tendens.* Hactenus D. Thomas, qui profunde huius perfectissimi amoris naturam aperit, ipsiusque contactum remotionem esse ostendit, dum eo medio animam in Deum asserit transformari, et a seipsa recedere separarique ; quod affatim declarat exemplum materiae et formae, quo utitur ; quia sicut forma causat in materia remotionem formae praeexistentis et nativae confusionis, sic divinus iste contactus facit animam a proprio esse quodammodo removeri et in Deum mystice transformari.

90. Ob quae non miraberis mirissimos effectus huius caelestis matrimonii ; quia cum hi correspondere debeant statui animae desponsatae, perfectio sublimis huius status ostendit sublimitatem effectuum. Illos proponit sanctissima Theresia, *Mansione* VII, cap. 3 (95), quae videri debet et etiam *Lucerna Mystica* (96), ut arcana haec materia aliqualiter comprehendatur.

(90) *ad Ephes.*, c. II, v. 19.

(91) ANTONIUS A SPIRITU SANCTO, C. D., *Directorium mysticum ;* ed. 1904, p. 582. Prima pars huius textus (*Proprium... transformatur*) invenitur ad sensum apud D. Thomam, l. c., ; secunda vero pars (*Hoc tamen... divinae naturae*) ex *Summa Theol. myst.* Philippi a SS. Trin. (loco infra citando) sumpta est.

(92) Ed. Vivès, t. IX, p. 421a. — In antiquis editionibus erronee ponitur « *dist. 37* ».

(93) *Summa theologiae mysticae...* ; ed. 1874, ed. 1874, t. I, p. 43.

(94) Ed. Vivès, t. IX, p. 421b *...ad intima formati, et e converso...*

(95) Ed. crit., t. IV, pp. 193-199.

(96) LOPEZ EZQUERRA (Ioseph), *Lucerna mystica pro directoribus animarum,* tract. V, cap. 28 ; ed. 1782, pp. 122-124.

LIBER QUARTUS

De oratione, nomine et verbo.

Liber hic propriissimus est ; siquidem noster labor ad aperiendam orationis naturam terminatur.

SYNTAGMA PRIMUM

De oratione.

1. Orationem dialecticam tam proprie, quam improprie definiunt sui professores (1). Et certe eius definitio videtur pro mystica oratione fabricata. Quippe oratio mystica est *vox,* qua anima sive mente, sive lingua cum Deo loquitur ; ut enim ait Ioannes Cassianus, *Collatione* 10 : *Oratio cum Deo loquitur, cum iudice fabulatur.* Est etiam *significativa* interioris desiderii ; et adeo significativa est, ut caelos penetret virtus eius, ut ait Augustinus, *in Psalmum* 65 : *Orationis purae magna est virtus, et velut fidelis nuntius mandatum peragit, et penetrat, quo caro non pervenit.* Insuper est *ad placitum ;* siquidem ad placitum orantis res eveniunt. Deo vim infert oratio ut petita concedat. Sic idem Augustinus in *Serm.* dicens : *Oratio Deum ungit ; sed lachryma pungit : haec lenit, illa cogit.* Idem asserit D. Ioannes Climacus, *De luct.,* grad. 28 (2), his verbis : *Oratio pie Deo vim infert.* Unde oratio ad suum placitum habet claves feriendi et furendi, quia pro suo placito sinit aut non sinit benignissimum Deum contra homines furere ipsosque ferire, secundum illud ipsius Dei : *Desine ut irascatur furor meus* (3). Denique partes mysticae orationis separatae significant, ut videre est in lectione, meditatione et aliis, quae ad invicem separatae significant. Unde Aristoteles, I *Periherm.,* cap. 4 (4), definiens modo dicto orationem, non tam videtur naturam orationis dialecticae declarasse, quam mysticam orationem definisse. Verum ne a communi placito in re tanti momenti recedamus, communiter receptam mysticae orationis definitionem trademus.

LECTIO PRIMA

2. Dupliciter orationem capiunt mystae : primo improprie seu in generali quadam acceptione ; secundo proprie et metaphysice ; et pro duplici hac consideratione duplicem definitionem conficiunt. Primo enim definitur oratio per hoc, quod sit *elevatio mentis in Deum* (5). Haecque definitio est propria orationis impropriae seu generaliter dictae, eaque exprimitur orationem consistere in illo actu, quo mens assurgit in Deum. Unde quaecumque pars huius orationis oratio est ; sive enim homo ad orandum disponatur, sive gratias agat, sive meditetur, mentem in Deum elevatam habet atque ideo orat.

3. Huius orationis sex partes communiter assignantur, videlicet : praeparatio, lectio, meditatio, gratiarum actio, sui

(1) COMPLUTENSES, *Summulae,* lib. II, cap. 2 ; ed. 1629, t. I, pp. 18a-19a : *Oratio... est vox significativa ad placitum, cuius aliqua pars separata significat.* — COMPLUT. ABBREV., *Summulae,* lib. III, cap. 2 ; ed. 1670, t. I, pp. 26a-28a.

(2) *Scala Paradisi,* gradus 28 ; *Opera omnia,* ed. Lutetiae Parisiorum, 1633, p. 429.

(3) *Exod.,* c. XXXII, v. 10 ; Hetzenauer, p. 73 : *Dimitte me, ut irascatur furor meus.*

(4) num. 1 ; ed. Didot, t. I, p. 26 ; Bekk., 16b, 26.

(5) IOANNES DAMASCENUS, *De fide orthodoxa,* lib. III, cap. 24 (in princip.) ; text. graec., Migne, P. G., t. 94, col. 1089 (Parisiis, 1860) ; text. lat., ib. col. 1090 : *oratio est ascensus mentis in Deum ;* sicque etiam refertur a D. Thoma, II^{a} II^{ae}, q. 83, a. 1, ad 2.

oblatio et petitio. Cuius divisionis sufficientia adeo unanimi omnium consensu probatur, ut solus ille sufficiat. Praeparatio duplex est, alia proxima et remota alia ; haec consistit in fuga eorum quae tempore orationis quietem mentis perturbare queunt, et in sollicita Dei praesentia et in hac maxime ; quia, qui Deum praesentem habent, omni puritate conservant conscientiam suam: *Qui enim in sancto hoc exercitio fideles sunt, divinum quid in intuendo, in loquendo, in modestia, in negotiorum tractatione praeseferunt : satis enim ostendunt se a spiritu divino regi,* ait noster Venerabilis Ioannes a Iesu Maria in *Schola,* tractatu de praesentia Dei (6).

4. Praeparatio proxima est quae fit vel immediate post, vel immediate ante lectionem. Illaque, medio actu contritionis, impedientia removet oraturus ; quo a defectibus liber liberum aditum ad Deum ipsius benignitate reperiat.

5. Lectio est secunda orationis pars definiturque a D. Bernardo (7) sic : *Est sedula scripturarum cum animi attentione inspectio.* Ubi innuitur lectionem debere esse attentam et quae non ad instruendum intellectum dirigatur, sed quae ad inflammandam voluntatem ordinetur. Liber praecipuus in quo legere debemus, est sacra Scriptura ; minus principalis sunt alii doctrinam continentes inde haustam.

6. Sequitur meditatio, quae est *discursus quo intellectus ex una consideratione in aliam transit.* Sive una consideratio sit causa alterius, sive non ; quae est differentia proprii et improprii discursus ; verum haec differentia de materiali se habet ad meditationem ; quae formaliter consistit in hoc, quod discursus ex una consideratione transeat in aliam, quaerens margaritam devotionis, qua voluntatem moveat ad amandum Deum ; qui amor huius spiritualis progressus meta est.

7. Triplici parte constat meditatio. Hae sunt: repraesentatio, ponderatio et attentio quieta. Prima est actus memoriae, quae, peractis lectione et praeparatione proxima, repraesentat intellectui id quod meditandum est; et in hoc parum temporis insumendum est. Repraesentato meditationis puncto, sequitur meditatio; ad quam sequitur primo ponderatio rei meditatae, in qua plus temporis impendatur quam in repraesentatione. Ultimo sequitur quieta attentio, qua media intellectus sine strepitu proprio ponderationis, omni pace et quiete videt vel ingratitudinem hominis peccantis, vel benignitatem Domini patientis, aut ipsius pietatem miserentis. In quo plus adhuc quam in ponderatione spatietur. Et inde ad alias orationis partes transeat; nisi speciali motione, a directore approbata, videatur affectus; tunc enim in illa operosa otiositate permaneat, nec certum pro non certo relinquat.

LECTIO SECUNDA

8. Sicut gratitudo seu gratiarum actio est specialis virtus distincta ab aliis, ex D. Thoma, II^{a} II^{ae}, quaest. 106 (8), ita est specialis orationis pars definiturque

(6) *Schola de oratione et contemplatione...,* tractatus *De praesentia Dei,* num. 16 ; *Opera omnia,* ed. 1650, t. II, p. 565 ; ed. 1771-1774, t. II, p. 525a : *...in negotiorum tractatione praeferunt : satis enim ostendunt sese a spiritu divino regi.*

(7) *Scala Claustralium sive Tractatus de modo orandi,* cap. I, num. 1 ; Migne, P. L., t. 184, col. 476 et t. 40, col. 997. Apud Migne legitur « *intentione* » *pro* « *attentione* ».

Hic tractatus bis refertur apud Migne : 1) inter *spuria* S. Bernardi [P. L., t. 184, col. 475-484 (Parisiis, 1854)] et 2) inter *spuria* S. Augustini [P. L., t. 40, col. 997-1004 (Parisiis, 1841)] sub titulo « *Scala Paradisi* », sed absque prologo et epilogo. At vero hic tractatus neque S. Bernardi, neque S. Augustini est, sed est epistola Domini Guigonis Cartusiensis ad fratrem Gervasium, de vita contemplativa. Quae epistola debetur Guigoni I (1083-1137), quinto priori maioris Cartusiae et non Guigoni II (+ 1188 vel 1193), nono priori eiusdem maioris Cartusiae. Cf. ANDRÉ WILMART, O. S. B., *Les écrits spirituels des deux Guiges* in *Revue d'Ascétique et de Mystique,* t. V, num. 17 (Janvier 1924), pp. 59-79 ; cf. praesertim pp. 75-79. Altera pars huius articuli mox in lucem prodibit.

(8) art. 1.

a D. Bernardo in *Ad Fratres de Monte Dei* (9) sic: *Est indeficiens et indefessa intentio bonae voluntatis in Deum ex cognitione gratiae Dei.* Videns enim homo beneficia, quae meditatus est, liberaliter et gratuito sibi a Deo collata, in gratias explicatur. Et hoc est quod a nobis Deus exigit pro beneficiis consessis. Ut enim ait D. Thomas, *Super Matthaeum: Fructus, quem a nobis expectat Deus est gratitudo, ad quam nos semper invitat.* Quare si inferni poenas meditatus es, gratias age Deo, quia ab illis te proprio suo sudore redemit ; et sic de aliis, quorum consideratio obvia cuique est.

9. Dupliciter homo gratias agit Deo, nempe verbo et opere. Primus modus dicitur communi vocabulo gratiarum actio, de quo numero praecedenti. Agit insuper opere gratias homo suiipsius oblatione. Videns enim se a Deo ditatum talibus bonis, debet illi offerre in eorum retributionem quidquid est, et valet valeretque, quamquam infinitus foret. Debet in omnibus se Deo subiicere, in cuius testimonium omnibus maximeque praelatis et directoribus submittatur, nolens quidquam facere sine eorum ductu; promittat seipsum in omnibus abnegare, aliquam specialem mortificationem facere, ut ieiunare tali vel tali die, tanto tempore silentium observare; aliave huiusmodi offerat, ut sic non appareat vacuus in conspectu Dei, a quo tot accepit beneficia.

10. Tale est divinae benignitatis pium genium, ut gratitudo exhibita ab homine pro uno beneficio sit medium ut aliud denuo consequatur; unde ad gratiarum actionem verbo et opere factam sequitur petitio, quae est ultima orationis pars et in qua orationis quidditas proprie consistit, ut mox dicam.

11. Multa a Deo petere debemus, quia bona quibus indigemus, sunt in multiplici differentia. Alia enim sunt spiritualia et alia temporalia. Spiritualia alia sunt comprehensorum et alia viatorum. Temporalia alia sunt spiritualia, alia corporalia ; quorum aliae subdivisiones possunt fieri, quae parum referunt et ex particulari dicendorum expensione constabunt.

12. Omnia dicta bona a Deo petenda sunt; ast non eodem modo ; nam bona supernaturalia sive viatorum, sive comprehensorum, ut sunt gratia, gloria et auxilia virtutesque, petenda absolute sunt; sumus enim certi Deum sic haec nos petere velle. Ex quo enim in finem supernaturalem sumus elevati, sequitur voluntas conferendi nobis ipsum finem, qui est gloria, et etiam media quibus consequitur, quae sunt gratia, virtutes et auxilia quibus consequitur gloria.

13. Unde licet sciamus Deum omnibus dare auxilia sufficientia et non semper conferre efficacia ; debemus tamen utrumque genus auxiliorum semper petere. Primum quidem, quia licet Deus decreverit illud dare, decrevit tamen dare illud media oratione, secundum illud *Postula a me, et dabo tibi* (10). Auxilium autem efficax etiam petere semper debemus; quia nostra voluntas conformanda est cum voluntate antecedenti Dei seu voluntate signi; cui certe placet quod petamus idipsum, quod voluntas consequens non concedit.

14. Bona omnia naturalia possunt sumi vel secundum se, vel prout conducunt ad supernaturalia. Hoc secundo modo petenda absolute sunt ut ipsa supernaturalia bona. Primo modo non absolute petenda sunt, sed sub conditione si conveniens sit ilia habere. Ratio horum omnium ea est: quia cuicumque licet petere consecutionem finis, ad quem creatus fuit; et mediorum quibus ille finis con-

(9) lib. I, cap. 14, num. 44; Migne, P. L., t. 184, col. 337: *Porro gratiarum actio est in intellectu, et cognitione gratiae Dei bonae voluntatis indeficiens ad Deum et indefessa intentio.* Haec epistola Guigonem I Cartusiensem auctorem habuit. cf. Migne, l. c., col. 297-308 ; cf. etiam André Wilmart, l. c. (cf. supra, nota 7), p. 62.

(10) *Ps.* 2, v. 8.

sequitur, postulatio licet. Cum autem homo creatus sit ad gloriam, debet petere eius consecutionem; et quia bona alia tam naturalia quam supernaturalia conducunt ad gloriam: haec ut media proportionata, illa vero ut improportionata; propterea illa omnia debet petere. Quod si certus sit Deum velle id, quod petit, petat absolute; si vero de hoc non constet, petat sub conditione.

LECTIO TERTIA

15. Oratio metaphysice sumpta dicitur *petitio decentium a Deo*. Sic eam definit Damascenus (11), quam definitionem probat D. Thomas (12) universalisque theologorum consensus. Unde quidditas orationis in hoc quod sit petitio, consistit formaliter, licet praesuppositive requirantur alia, de quibus lectionibus praecedentibus egimus. Quatenus ut recte aliquid a Deo petatur, praerequiritur seria praeparatio, lectio attenta, meditatio devota et sic de aliis; quae omnia ad petitionem ut ad finem ordinantur.

16. Quod in oratione vocali clarum est. In ea quippe dantur psalmi, antiphonae, lectiones et alia huiusmodi, quae sane orationes sunt; et insuper datur id, quod proprie et antonomatice dicitur et est oratio, in qua per Dominum nostrum Iesum Christum petimus a Deo Patre bona quibus indigemus.

17. His definitionibus affatim aperitur natura orationis; quae prima sui divisione dividitur in mentalem et vocalem. Mentalis est quae mente perficitur ; vocalis vero quae ore explicatur. Vocalis subdividitur in publicam et privatam. A quibus manum levo, quia moralistarum sunt, non mysticorum. Videatur Suarez, II *De religione* (13).

18. Oratio mentalis dividitur secundum illos tres status, de quibus egimus supra (14); nam alia est propria incipientium, alia proficientium et alia perfectorum. Et haec diversitas non solum attenditur secundum materiam ipsius orationis, quia pro diversis statibus diversa meditanda seu contemplanda sunt; sed etiam secundum orationem ipsam, quia licet non negemus multoties Deum gratiam contemplationis concedere imperfectis et denegare perfectis; illis ut accendantur, istis vero ut humilientur; cum hoc tamen stat quemvis perfectionis statum modum seu gradum orationis sibi proprium habere, uti ostendit divinum illud opus *Mansionum* (15), quo Seraphica Mater nostra Theresia Ecclesiam Sanctam ditavit.

19. Hinc ergo oratio mentalis dividitur in naturalem et supernaturalem; naturalis est illa, quae dicitur oratio discursus, et est propria incipientium. Dicitur haec oratio propria incipientium, quia, ut ex Seraph. Theresia supra diximus (16), ad incipientes pertinet huiusmodi oratio ; cum quo compatitur ipsos aliquando contemplationem habere, sicut et perfectos meditationem. De quo agemus tomo sequenti, in primo praedicabili, disputatione I.

20. Oratio supernaturalis est idem ac contemplatio definiturque ex D. Thoma, II^a II^{ae}, quaest. 180, art. 3, sic: *Est simplex intuitus divinae veritatis*. Quae definitio egregie naturam contemplationis declarat ; quia licet ad contemplationem plures actus praerequirantur, plures comitantur, ut docet D. Thomas citatus; qui quidem actus dicuntur contemplatio in lata quadam significatione; attamen contemplatio proprie et formaliter sumpta consistit in illo simplici actu, quo veri-

(11) l. c. (cf. supra num. 2); sicque refertur a D. Thoma locis infra citandis. Apud Migne l. c., versio latina sonat : *aut eorum quae consentanea sunt postulatio a Deo*.

(12) IIa IIae. q. 83, a. 1; IV *Sent.*, dist. 15, q. 4, a. 1; ed. Vivès, t. X, pp. 414b sqq.

(13) *De religione Tractatus quartus ; Opera omnia*. ed. Vivès (1859), t. XIV, p. 4-437.

(14) scil. lib. I, a numero 25 usque ad finem libri.

(15) *Castillo interior ó Las Moradas;* ed. crit., t. IV, pp. 1-210.

(16) Lib. I, num. 112.

tas intuetur. Quis autem actus ex pluribus quibus attingit intellectus veritatem, sit in quo formaliter contemplatio consistit, postmodum disputabitur.

LECTIO QUARTA

21. Contemplatio dividitur in philosophicam et evangelicam. Contemplatio philosophica est *simplex intuitus veritatis propter perfectionem ipsius contemplantis;* unde manet intra intellectum, quin extendatur ad inflammandam voluntatem. Contemplatio evangelica non intuetur veritatem propter ipsam veritatem, sed propter amorem Dei; atque adeo voluntatem inflammat. Relicta ergo gentilica illa contemplatione,

22. Contemplatio evangelica subdividitur in activam et passivam seu, quod idem est, in acquisitam et infusam. Acquisita est quam, supposito lumine fidei vel ipso formaliter influente, propria industria comparamus ; eo enim dicitur acquisita contemplatio haec, quia licet fides modo dicto ad eam requiratur, tamen fide supposita et aliis quibus adest Deus, possumus illam habere quoties volumus; cum sit in nostra manu habitibus uti, ut tenet commune effatum. Cuius contrarium evenit in infusa, de quo postea.

23. Contemplatio acquisita dividitur in eam quae est per affirmationem, et in eam quae est per negationem. Prima est in qua Deum contemplamur sub iis perfectionibus, quae in creaturis reperiuntur; quia cum Deus sit totius boni et perfectionis origo, nulla perfectio dabilis est in creaturis, quae in Deo modo excellentiori non resplendeat. Unde ex iis perfectionibus quae in creaturis videntur, assurgit mens ad contemplandum Creatorem, eas ipsas de illo affirmans seclusis tamen imperfectionibus. Negativa est quae negat Deo omnes perfectiones quas cognoscimus ; quia cum Deus sit summe perfectus, negat contemplatio haec in ipso reperiri posse creaturarum perfectiones.

24. Harum contemplationum illa quae est per negationem, potior est; quia, ut docet D. Thomas, I[a] parte, quaest. 3, in prologo: *De Deo scire non possumus quid sit, sed quid non sit: non possumus considerare de Deo quomodo sit, sed potius quomodo non sit.*

25. Insuper contemplatio acquisita dividitur in eam quae est per ascensum, et in eam quae est per descensum. Illa est per quam ex creaturis ascendit mens in earum primam causam ; quod dupliciter fit, ait D. Dionysius (17) exemplo pictoris et sculptoris: siquidem contemplatio ascendit vel superponens Deo perfectiones creaturarum, vel illas removens. Primum facit contemplatio affirmativa ; secundum vero negativa. Contemplatio per descensum est quae ex Deo, creaturarum causa, venit in ipsius creaturas, in quibus Creatoris perfectiones contemplatur.

26. Rursus dividitur in rectam, obliquam et circularem. Recta est per quam anima ex consideratione creaturarum transit ad contemplationem Dei ibique sistit. Obliqua est qua ex Dei consideratione transit anima ad ipsius effectus contemplandos; ex quibus iterum ad ipsum Deum contemplandum regreditur. Circularis denique est quae Deum vel revelatum per lumen infusum, vel naturaliter per ipsius effectus inventum uniformiter contemplatur; quae contemplatio facit animam in Deo veluti in centro quiescere. Et observa quod licet in quocumque statu possit quaevis ex dictis contemplationibus haberi; prima tamen est propria incipientium, secunda proficientium et ultima perfectorum.

---

(17) *De Mystica Theologia,* cap. 2; Migne, P. G., t. 3, col. 1025.

LECTIO QUINTA

27. Contemplatio infusa est *simplex intuitus veritatis a principio supernaturali procedens.* Sic ex D. Thoma (18) eam definit noster Frater Philippus (19). Cuius definitionis bonitas ostenditur. Per hoc quod sit *simplex intuitus veritatis* convenit contemplatio infusa cum acquisita, a qua differt per subsequentes particulas ; quia licet contemplatio acquisita proveniat a principio supernaturali, scilicet, ab habitu fidei vel ab alio ; attamen hoc principium relate ad contemplationem acquisitam non dicitur supernaturale; quia licet in se sit supernaturale, quoad modum tamen naturale est; utimur enim illo quoties volumus, cum contemplationem, quam causat, nostra industria habeamus. Contemplatio autem infusa provenit a principio supernaturali non solum entitative, sed etiam quoad modum; non enim possumus illo pro nostro libito uti, sed tantum cum et quomodo Deus vult, qui misericorditer illam gratiam contemplationis concedit.

28. Nec intelligas, actum ipsum contemplationis infusum esse; hoc enim est impossibile; quia cum actus ille sit vitalis, debet esse a potentia intrinsece se movente ; dicitur tamen infusus, et quia est a principio infuso, et quia solum habetur cum a Deo misericorditer impertitur.

29. Ex dictis constat bonitas traditae definitionis et in quibus conveniat discrimineturque a contemplatione acquisita. Verum alia, in quibus conveniunt differuntque, audire oportet.

30. Ultra dicta conveniunt istae contemplationes in eo, quod habent tres conditiones, quas perfectae contemplationi desiderat Aristoteles, *X Ethic.*, cap. 8 et 9 (20). Prima, quod sit actus potentiae altissimae; secunda, quod sit in habitu nobilissimo; tertia in obiecto dignissimo. Sunt siquidem hae contemplationes actus potentiae nobilissimae; quia sunt actus intellectus, qui est nobilissima potentia. Secunda conditio etiam datur: quia utraque requirit et habitum fidei et caritatis: illum pro principio eliciente et istum pro forma valorante. Et quamquam possit contemplatio acquisita elici ab habitu theologiae, praerequirit tamen fidem; praeterquam quod etiam theologia est nobilissimus habitus. Tertio denique utraque respicit obiectum dignissimum, nempe Deum. Est quippe Deus utriusque contemplationis obiectum *quod.*

31. Ceterum in his in quibus conveniunt, etiam diversae sunt; quia quamvis Deus sit obiectum *quod* utriusque, est sub diversa ratione; nam contemplatio acquisita respicit Deum sub ratione investigabilis per meditationem affectivam. Infusa vero, cum habeat diversos gradus, attingit sub diversis rationibus suum obiectum. Et sane cum ex parte potentiae eliciatur a diversis conprincipiis, ut notum est, nil mirum quod intellectus, ut informatus dono sapientiae, verbi gratia, tendat in Deum sub diversa ratione ac ut informatus dono intellectus, aut scientiae, aut fide, aut etiam lumine gloriae. Supremus autem gradus huius contemplationis, qui dicitur *theologia mystica,* respicit Deum sub ratione gustati ab anima; eoque appellatur sapida scientia, ad quam donum sapientiae concurrit (21).

32. In secunda conditione etiam differunt; quia licet utraque contemplatio proveniat a fide, infusa habet altiora principia; siquidem ab ipso lumine gloriae povenire potest. Adde quod adhuc quando proveniunt a principio in esse entis eodem, principium contemplationis infusae perfectius est formaliter in esse

(18) IIa IIae, q. 180, a. 3.

(19) *Summa theologiae mysticae,* Part. II, tract. III, disc. 1, art. 1; ed. 1874, t. II, p. 282:.... *divinae veritatis.....*

(20) cap. 7 et 8 in editione Didot, t. II, pp. 124 sq.; Bekk., 1177 sq.

(21) cf. ANTONIUS AB ANNUNTIATIONE, C. D., *Disceptatio mystica,* tract. III, quaest 3, a. 1, num. 4; ed. 1683, pp. 239-240.

principii, ut patet ex numero 27. Ex quo deducitur differentia in prima consideratione; quia intellectus maiorem perfectionem exprimit dum informatur principio perfectiori. In aliis pluribus etiam differunt, sed nobis dicta sufficiant. Qui alia videre voluerit adeat Magistrum Vallgorneram (22), *Mysticum Directorium* (23) et communiter nostrates. Iuxta quos locuti fuimus. Nostrum vero iudicium infra patebit.

LECTIO SEXTA

33. Plures aliae divisiones contemplationis sub nomine orationis supernaturalis circumferuntur, de quibus plurima diximus in antecedentibus; quare illas sub nomine dividentium adducere non debemus. Ut autem quae omitti non possunt, afferantur: oratio supernaturalis dividitur in orationem unionis, quietis, recollectionis et impulsus. Oratio unionis est quaedam specialis oratio, quae animam cum Deo unit specialissimo modo. Licet enim sit proprium orationis unire, haec tamen, de qua loquimur, ob singularem modum, quo animam Deo unit, dicitur antonomastice oratio unionis.

34. Haec est duplex, activa scilicet et passiva. Activa est quam proprio studio acquirere possumus et consistit in generali et absoluta conformitate voluntatis cum Divina. Quae conformitas ut acquiratur et ut habita conservetur, debemus saepius dicere: *Fiat voluntas tua sicut in coelo, et in terra* (24). *Domine, quid me vis facere?* (25). Et alia huiusmodi, quibus anima, adhaerens Deo, unus spiritus fit cum eo.

35. Oratio unionis passivae est pretiosissimum donum, quo Deus in ipso animae centro illi se praesentem et assistentem clarissima luce ostendit. In hac perfectissima oratione non solum anima est unita Deo, sed et omnes eius potentiae sunt intime unitae et feliciter occupatae, ut docet sancta Mater nostra Theresia, libro *Vitae,* cap. 16 et 17 (26), quae tam loco citato, quam *Mansione* V per plura capita (27), egregie de hac oratione loquitur. Vide, quae diximus cum de mystica unione ageremus (28).

36. Oratio recollectionis etiam dividitur in activam et passivam. De prima loquitur D. Thomas, II^a II^{ae}, quaest. 83, art. 12 et Seraphica Theresia in *Via perfectionis,* cap. 28 (29). Haec oratio habetur, cum anima intra seipsam Deum considerat, quin illum per vicos et plateas quaerat. Tunc enim intra seipsam Deum suum invenit et amplectitur.

37. De secunda agit eadem sanctissima Doctrix, *Mansione* IV, cap. 3 (30); hanc gratiam concedit Deus illis, qui se a visibilibus segregant et fideliter in activa recollectione exercentur. Signum huius recollectionis est, quod anima illa affecta mundana omnia arbitratur ut stercora, etiam illa quae prius in deliciis habebat; quare omnia propter Deum contemnit.

38. Oratio quietis nascitur ex recollectione, ut asserit sanctissima Mater nostra in *Via perfectionis,* cap. 31 (31), ubi hanc orationem describens ait : Ex interiori recollectione oritur aliquando in anima quies et pax interna, et deliciosa quies adeo dulcis, ut sibi nihil ultra desiderandum appareat.

39. Quies ista est suavitas quaedam voluntatis nihil aliud quaerentis praeter-

(22) *Mystica theologia Divi Thomae,* q. .III, disp. 1, art. 4; ed. 1911, t. I, pp. 358-362.
(23) ANTONIUS A SPIRITU SANCTO. *Directorium mysticum,* tract III, disp. 1, §. 8; ed. 1904, pp. 239-242.
(24) *Matth.,* c. VI, v. 10.
(25) *Act. Apost.,* c. IX, v. 6.
(26) Ed. crit., t. I, pp. 117-127.
(27) *Las Moradas* V, cap. 1 et sq.; ed. crit., t. IV, pp. 69 sq.
(28) Lib. I, syntag. IV; et alibi passim.
(29) Ed. crit., t. III, pp. 129 sq.
(30) Ed. crit., t. IV, pp. 59 sq.
(31) Ed. crit., t. III, p. 144.

quam perseverare in Deo. Est quippe anima iuxta Deum, immo Deum intra se videt, a quo ut filia carissima amatur singulariterque ab eo protegitur; et hac gratiarum abysso absorpta quiescit veluti in centro sui desiderii.

40. Oratio impulsus est illa, in qua anima a Deo recipit aliquos vehementes impetus, quibus excitata in Deum ipsum totis viribus fertur. Impulsus hic est veluti sagitta animam vulnerans adeo fortiter ut pene mortuam relinquat; sed adeo suaviter ut nunquam ab illo vulnere sanari velit. De hoc non pauca in superioribus dicta sunt (32), sicut etiam de praecedentibus gradibus orationis; quamobrem nihil addam, remittens lectorem ad nostros Auctores mysticos, qui de his omnibus copiosissime agunt ex sanctissima Theresia Matre nostra, quae in declarandis his orationis gradibus suum profundissimum magisterium ostendit.

SYNTAGMA SECUNDUM

De nomine et verbo.

41. De nomine nihil proponam, nisi remissive; non enim possum de omnibus specialiter agere. Qui enim nomina Dei scire vult, quantumque et quomodo ad meditationem et contemplationem deserviat eorum notitia et consideratio, legat *Catenam mysticam* a folio 41 usque ad 43 (1); unde solum agam de verbis; breviter tamen, quia longa mihi restat via.

LECTIO PRIMA

42. Verba sunt in triplici differentia; nam alia sunt corporea, alia imaginaria et alia spiritualia. Corporea sunt quae aure percipiuntur; imaginaria quae immediate ab imaginativa habentur sine auditus ministerio; spiritualia sunt quae immediate recipiuntur ab anima sine sensuum exteriorum interiorumque interventu. Nam quamvis verum sit, quod nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu, hoc tamen intelligendum est de intellectione, quam a rebus habet anima; non autem de illa, quam causa superior in illa ponit.

43. Huius doctrinae fundamentum ex ipsa naturali cognitione desumitur. Certum enim est, quod ut anima intelligat verbum sibi ab homine dictum, non pervenit verbum istud usque ad animam nisi mediante sua specie, quam mittit ad sensus interiores et inde a materialibus nuda transit ad intellectum; unde intellectus non intelligit per speciem prout in imaginatione; nec imaginatio per verbum ut in auditu; nec iste cognoscit per ipsum ut in ore proferentis; sed requiritur ut auditus cognoscat quod proferatur verbum, et ut cognoscat imaginatio, requiritur species ab auditu accepta; similiterque intellectus. Et haec est ratio ob quam non potest aliter nisi hoc processu intellectus intelligere.

44. Verum potest, et quidem facile, causa superior imprimere in imaginatione speciem propriam alicuius verbi non prolati; et tunc auditus non audiet ob defectum verbi, ast imaginatio, cum speciem verbi habeat, cognoscit. Similiter potest causa superior eandem eiusdem verbi speciem spiritualisare et gravare illam in intellectu; tuncque nec auditus ob defectum verbi audiet, nec imaginatio ob defectum speciei materialis cognoscet. Ceterum intellectus intelliget; quia ut intelligat, requiritur et sufficit illa species, undecumque illam habeat.

45. Quamobrem dum Deus aut ange-

(32) Lib. III, num. 31-44.

(1) IOSEPH A SPIRITU SANCTO, *Cadena mystica carmelitana*, Col. I, prop. 6, resp. 5, 6 y 7; ed. 1678, pp. 41b-43b.

lus bonus vel malus ponunt in alicuius imaginatione species aliquas verborum, quae in auditu non fuere, tunc datur verbum seu locutio imaginaria; si vero in intellectu ponantur, datur locutio intellectualis. Si autem verba proferant, quae aures feriant, dabitur locutio corporea. Unde manet bonam esse divisionem verbi seu locutionis traditam. Et similiter ob eandem rationem dividitur visio in corpoream, imaginariam et intellectualem.

46. Ex his verbis, corporea sunt valde exposita daemonis fallaciae sicut et imaginaria; quia cum daemon habeat supra omnes sensus virtutem, potest fingere et loqui ac si Dominus foret, cum Dominus non sit locutus. Quare maxima sollicitudine uti debet director, ne ipse et discipulus in foveam cadant. Et discipulus credat se urgentissime teneri ad exhibendam suo directori quamcumque locutionem, etiamsi de illius bonitate constet. Solet enim diabolus bonis incautos aliquos inescare, suadens circa illa, utpote indubitate bona, non debere directorem adire; et sic illos paulatim seducit ut nihil consulant.

47. Circa locutiones imaginarias, ultra dicta, videndum etiam est ne sint melancholicae imaginationis effectus. Verum pro omnibus his habenda prae oculis sunt quae diximus, cum de signis loquebamur (2).

LECTIO SECUNDA

48. Verba intellectualia subdividuntur in successiva, formalia et substantialia. Cuius divisionis meminit Seraphicus noster Doctor, libro secundo *Ascensus*, cap. 31 et aliis in locis (3), estque receptissima inter omnes mystas.

49. Verba successiva illa sunt, quae spiritus recollectus sibiipsi loquitur ac si ab aliquo dicerentur. Est mutuum colloquium, quod secum anima habet, in quo ipsa seipsam interrogat et sibiipsi respondet; verum tanta dulcedine procedit ut non iudicet se, sed alium interrogare; quod faciliter accidere posse, non est dubium; siquidem anima recollecta solet aliquam veritatem intueri, et ex illa tales discursus deducere taliaque ex impulsu superiori percipere, qualia nunquam sibi relicta haberet. Unde cum haec omnia considerat, ab alio se putat audire verba, quae ipsamet loquitur.

50. Horum verborum triplex est causa, iuxta Extaticum nostrum Doctorem, loco citato, cap. 29 (4). Prima est Spiritus Sanctus. Secunda propria imaginatio. Tertia denique daemonis astutia. Tunc proveniunt a Spiritu Sancto, quando hic Spiritus divinus animam bene occupatam movet mediis suis donis, ut conceptam veritatem perfecte calleat; virtuteque huius illustrationis plurima noscit, quae per seipsam non discurreret; et cum haec seipsam interrogando et respondendo percipiat, putat se colloquium cum alio habere.

51. Secunda causa est propriae imaginationis inquieta vivacitas, cuius acumen res novas et subtiles deducit; et ex hac deductione oritur intellectualis interrogatio et responsio.

52. Tertia causa est diabolus, qui tempore recollectionis subtiles conceptus media phantasia intellectui offert, quibus animam decipiet, nisi caute procedat.

53. Verba successiva, a quacumque causa proveniant, renuntianda esse, docet Seraphicus noster Doctor, loco citato (5), ubi ait : *Quedemos pues con esta*

(2) Lib. II.
(3) *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 26-29; ed. crit., t. I, pp. 248-263.
(4) Ed. crit., cap. 27, t. I, pp. 251-257.
(5) Ed. crit., t. I, p. 256:... *caudal de nada de ellas.*

necessaria cautela assi en las unas, como en las otras, para no ser engañados, ni embarazados; que no hagamos caudal de ellas. Id est: Maneat alta mente reposita haec cautela admodum necessaria. Verba successiva, quaecumque illa sint, contemnantur; qui enim illa flocci non facit, periculo deceptionis exponitur (6). Videbis totum illud capitulum 29 (7) et quidquid potest dici circa haec verba successiva, circa eorum causas et signa quibus dignoscantur, reperies.

54. Verba formalia dicuntur spiritui, sive recollectus sit, sive non. In quo differunt a successivis; haec enim semper dicuntur spiritui recollecto et sunt circa illud, in quo tunc spiritus occupatur. Formalia autem etiam spiritui nihil de Deo cogitanti dicuntur; vel si sit recollectus, non sunt de illa materia quam cogitat, sed de aliis valde diversis. Differunt adhuc in eo, quod verba formalia clare cognoscit spiritus ab alio secum loquente provenire sine ulla suiipsius opera; quod in successivis non sic evenit, ut dictum est. Et ideo appellantur formalia: *Porque formalmente siente el espiritu se las dice tercera persona, sin poner él nada en ello.* [Quia formaliter spiritus sentit sibi a tertia persona dictas esse, sine eo quod ipse aliquid in illo ponat, ait citatus noster Parens, cap. 30 (8).]

55. Haec verba non sunt multum proficua animae; quia eorum finis est animam docere circa aliquam rem determinatam, ad quam solum speculative docendo et dirigendo concurrunt. Possunt a daemone fingi. Signaque ut cognoscantur, an a daemone dicta sint, tradit Seraphica Doctrix, libro *Vitae,* cap. 25 (9); ex qua illa signa exscribit *Lucerna mystica,* tract. V, cap. 10, a numero 93 (10).

56. Cum a Deo sunt haec verba, semper operantur effectum illum, ad quem dantur; quia animam reddunt promptam ad faciendum idipsum quod inspirant. Licet cum hoc stet, quod non auferant ab anima repugnantiam et difficultatem; ut docet Parens noster D. Ioannes a Cruce, qui toto illo capite 30 (11) de his verbis loquitur.

57. Verba substantialia formalia sunt, licet non e contra. Unde differunt a successivis in iis, in quibus vidimus formalia discriminari. Et a formalibus differunt per hoc, quod ista verba non solum docent ut formalia, sed etiam operantur id quod docent. Ob quod mystici dicere solent, quod verba formalia sunt pure speculativa; ast substantialia sunt speculativa et practica; quia idipsum, quod speculative docent, practice operantur. Clarius expertissima Theresia unico verbo hoc explicat in libro *Vitae,* cap. 25 (12), ubi ait: *Estas palabras, que habla el Señor son palabras, y obras.* Id est: Haec verba substantialia sunt etiam opera (13). Quia, ut inquit Seraphicus noster Doctor citatus, cap. 31 (14): *Con estas palabras substanciales lo obra Dios en ella, y con ella, lo qual es diferente en las formales, y successivas.* Hoc est: His substantialibus verbis operatur Deus in anima et cum anima; quod non sic evenit in formalibus et successivis (15). Videatur totum illud caput, in

(6) In I editione legitur: Maneamus ergo in ista necessaria cautione, tam circa unas, quam in alteras, ut non simus decepti, neque impediti; igitur parvi praetio illas habeamus. — In Neapolitana vero: « Maneamus in ista necessaria cautione, circa dicta verborum genera, ne simus decepti, vel involucrati: haud igitur illa habeamus in praetio ».

(7) Ed. crit., cap. 27, t. I, pp. 251-257.

(8) Ed. crit., cap. 28, t. I, p. 258: *Porque formalmente al espiritu parece que se las dice...* — Haec versio latina deeest in editione quarta (Hispali, 1730). In I et Neapol. ed. legitur: « Quia formaliter spiritus sensit... ».

(9) Ed. crit., t. I, pp. 191-201.

(10) LOPEZ EZQUERRA, *Lucerna mystica...* a num. 93-95; ed. 1782, pp. 95-96.

(11) Ed. crit., cap. 28, t. I, pp. 258-260.

(12) Ed. crit., t. I, p. 192.

(13) In I et Neapol. ed. legitur: « Verba haec Domini simul sunt dicere, et operari ».

(14) Ed. crit., cap. 29, t. I, p. 262: *No tiene* (el alma) *que hacer en obrar lo que ellas dicen, porque estas palabras substanciales nunca se las dice Dios para que ella las ponga por obra, sino para obrarlas en ella; lo cual es diferente en las formales y sucesivas.*

(15) In I et Neapol. ed. vero legitur: « Cum verbis istis substantialibus Deus operatur in illa, et cum illa; quod differens est in formalibus, et successivis ».

quo mira de his substantialibus verbis continentur.

58. O utinam hisce substantialibus verbis nobis loquatur Dominus, ut illum servi audientes, loquentem pacem in plebem suam audiamus, et regnum perfectionis intra nos esse, a nobis, favente Numine, nactum gloriemur.

LIBER QUINTUS

De arte inveniendi medium.

1. Ut recte dialecticarentur, excogitavere doctores artem qua medium invenirent, ut scopum attingerent, in quem dirigerent mentem suam. Hanc artem ob sui difficultatem, *pontem asinorum* dixere; et recte quidem, quia difficultate pressi tirones calcitrant, de quo dialectici (1). In mystica scientia nostra etiam gravamur onere quaerendi medium, ut quae hactenus diximus, exsequantur. Nihil enim fecimus, dicentes gradum perfectionis ad quem anima potest ascendere, si medium non habemus, quo anima disponatur ut talem gradum lucretur. Quare huius libri scopus erit hanc artem quaerere, quaesitam invenire, inventam proponere, ut omnibus prosit quod est pro salute omnium exquisitum.

SYNTAGMA PRIMUM

De arte mystica inveniendi medium ad unionem.

2. Unica ars, eaque difficillima, ut inveniatur medium, quo anima metam perfectionis obtineat, est purgatio ipsius animae. Sine hac purgatione non potest haberi perfectio; pugnat enim cum perfectionis venustate imperfectionum et miseriarum turba, quam ignis purgationum extirpat. Quamobrem scientia mystica, quae animam praeparat ad unionem, hanc artem proponit, qua habilitetur ad unionem ipsam. Multiplex est purgatio haec, ac de omnibus aliqua sequentibus lectionibus dicam.

LECTIO PRIMA

3. Mysticam purgationem possumus describere per hoc, quod sit remotio eorum, quae ab intima unione cum Deo removent. Removent quippe ab hac intima unione sensus omnes tam interni, quam externi male disciplinati ; removent appetitus; removet propria voluntas; removet quidquid terrenum est et corruptae naturae conditiones sapit. Horum omnium sic male a Deo removentium remotio activissima est purgatio mystica, quae animam ab omnibus hisce inquinamentis denudans pulchram reddit, et faciens illam per ignem et aquam transire, vertit in adamantem lucidissimum.

4. Purgatio haec dividitur in activam et passivam. Activa est quam nos auxilio gratiae operamur. Passiva est quam Deus in nobis mirabiliter operatur. Rursus utraque dividitur in purgationem sensus et spiritus. Insuper purgatio tam activa, quam passiva dividitur in purgationes partis cognoscitivae et affectivae pro diversitate potentiarum quae mundantur.

5. Purgatio activa, quaecumque illa

(1) COMPLUTENSES, *Summulae*, lib. III, cap. ultim. (8); ed. 1629, t. I, pp. 50b-52b. — COMPLUT. ABBREV.: *Summulae*, lib. IV, cap. 8; ed. 1670, pp. 62b-64a.

sit, pertinet ad incipientes. proptereaque definivimus supra (2) viam purgativam per ordinem ad istam purgationem. Similiterque purgatio passiva pertinet ad proficientes, ut ex definitione quam supra (3) pro via illuminativa dedimus, constat. Sollicitudo enim incipientium sita praecipue est in hoc, quod artem exerceant, qua sensus et potentias mundent; et hoc est totum exercitium totius viae purgativae. Quo peracto in purgatione activa partis spiritualis, finitur via purgativa et sequitur illuminativa, in qua iam proficiens incipit exercere contemplationem minus perfectam, hoc est, acquisitam.

6. Postquam autem in illa se aliquod tempus exercuit, ingreditur purgationem passivam sensus, quae est dispositio ad contemplationem infusam. Post tempus vero a Patre praedefinitum, volens pientissimus Dominus animam secum unire, illam disponit ad hanc felicitatem media rigorosissima purgatione passiva spiritus. Qua finita, dilectam suam iam venuste dealbatam de Libano Sponsus vocat, de tenebrosis cubilibus leonum, de montibus senticosis pardorum, de furiis tartareae catoblepae, ut victrix coronetur (4).

7. Ex quibus constat purgationem activam durare toto illo spatio, quo anima est in statu incipientis. Ceterum purgatio passiva non durat quantum via illuminativa; siquidem incipitur haec via per contemplationem acquisitam, mediatur per purgationem passivam sensus, ad quam sequitur contemplatio infusa, et terminatur per purgationem passivam spiritus, per quam habilitatur anima ut viam unitivam ingressa dilecto suo uniatur.

LECTIO SECUNDA

8. Purgatio ergo activa sensus consistit in mortificatione ipsorum sensuum, non solum eos ab illicitis removendo, verum etiam in permissis mortificando. Hic spatiantur auctores numerum et naturam sensuum explicantes, et modum quo purgentur, usque ad satietatem tradentes. De primo nihil dicturus sum propter dicta libro I, numero 44, de secundo solum praecisa tradam ob motiva saepius inculcata.

9. Noscis, ut numero dicto supposui, naturam cuiuscumque sensus tam externi, quam interni, et obiecta ad quae omnes illi terminantur. Per ordinem ad haec obiecta illos mortificare debes ; quod facies, si oculos avertis ne videant vanitatem (5) ; sicque in via perfectionis vivificaveris. Si auditum cohibes mundo dicens quod dicitur per *Amos,* cap. V (6) : *Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyrae tuae non audiam.* Auditum frena ne bis audias, iterum delicti comes: *Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo* (7). *Qui habet aures audiendi, audiat* (8). Id est, consideret. Et eodem modo reliquos exteriores sensus mortificet et sic colliget virtutum praeciosissimos fructus.

10. Simili studio procedere debet in mortificatione sensuum internorum ; unde sensum communem mortificet, avertendo se ab iis nocivis speciebus, quas a sensibus externis accepit et conservat. Cum phantasia seu imaginativa nulla humana sollicitudo sufficiens est. Est enim vile mancipium quietem animae perturbans; est etiam necessarium orationi; quia oportet intelligentem phantasma speculari ; unde est onus gravissimum quietem desideranti; quare debet anima fundere coram Deo preces, ut

(2) Lib. I, syntag. II, num. 42 sqq.
(3) Lib. I, syntag. III, num. 123.
(4) *Cant.*, c. IV, v. 8.
(5) *Ps.* 118, v. 37.
(6) v. 23.
(7) *Gen.*, c. III, v. 17.
(8) *Marc.*, c. IV, v. 9.

imaginationem frenet ne noceat. Similiter cum cogitativa se gerat ne rete (9) specierum, quas habet, capiatur.

11. Praecipue curandum est ut memoria purgetur; plurimum enim nocent animae species memoriae non purgatae. Unde vir spiritualis debet semper ferri in destructionem omnium eorum, quae occupant suam memoriam; quin sint vel ipse Deus, vel species in Deum inclinantes. Heu quanti manibus memoriae periere! Curet ergo qui ad perfectionem tendit, memoriam praeteritorum extirpare; praeterquam ut doleat, si sunt mala; vel ut gratias Deo referat, si sunt bona. Curet a parentibus et consanguineis, a divitiis et deliciis; et, ut unico verbo rem nimis prolixam absolvam, ab omni eo quod non est Deus, nec in Deum secundum proprium statum dirigit, seipsum avertere.

12. Ulterius debet intellectus purgari tum ab inquisitione veritatis, tum a proprio iudicio circa res agendas. Peccat enim intellectus in inquisitione veritatis, cum sollicitat plus sapere quam oportet sapere, nolens sapere ad sobrietatem (10). In quo peccatur quoad substantiam et quoad modum. Quoad substantiam peccatur, quando illa veritas inquiritur, quae virum spiritualem non constituet. Quomodo enim intellectum iuvabunt ad mysticam unionem epigrammatarii dicteria, lyrici scurrilitates, satyrici morsus, foetida artificia vulgaris, bellorum eventus, gentium novitates, aliaque innumera quibus plures etiam e religiosa militia dediti sunt? Scio qualiter haec nedum excusent, verum etiam ut necessaria pipiant eorum cultores. Sed an suis discursibus sarti tectique sint, aqua quam non dubito hiaturos dum hient in hora extrema, signabit ; factum, si posset, abolitura.

13. Quoad modum peccatur in veritatis inquisitione, quando idipsum, quod addiscis, addiscis ut scias vel ut sciaris. Scire enim propter scire, turpis curiositas est, aiebat D. Bernardus (11). Scire, ut sciaris et ut sapiens venereris, gravis superbia est. Unde, ut bene agas, scito quae oportet et prout oportet. Sic enim scies quae conducunt ut in Deum feraris ; et scies, non ut superbias, sed ut Domino famuleris.

14. Etiam a proprio iudicio purgandus est intellectus ; in quo peccant qui tenaciter proprio dictamini adhaerent. De quo multa nostrum *Mysticum Directorium* hic (12); nos vero nihil dicemus, cum supra (13) dixerimus, virum spiritualem debere prudentem directorem habere, cuius iudicio iudicium proprium summittat.

15. Et ex hoc ipso colligitur modus purgandi propriam voluntatem ; quia qui satagit directoris voluntati subesse, propriam voluntatem non habet ; unde haec est summa omnium eorum, quae in praesentiarum dici solent. Pareat directori conditiones supra positas habenti et propria voluntate carebit, secutus veritatem ipsam de se dicentem *Ioann.*, VI (14): *Descendi de Coelo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me Patris.*

16. Hac arte, hoc studio conficitur totum opus purgationis activae tam sensus, quam spiritus; tam partis cognoscitivae, quam affectivae. Et quamquam de parte affectiva sensus nihil dixerimus, ex dictis tum hic, tum lib. I, num. 43 et 93 facile est colligere quae dicenda sunt.

(9) « *recte* », in antiquis editionibus.

(10) *ad Rom.*, c. XII, v. 3.

(11) *Sermo 36 in Cant.*, num. 3; Migne, P. L., t. 183, col. 968: *Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant; et turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi; et turpis vanitas est.*

(12) Antonius a spiritu S., *Directorium mysticum*, Tract. II, disp. 3, §. 3; ed. 1904, pp. 115-117.

(13) Lib. I, syntag. II, lect. 3, num. 58-63.

(14) *Ioan.*, c. VI, v. 38; apud Hetzenauer, p. 1047, vox « *Patris* » deest.

LECTIO TERTIA

17. Magnum opus aggredior, dum ad purgationes passivas ingredior. Quotquot dicta sunt, possunt deliciae nominari relate ad ea, quae in his purgationibus eveniunt. Earum prima est purgatio partis sensitivae, quae quadruplici causa constat; scilicet materiali, formali, efficienti et finali.

18. Causa materialis est ipsa pars sensitiva secundum illas portiones, quae purgantur: nempe secundum partem cognoscitivam, quae sensibus externis et internis constat; et secundum partem affectivam (15), quae est potentia concupiscibilis et irascibilis.

19. Causa formalis est subtractio gratiae sensibilis; cui assuetus vir spiritualis, adeo cum eius subtractione cruciatur ut dolores inferni perpeti sibi persuadeat. Si ad Deum recurrit, requiem invenire non potest; quia in eo non Patris benignitatem, sicut prius, intuetur; sed Iudicis severissimi rigorem inexorabilem contemplatur. Si ad anteactos discursus sibique familiarem contemplationem acquisitam regredi vult, tempus terere iudicat; quia nullum discursum efformare valet, quo levetur.

20. Quod acrius crutiat est carentia reflexionis, qua affligitur; non enim reflectere supra seipsam potest et considerare infirmitatem illam non esse ad mortem, sed ut in ipsa glorificetur Deus, qui tunc animam torquet ut torque caritatis postmodum ditet; viam illam sanctorum esse, quorum nullus illam non lustravit; arctissimam illam viam et angustissimam (16) portam deliciosissimae arcis ingressum esse. Nil horum considerat, suspendente Domino suum concursum ad exercitium, qua suspensione uti reflexione non potest. Unde solum habet vires, ut fabricet discursus melancholicos; se a Domino derelictam lamentatur et ad ignem inferni destinatam. Unde anhelat, sudat, fatigatur.

21. Causa finalis huius purgationis est perfecta subordinatio et conformitas partis inferioris cum superiori. Pars sensitiva nata est ut rationali obediret, sicut ait D. Thomas, II^a II^{ae}, quaest. 158, art. 8. Hanc obedientiam a transgressione primi praecepti negavit; ut autem ad illam redeat, hanc purgationem patitur, qua, ut potest, proportionatur cum parte rationali; sicque non impedit divinas communicationes; quin potius igni purgationis decora et a gratia sensibili separata, in qua pabulum solet invenire concupiscentia, mutuo foedere parti rationali iuncta non impedit, sed impellit ad mysticam unionem. In quo adimpletur illud, quod de Deo ait *Isaias*, cap. XXVIII (17): *Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum?* Et respondet: *Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Quod sic explicat inibi D. Thomas (18): *Quoscumque bonos separatos a lacte concupiscentiae.*

LECTIO QUARTA

22. Causa efficiens est Deus ipse, qui, licet iratus videatur, pietate tamen commotus animam eripere vult a puerili illo statu gratiae sensibilis et illam in fortium ac robustorum classe collocare; quamobrem illam probat auferendo devotionem, se illi iratum et austerum monstrando; et insuper illam torquet iactura bonorum, ut sunt salus, divitiae, honores, dignitates, amici, consanguinei et huiusmodi alia, quibus spiritualem privat ut torqueat.

23. Ultra dictam causam efficientem, quae principalis est, dantur aliae instrumentales: hae sunt daemon et ho-

(15) « *effectivam* », in antiquis editionibus.
(16) « *augustissimam* », in antiquis editionibus.
(17) v. 9.
(18) Ed. Vivès, t. XVIII, p. 788a

mines. Isti tum praeter intentionem, tum a consilio virtuosum persequuntur, addentes super dolorem vulnerum ipsius (19). Ex quorum persecutione iusti corona laboratur.

24. Ille autem iusti perfectionem praedivinans tota vi sollicitat inceptum iter vel impedire, vel, ut minus, retardare ; propterea tentationibus contra castitatem ferit, suiipsius horrorosis visionibus terret, totamque suam malitiam auxiliatricem vocat ut vincat.

25. Omnium dictorum exemplum est beatus Iob a Deo afflictus, a daemone verberatus, ab amicis persecutus, bonorum omnium iacturam passus, salutis, filiorum et honorum. Sic enim homines e vili materia compactos in caelestes mutat superni artificis manus. Hae sunt causae, quae concurrunt ad purgationem passivam partis sensitivae, eo fine ut terreas affectiones relinquens e pulvere ipso tribulationum exsurgat argentum igne examinatum, probatum Domino terrae, purgatum septuplum (20). O utinam sic examinemur, ut in ipso tribulationum examine fideles inveniamur!

LECTIO QUINTA

26. Ars mystica, quae medium nobis invenit, ut pars inferior conformetur superiori; etiam invenit medium, quo pars superior Deo conformetur. Et sicut illud medium est purgatio illius partis, quae est conformanda; sic medium hoc est purgatio illius partis, quae Deo est unienda. Quare finita illa prima purgatione exercetur anima in contemplatione infusa, et cum tempus accedit quo ad fastigium unionis evehenda est, illam Deus examinat fortissimo igne purgationis passivae intellectivae partis.

27. Causa efficiens est Deus ipse, qui suam benignissimam pietatem sub velo severitatis dissimulans illam constituit in terra deserta, et invia, et inaquosa (21), ut possit mediis ineffabilibus angustiis ineffabilem felicitatem obtinere.

28. Causa finalis est dicta unio cum Deo. Causa materialis est ipsa anima secundum suas potentias rationales. Formalis vero est clarissima lux contemplationis infusae, quam Deus animae imprimit, qua animae manifestantur vel minimi sui defectus. Quibus consideratis in concursu gratiarum, quas a Deo accipit, et cognita vilitate personae offendentis et offensi Numinis maiestate, sic vexatur, sic angitur, sic torquetur, ut mirum certe sit vel quod non expiret, vel quod non desperet. Misericors tamen Deus, qui illud examen dirigit ad commodum animae patientis, illi specialissime assistit abscondita manu, ut perseveret.

29. Plurima sunt, quae in hac horrorosa purgatione tolerantur. Tormenta quae ex pluribus capitibus iisque gravissimis, anima perpetitur, incipiunt narrare mystici, nec perficiunt. Mihi vero, qui non ex professo discutere haec possum, sat sit lectorem ad nostrates remittere, ubi haec, quantum materia sinit, explanata videbit. Moneo tamen quod patiens hanc spiritus et anteactam sensus purgationem debet in omnibus ductum sui directoris sequi. Director autem debet etiam omne suum studium collocare in sic patientis assistentia ; et ut suo muneri satisfacere possit, attente legat duos illos mirabiles libros *Noctis obscurae sensus et spiritus,* (22) quos Extaticus noster Parens D. Ioannes a Cruce scripsit in communem utilitatem. In illis siquidem mirabilem doctrinam pro his dificillimis rimandis seraphice propinatam videbit. Et haec pro hac arte inveniendi medium quo anima Deo uniatur, dicta sufficiant; immo et pro tota hac prima parte nostri mystici operis in Dei laudem scripti; nostrorumque scholasticorum profectui dicati.

(19) *Ps.* 68, v. 27.
(20) *Ps.* 11, v. 7.
(21) *Ps.* 62, v. 3.

(22) *Noche oscura del sentido; Noche oscura del espiritu;* ed. crit., t. II, pp. 1-134.

SECUNDA PARS

CURSUS THEOLOGIÆ MYSTICO-SCHOLASTICÆ

IN QUA

PROŒMIALIA TOTIUS
MYSTICÆ THEOLOGIAE DISPUTANTUR

DABILIQUE

PERSPICUITATE TRADUNTUR

EDITIO QUINTA

DECOR CARMELI

Disputationes Praeambulae Ad Mystica Praedicabilia

Ne multoties vorticibus minax oceanum, quod iam iam, favente Numine, intramus, iter obruat vel retardet, aliqua, dum e portu solvimus, praedisputare omnino necessarium visum nobis est ut expeditius in subsequentibus procedamus. Incongrue enim theologiae mysticae dubia agitarentur, non cognita ipsius mysticae theologiae quidditate et conditione. Quae, obiectum, nominis ratio aliaque a nobis subiicienda exhibent. Et quia arcana sapientia haec practica est, ad cuius praxim est omnino necessaria spiritualis magistri lux : propterea directoris conditiones praemittere statuimus. Primum facimus in prima disputatione prooemiali et in secunda secundum.

DISPUTATIO PRIMA

De obiecto, natura et nomine mysticae theologiae ac de aliis huc spectantibus.

Haec omnia sub unica disputatione comprehendimus, quia mutuo sese iuvant ut theologiae mysticae quidditatem ostendant, uti de se et ex dicendis constabit.

QUAESTIO PRIMA

Utrum obiectum primarium theologiae mysticae sit ens revelabile abstrahens a creato et increato ?

Cum obiectum sit terminus, per ordinem ad quem habitus essentiatur; ideo ab obiecto mysticae theologiae incipimus, ut eius naturam aliaque praesentis materiae propria venemur.

§. 1. Nonnulla praelibantur et sententiae referuntur.

1. In quaestionis titulo duo sunt, quae offusis tenebris progressum impedirent, si aliqua pro eorum luce non praemitterentur. Scias ergo primo, nomen *obiectum* plurima sub se continere, in quae dividitur ; de quo agit D. Thomas I^{a} p., quaest. 1, art. 3 et II^{ae} II^{ae}, quaest. 1, art. 1 (1) et alibi; cuius angelicam mentem nostri Salmanticenses solidissime explicant pluribus in locis, speciatimque tract. VIII, disp. 1, dub. 3 (2). Ubi omnes obiecti divisiones enumerant solitaque dexteritate exponunt. Quibus ad praesentem materiam praesuppositis ; obiectum, de quo nunc loquimur, est solum obiectum *quod* formale et primarium theologiae mysticae; non autem obiectum extensivum et secundarium; nec ra-

(1) In antiquis editionibus erronee additur : « *et inibi quaest. 50, art. 5* ».

(2) Ed. V. Palmé, t. V, pp. 18a-53b. — Cf. infra *Appendix*.

tio formalis *sub qua* obiectum suum theologia mystica attingit; de his enim in sequentibus quaestionibus agemus.

Quid autem sit obiectum primarium et specificationis, quid secundarium et extensionis; quid ratio *sub qua,* ratio *quae* aut obiectum *quod?* mysticus explanare non debet scribens pro instruendis mysticis, qui haec a limine logicae didicerunt ex nostris Complutensibus, disp. 1, quaest. 2 (3). Videantur laudati Salmanticenses (4), in quibus nihil inexpensum miraberis.

2. Scias secundo theologiam mysticam et esse mysticam, et theologiam. Obiectum ipsius, ut theologia est, est obiectum habitus theologiae, de quo vide D. Thomam, I[a] p., quaest., 1, art. 7. Unde praesens controversia reducitur ad explorandum obiectum mysticae theologiae ut mystica est; sic enim nostri muneris est. In hoc autem obiecto certum est inveniri idipsum, quod in mystica theologia; atque adeo sicut theologia mystica secundum munus mysticae addit supra seipsam secundum conceptum theologiae, sic et obiectum eius est ipsum theologiae obiectum, addens tamen modum illam in esse mysticae constituentem.

3. Scias tertio hoc nomen *theologia mystica* plura comprehendere, diversimode tamen; nam alia proprie, alia improprie; alia formaliter et constitutive; alia vero vel antecedenter, vel concomitanter, aut subsequenter; alia denique connexive dicit. Quiaque haec sunt pro hac pluribusque aliis quaestionibus, immo et disputationibus maxime necessaria, eo non morabor quin haec possibili perspicuitate ac brevitate propinem.

Primo enim sumitur theologia mystica pro tractatu, in quo de ipsa agitur; et theologi mystici dicuntur, qui in illis scribendis occupantur. Verum haec acceptio nimis impropria est, quia cum theologia mystica sit scientia experimentalis, ii proprie dicuntur mystici, qui divina patientes, arcana huius sapientiae experiuntur. *Secundo* dicitur theologia mystica lux illa quae mentem elevans, Deum superignotum nobis manifestat; quamobrem supra (5), libro primo, numero 21, definivimus mysticam theologiam per hoc quod sit *oratio superignoti manifestativa, etc.* Quae tamen acceptio propria sane est; sed est nimis ampla, siquidem comprehendit omnes viae spiritualis status. *Tertio* sumitur pro ipsa contemplatione praesertimque pro illa, quae in conceptu negativo cuiuscumque perfectionis positivae Deum intuetur. Et haec contemplatio alia est acquisita et alia infusa; quae tripartitur in illam, quae habetur, dum anima divinam caliginem ingreditur, non ut in ea perseveret; et in eam, quae habetur, dum anima perseveranter habitat ipsam caliginem divinam; ac denique in illam, quae resultat ex fruitione Dei habita in unione perfectissima. Haec ultima contemplatio est propriissime ac perfectissime theologia mystica; alia vero secundum ordinem, quo numeratae sunt, habent magis vel minus perfecte rationem mysticae theologiae. Ut autem dictos terminos reddas tibi familiares replica dicta in nostra *Mystica Isagoge,* libro IV, num. 23.

4. Scias quarto contemplationem illam ex praeiacta Dei fruitione resultantem plura dicere; scilicet extraordinariam ac perfectissimam cognitionem Dei, ad quam sequitur ardentissimus amoris actus, quia notitia bonitatis divinae profundissime per illam cognitionem habita ortum ducit. Cum autem voluntas hoc perfectissimo amoris actu ignitur, eam Deus ad se trahit, ineffabili dulcedine perfundit, tenerrime amplexatur ac secum unit. Et dum voluntas his deliciis saginatur, format intellectus sublimissi-

(3) *Logica,* disp. 1, q. 2, num. 8-11; ed. Francofurti, 1629, t. I, pp. 57a-58a. — Cf. infra *Appendix.* — COMPLUTENSES ABBREV. seu IOANNES AB ANNUNTIATIONE, C. D., *Artium Cursus, Logica,* disp. 1, q. 2, §. 1; Lugduni 1670, t. I, p. 72a-73b. — Cf. infra *Appendix.*

(4) l. c.

(5) scil. *Isagoge.*

mam notitiam de Deo perfectiorem clarioremque praecedenti (6).

5. Unde habes actum perfectissimum voluntatis medium inter duos perfectissimos actus intellectus. Quis autem horum trium actuum sit propriissime theologia mystica, res est non parum ardua, in qua scholastici mysticique doctissimi et expertissimi diversis viis procedunt. Alii enim defendunt, theologiam mysticam consistere pro formali in dicto actu voluntatis. Alii per oppositum tenent consistere in ultimo illo actu intellectus, ingrediente etiam voluntatis actu, sed minus principaliter. Nec desunt auctores, qui in primo illo intellectus actu sitam esse tueantur. De quo videre potes nostram *Catenam,* Col. 1, prop. 2 per totam (7), ubi suam multorumque ex nostratibus sententiam proponit. De quo in sequentibus acturi sumus; modo autem opus non est huius rei veritatem examinare; haec enim solummodo allata sunt ad insinuandum varias theologiae mysticae acceptiones, quibus cognitis, ingenti confusione superata, in futuris procedatur.

6. His necessario praemissis, circa praesentem controversiam duplex opinio versatur. Prima tenet, obiectum *quod* primarium mysticae theologiae esse ens revelabile abstrahens a creato et increato. Hanc defendit noster Gabriel a Sancto Vincentio, I p., disp. 1, dist. 9 (8). Secunda oppositum docet, quam D. Thomas et D. Dionysius, locis infra citandis, communiterque doctores omnes defensant.

§. II. Reiicitur prima sententia.

7. Sit nostra conclusio: *Obiectum quod primarium mysticae theologiae non est ens revelabile abstrahens a creato et increato.* Probatur primo haec conclusio ex dictis numero 2. Etenim obiectum mysticae theologiae est obiectum habitus theologici, cum illo tamen addito illam in esse mysticae constituente. Sed obiectum habitus theologici non est omne ens revelabile abstrahens a creato et increato. Ergo nec mysticae theologiae obiectum est omne illud ens revelabile. Consequentia bona est; maior autem constat ex dictis numero secundo; quia sicut theologia mystica addit modum mysticae supra theologiam; sic et obiectum ipsius modum addit, ad quem ipsa ut mystica terminatur. Minor continet doctrinam D. Thomae in dicto art. 7 (9), quem iam fere omnes theologi sequuntur, praesertim Thomistae.

8. Confirmatur: quia licet theologia mystica agat de omni ente revelabili, immo de ipsa revelatione; non tamen illa propter seipsa attingit, sed propter ens increatum, in quod illa omnia reducuntur. Ergo omne ens revelabile non est obiectum mysticae theologiae. Patet ista: quia omne id, quod propter aliud attingitur ab habitu vel potentia, non est eius obiectum *quod* primarium et specificativum, sed solum materiale et extensivum; obiectum autem primarium propter seipsum attingitur, ut vel ipsum nomen manifestat. Antecedens etiam est certum: quippe revelationes omnes, tam formales, quam obiectivas, de quibus agit mystica theologia, in nullum ens creatum reducit, nec propter illud attingit; sed quidquid attingit, attingit quidem propter ens increatum. Quod clarissime docuit theologiae mysticae Parens D. Dionysius, qui de mystica theologia in concreto locutus nullum ens creatum agnoscit, in quod se suaque ut

(6) cf. IOANNES A IESU MARIA, C. D., *Schola de oratione et contemplatione,* tract. XII: *De Theologia Mystica,* dub. II; *Opera omnia,* ed. 1650, t. II, p. 605a-607a; ed. 1771-1774, t. II, pp. 558b-559a. — Cf. infra *Appendix.*

(7) IOSEPH A SPIRITU SANCTO, C. D, *Cadena mystica carmelitana,* colación I, propuesta 2; Madrid, 1678, pp. 10a-19b. — Cf. infra *Appendix.*

(8) *In universam primam partem Summae Angelicae,* disp. I, dub. 9; Romae, 1664, pp. 30-32. — Cf. infra *Appendix.*

(9) scil., Ia, q. 1.

in terminum suae habitudinis dirigat. Verba Dionysii, prout a Guadalupe, tract. I *Mysticae Theologiae,* cap. 2 (10) recitantur, subiicio: *Cum enim habeat* (theologus mysticus) *Deum omnis sacrae suae arcanae cum scientiae, tum operationis finem ad divinissimum eius decorem intuendum, eundem, quoad potest, exprimit.* Atque ideo patet non esse creatum ens, quod theologiae mysticae habitudinem primario terminet.

9. Dices: Quamquam ens creatum attactum a mystica theologia in ens increatum ultimo dirigatur, non inde colligitur tale ens creatum non esse obiectum primarium talis scientiae. Ergo huius primarium obiectum etiam comprehendit ens creatum; atque adeo adaequatum eius obiectum abstrahit a creato et increato. Probatur antecedens a paritate obiecti primarii aliarum scientiarum. Etenim licet accidens subordinetur substantiae, et homo angelo angelusque Deo, nihilominus tamen omnia illa sunt obiectum primarium metaphysicae, cuius proinde primarium obiectum abstrahit a creato et increato. Ergo pariformiter.

10. Confirmatur: quia intra ordinem obiecti primarii habitus datur aliquod, quod dicitur principalitatis, cui omnia alia subordinantur quin rationem termini seu obiecti primarii amittant, sicque ens creatum est obiectum metaphysicae, quamvis obiectum principalitatis sit ens increatum; similiterque licet homo sit obiectum principale philosophiae et demonstratio logicae, sunt alia praeter demonstrationem et praeter hominem quae sint obiecta primaria logicae et philosophiae. Ergo idem in mystica theologia dicendum est.

Respondetur ad obiectionem negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: *Licet accidens subordinetur substantiae, etc.* ut obiecto praecipuo seu principalitatis, concedo; ut obiecto formali, nego. Itaque non inde colligimus ens creatum non esse obiectum theologiae mysticae, quia in ens increatum dirigitur illique subordinatur ; sed propter modum subordinationis et directionis; consistitque modus iste in hoc, quod ens creatum nullatenus est propter se attingibile a mystica theologia, et hoc quia theologia, et quia mystica est; quia theologia: quia haec a nullo creato ente essentiatur, ut patet ex dictis numero 7; quia mystica: eo quod in hac scientia, ut mystica est, vividius rutilat elongatio, quam a creatis theologia dicit, ut dicemus quaestione 3 constatque de se. Unde non potest ens creatum esse huius theologiae obiectum, nisi ad summum extensivum et materiale. Cuius contrarium evenit in exemplis illis allatis ; quippe metaphysica non respicit ens increatum ut increatum, sed ut ens; similiter philosophia non respicit hominem ut animal rationale, sed ut ens mobile; nec logica respicit demonstrationem sub ratione syllogismi facientis scire, sed sub ratione secundae intentionis veritatis ostensivae. Unde ea omnia quibus formaliter convenit, de quibusque formaliter praedicatur ratio secundae intentionis logicalis veritatis ostensivae et ratio entis mobilis ac denique ratio entis, sunt obiectum formale et primarium metaphysicae, philosophiae ac logicae. Licet alias detur inter ipsa obiecta primaria subordinatio ordoque principalis et minus principalis. Per quae patet ad confirmationem. Haec tamen doctrina ex dicendis §. sequenti roborabitur.

11. Probatur secundo conclusio. Nullum ens creatum est centrum theologiae mysticae. Ergo nullum ens creatum est obiectum specificationis mysticae theologiae. Hoc enthymema continet discursum praesentis materiae, ni fallor, proprium et efficacem; et ideo utraque eius propositio probanda est. Prima quidem probatur sic: quoniam centrum est terminus propensionis rei illud ut centrum inspicientis, in quo conservationem et

(10) GUADALUPE (ANDREAS DE —), O. MIN., *Mystica theologia supernaturalis infusa...* tract. I, cap. 2; Matriti, 1665, p. 4a. Textus allatus quoad sensum est ex Dionysio Areopagita, *De Ecclesiastica Hierarchia,* cap. 3, §. 4 ; text. graec. Migne, P. G., t. 3, col. 429 et 432.

requiem invenit et extra illlud vel interitum, vel violentiam. Atqui non est ens creatum, quod terminus sit propensionis theologiae mysticae aut in quo conservationem et requiem inveniat ; quin potius in illis vel violentiam patitur, vel interitum. Ergo. Consequentia est bona et maior patet; quia locus naturalis, qui certe centrum est corporis locati, habet qualitatem conservativam ipsius locati, quam illi conferens violentiam aufert, quam alibi experiebatur ; proptereaque tota propensio locati est ad locum suum naturalem ut media hac benigna sibi qualitate vivat et delicietur. Et haec doctrina, quam experientia firmat, edocetur ab Aristotele, IV *Physic.*, cap. 1 (11), ubi ait: *Motus etiam naturalium corporum, et simplicium, ut ignis, ut terrae et aliorum huiusmodi generis non solum locum aliquid esse declarant, sed etiam vim quandam habere.* Quod declaravit D. Thomas, ibi, lectione 1 (12), per haec verba: *Motus naturalis corporum naturalium ostendit, quod locus habeat quandam potentiam et virtutem. Videmus enim, quod unumquodque fertur in suum locum, quando non impeditur ; grave quidem deorsum, leve autem sursum. Ex quo patet, quod locus habet quandam virtutem conservativam locati, et propter hoc locatum tendit in suum locum desiderio suae conservationis.* Est ergo vera illa maior.

Deinde probatur minor principalis primo ex D. Augustino, libro primo *Confessionum*, cap. 1 (13), ubi ait : *Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum Domine, donec requiescat in te.* Consonat quod idem Sanctissimus Praesul adiecit inibi, libro XIII, cap. 8 (14), dicens: *Hoc tantum scio, quia male mihi est praeter te, non solum extra me, sed in me ipso: et omnis mihi copia, quae Deus non est, egestas est.* Ecce quam tranquillitatem, quam requiem, quod solatium cor nostrum theologia mystica ductum inveniat in ente creato ; nihil praeter amaritudinem et afflictionem spiritus invenit. Quam sui Parentis egregiam verissimamque sententiam Frater Michael Hoyerus hisce carminibus elucidavit in *Flammul. amoris,* folio 114 (15):

Praeter amare Deum pax nulla, nec otia cordi;
Omnia sunt turbae, praeter amare Deum.
Illic vera quies: vis mundi evadere fluctus?
Effuge tot nugas, te quoque iunge Deo.
Hac omnes barathri fugies statione procellas:
Hic est fixa tuis ancora sacra malis.

12. Dices Augustinum loqui de requie, qua cor gaudebit, cum beemur, tunc enim vere in Deo quiescemus; et usque in caelesti illa requie simus, in hoc lugubri senticeto exsules pungimur, inquietamur, vel solo barathri horrore, a quo liberi non sumus, dum quatimur mortalitate. Ergo ex verbis Augustini nihil habetur pro mystica nostra theologia.

Respondetur quod, licet prima auctoritas Sancti Doctoris hunc sensum admittere possit, secunda tamen illum non admittit, ut intuenti constabit. Et prima quidem licet istum sensum ab obiiciente intentum non spernat, uti diximus, attamen ille alius est proprior; quod constat aperte ex glossemate Carminum Michaelis Hoyeri, quod iam dedimus. Ibi enim assignatur Dei amor ut centrum, in quo mens, mystica theologia venusta, requiescit; et hoc non solum est verum de amore patriae, sed etiam de amore viae. Ex quo enim anima Deum ardenter

(11) num. 4; ed. Didot, t. II, p. 285; Bekk., 208b, 9. — In antiquis editionibus erronee ponitur: « *Arist. 3. physic.* »

(12) Ed. Leonina *operum omnium*, t. II, p. 147, num. 7: *Motus localis corporum naturalium simplicium, ut ignis et terrae et aliorum huiusmodi gravium et levium, non solum ostendit quod locus sit aliquid, sed etiam quod locus habeat quandam potentiam et virtutem.. Videmus enim quod unumquodque horum fertur in suum proprium locum quando non impeditur, grave quidem deorsum, leve autem sursum. Ex quo patet quod locus habet quandam virtutem conservandi locatum; et propter hoc locatum tendit in suum locum desiderio suae conservationis.*

(13) Vox « *Domine* » deest apud Migne, P. L., t. 32, col. 661.

(14) Migne, l. c., col. 848:... *sed et in meipso...*

(15) *Flammulae amoris S. P. Augustini versibus et iconibus exornatae*, lib. II, §. XIX; Antverpiae, 1708, p. 184 :

Omnia sunt turba,...
Haec omnes...
Fixa tuis erit hic ancora sacra malis.

amat, in nullo alio quiescit, immo alia omnia contemnit. Et quo hic Creatoris amor crescit, augetur et mundialium fastidium. Hoc est caritatem ordinatam habere, dicente ipsa anima (16): *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* In quorum verborum explicatione mirissime spatiatur Seraphica Mater nostra Sancta Theresia mirabili illo libro *Conceptuum amoris Dei* (17). Et Extaticus Parens Noster D. Ioannes a Cruce profundissime totam hanc materiam edisserit in suo *Spirituali Epithalamio,* cant. XVIII (18). Ubi in persona sponsae ait :

En la interior bodega
De mi amado bebi, y quando salia
Por toda aquesta vega,
Ya cosa no sabia,
Y el ganado perdi, que antes seguia (19).

In cuius explicatione multa, eaque propriissima, pro praesenti materia docet, tradens nullum ens creatum fore centrum, in quo anima solatium inveniat, quod solum, vel dum exsilium patitur, in Deo habet. Ex quibus omnibus constat, animam duplici contritione concuti in hac vita. Prima est timor Deum in perpetuum amittendi, qua certe durissime premitur usquedum beetur. Secunda est inquietudo, quam omnia creata causant animam retardantia ab intima unione cum suo Sponso. Unde constat hunc et non illa animae centrum esse.

13. Probatur secundo eadem minor ex nostro Theodidacto Parente D. Ioanne a Cruce, qui in omnibus suorum operum chartis hoc ipsum clarissime docet; nullibi enim non suadet res creatas animae profectui contrariari. Clarissime loquitur loco citato, cantione III (20), dicens:

Buscando mis amores
Iré por essos montes, y riberas,
Ni cogeré las flores,
Ni temeré las fieras,
Y passaré los fuertes, y fronteras (21).

Quibus verbis perspicue ostendit in nullo ente creato repositam esse tranquillitatem animae; unde illa omnia praeteriens alibi suae propensionis centrum debet quaerere. Ubi observare debes, quod non solum se florilegam futuram non esse testatur, sed nec chelydris corripi pollicetur, tantummodo in centro suo iactant totius propriae activitatis impetum.

14. Probatur tertio eadem minor ex definitione mysticae theologiae, quam dedimus supra in *Isagoge,* libro I, numero 21. Etenim terminus per quem suum esse habet mystica theologia, debet poni in ipsius definitione. Est enim accidens respectivum, quod definiri non valet nisi per ordinem ad terminum. Sed in definitione mysticae theologiae nullum ens creatum ponitur. Ergo. Minorem, in qua dissidium esse poterat, ipsa verba definitionis demonstrant. Est enim theologia mystica, ut constat ex loco allegato: *Oratio superignoti manifestativa per intimum ac suavissimum amorem ipsius intime possessi.* In quibus verbis nec vestigium est entis creati. Per quae probata, credimus, manet prima propositio illius enthymematis numero 11 positi; sequitur et consequentiae probatio.

15. Probatur ergo dicti enthymematis consequentia. Obiectum formale primarium cuiuscumque scientiae est veluti eius centrum, per ordinem ad quod est et conservatur. Nullum ens creatum est centrum mysticae theologiae. Ergo nullum ens creatum est eius obiectum formale. Consequentia est bona; et minor probata manet ex numeris praecedentibus. De maiori autem nemo dubitare potest.

(16) *Cant.,* c. II, v. 4; apud Hetzenauer, p. 598, « *Rex* » deest.
(17) *Conceptos del amor de Dios,* cap. 6; ed. crit., t. IV, pp. 257-262.
(18) *Cántico espiritual* (II escritura), canción XXVI; ed. crit., t. II, p. 297; *El primer Cántico espiritual,* canción XVII, ed. crit., t. II, p. 550.
(19) In editione Neapolitana additur:
Nella secreta cella.
Dell'amato bevei: alhor che uscii
Alla pianura bella :
Già scordata men giva ;
E la gregge perdei, che pria seguiva.
(20) Ed. crit., t. II, p. 187 y 508.
(21) In ed. Neapolit. additur:
Cercando i miei amori,
Andrò per questi monti, e per riviere,
Ne coglierò li fiori:
Ne temerò le fiere,
E passerò li Forti, e le frontiere.

§. III. Respondetur contrariorum argumentis.

16. Contra conclusionem arguitur *primo* ex D. Thoma, qui in I *Sent.*, quaest. 1 prologi, art. 4 (22) ait, quod ens divinum revelabile est huius sacratissimae scientiae obiectum. Verba D. Thomae sunt haec: *Possumus dicere, quod ens divinum per inspirationem cognoscibile est subiectum huius scientiae.* Et inibi ad 1 (23) inquit: *Quod Deus non est subiectum, nisi sicut principaliter intentum, et sub cuius ratione omnia, quae sunt in scientia considerantur.* Ergo Deus est nostrae mysticae theologiae obiectum principalitatis, non adaequationis ; hoc enim reservatur enti per revelationem divinam cognoscibile; atque adeo non solus Deus est obiectum primarium huius scientiae.

Ceterum mens D. Thomae est in hac parte adeo perspicua, ut tergiversari non possit, ut videbimus quaestione 3. Ad primam autem auctoritatem sunt qui dicant Sanctum Doctorem loqui de ente divino, non prout ambit ens divinum per essentiam et per participationem, sed praecise de ente divino per essentiam. Quae expositio veritatem continet, et a voluntarietatis nota liberabis, si observes, Angelicum praeceptorem in eo articulo triplicem opinionem circa obiectum nostrae theologiae retulisse. Prima asserentium Deum esse illius obiectum. Secunda Hugonis de Sancto Victore, *Supra Dionysium de Caelesti Hierarchia,* in prologo, cap. 1 et libro *De Sacramentis* (24), affirmantis opera meritoria, quae sunt opera ad nostram restaurationem conducentia, esse theologiae sacrae obiectum. Tertia Magistri tenentis, libro I *Sent.,* d. 1 (25), obiectum huius scientiae esse res et signa. Haec et alia affert ibidem Sanctus Doctor, inter quae certum est, contineri non solum obiectum primarium, sed etiam secundarium.

Quibus relatis, ait (26) : *Si autem volumus invenire subiectum, quod haec omnia comprehendat, possumus dicere quod ens divinum cognoscibile per inspirationem est subiectum huius scientiae. Omnia enim, quae in hac scientia considerantur, sunt aut Deus, aut ea quae ex Deo, et ad Deum sunt.* Ex quibus solum habetur quod obiectum theologiae mysticae prout ambit tam obiectum primarium, quam secundarium, sit ens abstrahens a creato et increato; non autem habetur quod tale ens abstrahens sit obiectum primarium. Unde infertur verissimam esse Caietani expositionem, I p., quaest. 1, art. 7 (27) dicentis : D. Thomam in auctoritate obiecta locutum fuisse secundum sententiam eorum, quorum illic meminerat, non autem secundum propriam sententiam. Quam doctrinam licet admitteret Magister Ferre, ibi, quaest. 6, §. 2, num. 163 (28), postea autem, re melius, ait ipse, considerata, dimittit §. 3, num. 165 (29). Sed an dum Caietani glossema explodit, distinctum quid asserat ab eo quod approbans admiserat, praeterquam in vocibus, non facile iudicabis, si verba utriusque numeri contuleris. Maneat ergo D. Thomam non locutum fuisse in *Sententiariis* secundum propriam sententiam, quam semper habuit de obiecto specificativo theologiae mysticae, sed secundum mentem eorum, quos retulerat; locutum tamen secundum propriam sententiam de obiecto extensivo, quod quidem ambit obiectum tam primarium, quam secundarium. Quod tibi verius esse constabit, si consideres dissidium inter Angelicum Doctorem et eos quos loco citato adducit, non esse circa obiectum secundarium theologiae, sed circa primarium.

(22) Ed. Vivès, t. VIII, p. 9b: *Possumus dicere quod ens divinum cognoscibile per inspirationem est subiectum huius scientiae.*

(23) Ed. Vivès, l. c.

(24) *Commentarii in Hierarchiam caelestem S. Dion. Areop.,* lib. I, cap. 1; Migne, P. L., t. 175, col. 927. A, — Lib. I *De Sacramentis,* prolog., cap. 2; Migne, P. L., t. 176, col. 183.

(25) Ed. Vivès *operum D. Thomae,* t. VII, p. 15a.

(26) *In I Sent.,* prolog., q. 1, art. 4; ed. Vivès, t. VII, p. 9.

(27) Ed. Leonina *operum omnium S. Thomae,* t. IV, p. 21b, num. XIII.

(28) *Tractatus theologici,* t. I: *In Iam D. Thomae,* q. 6, §. 2, num. 162; Salmanticae, 1675 p. 97.

(29) Ed. cit., p. 98.

Unde si obiecta omnia, quae assignantur in illo articulo 4, asserantur obiecta primaria et specificationis, hoc non est secundum sententiam D. Thomae, sed illorum aliorum doctorum; et hoc est quod affirmat Caietanus. Si autem dicatur inter illa obiecta et esse obiectum primarium, ut patet ex primo argumento, et esse etiam secundaria, ut constat ex argumentis secundo et tertio, hoc est de mente D. Thomae, sed non est contra Caietanum.

17. Secunda auctoritas minus adhuc urget; non enim ait Doctor Angelicus Deum esse obiectum principalitatis theologiae mysticae, sed asserit quod est *principaliter intentum.* Quae verba non obiectum principalitatis introducunt, sed obiectum attributionis signant; siquidem vel ex logica scimus unam ex conditionibus obiecti attributionis esse: *quod sit id de quo potissima cura est in scientia.* Verba sunt nostrorum Complutensium in *Logica,* disp. 1, quaest. 2, num. 11 (30), conditiones obiecti attributionis ex D. Thoma proponentium. Confer ergo ly *potissima cura* cum ly *principaliter intentum,* et videbis quod per ly *principaliter intentum* solum exprimitur quod scientia, cuius intentio terminatur tam ad obiectum primarium, quam secundarium, principaliter tamen curat de obiecto primario, cuius est *potissima cura.* Quod, ultra quam quod est inconcussum in qualibet scientia, in praesenti evidens est ex adiunctis ibi: *Et sub cuius ratione omnia quae sunt in scientia, considerantur.* Id enim, *sub cuius ratione omnia, quae sunt in scientia, considerantur,* non est obiectum principalitatis, sed specificationis; nec enim logica, verbi gratia, attingit definitionem sub ratione demonstrationis, sed sub ratione univoce praedicabili tam de demonstratione, quam de definitione. Unde per ly *principaliter intentum* non aliud obiectum quam specificationis signavit Sanctus Thomas. Videantur nostri Salmanticenses, tract. VIII, disp. 1, dub. 3, num. 30 et 58 (31).

18. Arguitur *secundo:* Quaevis scientia habet obiectum principalitatis. Ergo et theologia mystica illud habet. Sed ex hoc sequitur quod eius obiectum formale sit ens abstrahens a creato et increato. Ergo. Cetera omnia plana videntur ; et minor subsumpta probatur: Obiectum principalitatis est obiectum inadaequatum. Ergo ultra illud datur aliud, quod sit obiectum formale, licet minus principale, ex quo et ex principali confletur unum obiectum adaequatum. Ergo cum ens increatum sit obiectum principale, sequitur quod sit inadaequatum; atque adeo ex eo et ex ente creato adaequatur obiectum formale mysticae theologiae.

19. Confirmatur : Ratio, qua theologia mystica suum obiectum attingit, est communis enti creato et increato. Ergo obiectum formale abstrahit a creato et increato. Probatur antecedens: Ratio illa est Deitas. At haec ratio est communis enti creato et increato; siquidem de utroque praedicatur. Ergo.

Respondetur argumento negando primam consequentiam, ex quo ruit tota illa fabrica. Itaque licet scientiae inferiores habeant obiectum adaequatum constans ex diversis obiectis formalibus inadaequatis, quorum unum principale est, ut patet in logica, in physica et metaphysica; scientia autem superior, qualis est mystica theologia, hoc habere non potest; sed in ea obiectum principale est idem ac obiectum formale adaequatum. Dicitur autem principale relate ad obiectum secundarium. Quod idem et propter eandem rationem invenitur in habitu theologico, cuius obiectum adaequatum est increatum ens. Ratioque discriminis inter theologiam ex una parte et scientias inferiores ex alia consistit in eo, quod scientiae inferiores non habent obiectum aliquod singulare, in quo eminenter praecontineantur alia omnia, quae ab ipsis scientiis considerantur. Unde respiciunt illa omnia sub quadam ratione logice communi, atque adeo per eorum differentias contrahibili; et quia species sunt, sicut numeri, se

(30) Ed. 1629, t. I, p. 58a:... *in tali scientia.*

(31) Ed. V. Palmé, t. V, p. 19b et 32a.

excedentes in perfectione; propterea inter ista plura obiecta partialia datur excessus aliquorum supra alia, usque dum pervenitur ad unum reliqua omnia dignitate superans, et hoc est obiectum principalitatis. In ipsis scientiis modo recensitis patet hoc. Etenim logica habet diversa obiecta partialia, quorum praecipuum est demonstratio. Et omnia illa respicit sub ratione omnibus communi et ad omnia contrahibili; atque adeo logica definitur per hoc quod sit *scientia modi sciendi late sumpti* (32), quia hoc est, quod per se primo respicit et non hunc aut illum modum sciendi in particulari. Et ob eandem rationem philosophia dicitur *scientia entis mobilis* (33), quia eius adaequatum obiectum est ens mobile in communi, non tale aut tale ens mobile; licet principalius respiciat mobile principalius. Idem evenit in metaphysica et idem in aliis scientiis naturalibus.

In nostra autem theologia hoc non evenire certum est. Haec enim respicit per se primo ens increatum, non quidem sub ratione communissima entis, sed sub ratione particulari increati. Unde illud solum in quo ratio haec invenitur de quoque formaliter praedicatur, est obiectum formale illius; alia vero, quae per ordinem ad ipsum attinguntur, non habent rationem obiecti formalis, sed tantummodo materialis. Quiaque non est ens creatum, in quo formaliter inveniri possit ratio entis increati, propterea nullum ens creatum potest esse obiectum formale mysticae theologiae; quamquam, ut sunt aliquid a Deo vel ad ipsum ordinatum, habeant rationem obiecti materialis.

20. Dices: Metaphysica habet pro obiecto formali non solum Deum, in quo omnia alia, quae attingit, praecontinentur; sed etiam plura alia, quae in ipso Deo eminenter continentur, sunt obiecta formalia ipsius. Ergo discrimen assignatum inter scientias inferiores et mysticam theologiam non subsistit. Ergo licet ista habeat pro obiecto singulare id, in quo alia praecontineantur; illius tamen obiectum adaequatum non est tale singulare.

Respondetur distinguendo antecedens: *Quae in ipso eminenter continentur* et in quibus ratio formalis, quam metaphysica primario respicit, formaliter invenitur de quibusque formaliter praedicatur, conceditur. Et in quibus ratio illa formalis non invenitur, nec de iis formaliter praedicatur, negatur antecedens. Est dicere quod metaphysica respicit quidem Deum, non tamen sub ratione Deitatis. Ratio enim formalis *quae* in obiecto metaphysicae est entitas; et quia ratio entis invenitur formaliter non solum in Deo, sed etiam in entibus creatis; propterea ratio obiecti formalis communis est creato et increato. Theologia vero nostra respicit Deum sub ratione Deitatis, ut dictum est; eoque non est similis ratio. Unde discrimen assignatum tenet debetque intelligi, ut par est, in sensu formali. In quo sensu theologia mystica attingit Deum ut formaliter Deus est, hoc est, sub ratione Deitatis; hocque modo alia omnia continet eminenter. Ast metaphysica attingit Deum, non ut formaliter Deus est, sed sub ratione entis communissima, qualiter non eo perfecto modo continentur in ipso entia creata; unde discrimen supra positum manet in suo robore.

Quod ut perfectius penetres, observa theologiam mysticam non attingere entia creata ut entia sunt, sed ut creata sunt; unde non est ens creatum attactum a mystica theologia, quod non attingat magis vel minus proxime propter Deum ut amabilem animaeque ipsa mystica decorae cordicitus unibilem. Unde si de vitae emendatione agit, est ut ad meditationem invitet; si meditatur, est ut ad contemplationem disponat; si vitia considerat, est ut ea extirpet vel ut con-

(32) COMPLUTENSES, *Logica*, disp. I prooemial., quaest. 5, num. 53; ed. 1629, t. I, p. 74b. — COMPLUT. ABBREV., *Logica*, disp. I prooemial., q. 5, §. 2, n. 26; ed. 1670, t. I, p. 100b.

(33) COMPLUTENSES, *Disputationes in octo libros Physicorum Aristotelis*, disp. I prooemial., quaest. 2. num. 14; ed., 1629, t. II, p. 7a. — COMPLUT. ABBREV., *In lib. Physic.*, disp. I prooemial., q. 2, num. 14; ed. 1670, t. II, p. 10a.

siderata humilient. Ipsam tartari turbam in Deum dirigit propriae saluti consulens. Haec est mysticae theologiae sollicitudo, hoc officium; ad eum similem modum, quo procedit theologia scholastica, quae considerat vitia virtutesque, entia naturalia et supernaturalia, et etiam ipsum ordinem hypostaticum; omnia tamen per ordinem ad Deum. Cum hac tamen differentia, quod scholastica dirigit illa omnia ad Deum ut cognoscibilem; mystica vero ut amabilem. Nihil horum cernitur in metaphysica, quae cum attingit entia creata, non attingit secundum ordinem, quem ista necessario ad Deum dicunt; sed praescindens ab hoc ordine, attingit illa secundum entitatem, quam formaliter habent; hincque plene planeque cognoscitur quare obiectum metaphysicae sit ens abstrahens a creato et increato; non autem obiectum theologiae mysticae.

Ad confirmationem ex numero 19 respondetur negando antecedens. Ad probationem distinguo maiorem: *Est Deitas* per essentiam, conceditur; *Deitas* participata, negatur maior. Deitas vel participata in gratia, vel in effectibus aliis splendens non arguit ipsam esse obiectum primarium mysticae theologiae, sed tantum secundarium.

QUAESTIO SECUNDA

Utrum Christus Dominus, qua homo, sit obiectum quod formale mysticae theologiae?

Lincolniensis (1) et D. Bonaventura, quaest. 1 prolog (2), tenent Christum Dominum, quatenus homo est, esse obiectum *quod* primarium nostrae theologiae. Contrarium asserit D. Thomas, locis supra relatis, et communiter doctores omnes; cum quibus,

§. 1. Dubium deciditur.

21. Sit nostra conclusio: *Christus Dominus, qua homo est, non est obiectum* quod *formale mysticae theologiae.* Probatur haec assertio ex verbis Christi Domini dicentis apud *Ioan.*, cap. XIV (3): *Ego sum via.* Quae verba sic explicat Augustinus, *Serm. 54 de Verb. Domini* (4): *Ambula per hominem, et pervenies ad Deum. Per ipsum vadis, ad ipsum vadis: noli quaerere qua ad ipsum venias praeter ipsum.* Et tract. XIII *In Ioan.*, cap. III (5), quaerit: *Quomodo per Christum ad Christum?* Et respondet: *Per Christum hominem, ad Christum Deum.* Ex quibus verbis sic in favorem nostrae conclusionis disputo: Obiectum formale mysticae theologiae est terminus habitudinis eius, sicut generaliter cuiuscumque habitus et potentiae proprium obiectum formale terminat habitudinem. Ergo humanitas Christi non est obiectum formale mysticae theologiae. Probatur consequentia. Est via ad terminum mysticae theologiae. Ergo non terminat eius habitudinem. Patet ista. Et antecedens constat ex allato Augustino verba nostri Reparatoris exponente, quae Angelice etiam explicantur a D. Thoma, supra XIV *Ioannis* (6), sic dicente: *Via quidem secundum humanitatem, terminus secundum divinitatem.* Quod praeter dictas tanti ponderis auc-

(1) i. e. ROBERTUS GROSTHEAD: eius *Commentarius in Theologiam mysticam Dionysii Areopagitae* exstat in editione Argentoratensi (*Strasburg*), 1503, operum Dionysii Areopagitae.

(2) *Theologia mystica*, prolog., q. 1; ed. Peltier, t. VIII, p. 3. Auctor huius opusculi est HUGO (HENRICUS) DE BALMA; cf. quae diximus supra: *Isagoge*, lib. I, num. 123; p. 44 nota (1).

(3) v. 6.

(4) Migne, P. L., *Sermo* 141 (alias sermo 55 de verbis Domini), cap. 4; t. 28, col. 777:... *et pervenis... Noli quaerere qua ad illum venias, praeter ipsum.*

(5) num: 4; Migne, P. L., t. 35, col. 1494.

(6) *In Ioan.*, cap. XIV, lect. 2; ed. Vivès, t. XX, p. 231b.

toritates ratio ipsa suadet: quoniam Christus Dominus est via, uti ipse ait ; at non est via secundum divinitatem; ergo secundum humanitatem. Minor notissima est. Et consequentia inde constat, quod non est aliud, quod in Christo habere possit rationem viae, supposita veritate minoris.

22. Probatur adhuc conclusio ex ipsa sacra Scriptura, quoniam *Ioan.*, X (7), ipse Dominus ac Redemptor noster ait : *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* In his paucis verbis multa nobis sunt pro nostro asserto firmando. Primum est enim, quod Christus secundum humanitatem est ostium, per quod anima, mystica theologia ductrice, regiam ingreditur, ubi terminum totius suae activitatis aureo reclinatorio fulgidum contemplatur. Secundum est, quod dicta anima per ostium ingressa ab ipso ostio, quod est humanitas Christi, ascendit ad aliquid superius contuendum. Et postmodum ab ipso illo superiori descendit ad ipsam Christi humanitatem contemplandam. Et in utroque, scilicet ascensu et descensu, *pascua invenit;* delectationem videlicet qua gaudet sive ingressa ut illud obiectum supra Christi humanitatem contempletur, sive egressa ut sanctissimam humanitatem illam intueatur. Nec glossam ut voluntariam suggilles. Est enim Doctoris Angelici, qui in (8) *Quodlib.* VIII, art. 20 (9), ait: *Illud ad quod Sancti primo attendunt est ipse Deus, et eum habent medium cuiuslibet cognitionis, et regulam cuiuslibet operationis; et sic per prius contemplantur divinitatem Christi, quam eius humanitatem. In utraque tamen contemplanda delectationem inveniunt. Unde dicitur Ioan.* X (v. 9). « *Ingredientur* », *scilicet beati, ad contemplandam divinitatem Christi ;* « *et egredientur* » *ad contemplandam eius humanitatem, et utrobique* « *pascua invenient* », *id est delectationem.* Quod si tibi difficultatem ingerat D. Thomam in data auctoritate loqui de inhabitantibus patriam, non autem de nobis viatoribus; scrupulum istum iam et haud difficulter explodimus.

23. Probatur insuper conclusio nostra hac ratione. Obiectum *quod* mysticae theologiae in patria non est Christi humanitas. Ergo nullibi. Antecedens constat ex dictis numero praecedenti ; et consequentia probatur : Obiectum *quod* mysticae theologiae debet esse unum et invariabile sicuti et ipsa una est. Sed per se (10) in patria non est humanitas Christi theologiae mysticae obiectum. Ergo nullibi.

24. Dices: Obiectum formale potentiae intellectivae secundum se sumptae diversum est ab obiecto illius pro hoc statu; et tamen potentia intellectiva est eadem. Ergo quamvis mystica theologia habeat illa diversa obiecta, nullum sequitur inconveniens.

25. Confirmatur : Theologia scholastica diversum obiectum habet in comprehensoribus ac in viatoribus. Ergo pariformiter theologia mystica. Consequentia sequitur et antecedens probatur : quia obiectum theologiae scholasticae in beatis est clare cognitum, in viatoribus autem est obscurum. Sed obiectum clarum diversum est ab obscuro, sicut et cognitio obscura et clara. Ergo.

Respondetur obiectionem hanc eiusque confirmationem esse prorsus enerves. Siquidem obiectum *quod* potentiae intellectivae et theologiae scholasticae semper est unum, quamvis ratio sub qua vel a statu vel aliunde petita diversa sit. Unde semper et ubilibet obiectum *quod* theologiae scholasticae est Deus, et obiectum *quod* intellectus est ens; sive hoc ens sub ratione quidditatis materialis, sive sub alia ratione attingatur. Similiter theologia scholastica semper

(7) v. 9.
(8) « *In* » deest in I et Neapol. ed.
(9) Ed. Vivès, t. XV, p. 545: *Illud et quod sancti...*
(10) « *te* » in antiquis editionibus.

Deum attingit, sive fide obscurum, sive intuitive clarum. Nunc autem de obiecto *quod* disputamus, de ratione *sub qua* postmodum locuturi. Unde theologiam mysticam habere semper idem obiectum *quod* vel ex instantiis inductis edocemur.

26. Instas: D. Thomas, loco citato, clare assignat pro obiecto primario theologiae mysticae viatorum humanitatem Christi; sicut et eius divinitatem pro obiecto primario comprehensorum. Ergo ruit data doctrina. Probatur antecedens: quia Angelicus Doctor ad 3 (11) inquit: *Dicendum, quod ratio illa procedit quantum ad statum viae, in quo nondum sumus perfecte coniuncti, sed oportet nos ad Deum per Christum accedere : sed cum iam Deo beatitudine coniuncti erimus, per prius intendemus Christi Divinitati, quam eius humanitati.*

Respondetur: sensum D. Thomae esse clarum, si argumentum, cui haec respondet, consideretur. Tale argumentum est huiusmodi: *Ad extremum non pervenitur, nisi per medium: sed medium inter Deum, et homines est Christi humanitas I ad Timoth. II (v. 5) : « Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus » : ergo Sancti non perveniunt ad contemplationem divinitatis Christi, nisi prius contemplando eius humanitatem.* Ad hoc argumentum respondet Sanctus Doctor : Concludere non in beatis, sed in viatoribus, qui, quia *nondum sumus perfecte coniuncti;* ideo *oportet nos ad Deum per Christum accedere ;* ast licet per Christum accedamus, non est, quia eius sanctissima humanitas sit nostrae theologiae obiectum *quod,* sed quia est via ostiumque. Via, per quam ad centrum gradimur. Ostium, per quod intrantes in regiam opulentissimam divinitatis feliciter deliciamur. Quod etiam docuit idem Angelicus Doctor in I *Ad Anibaldum,* q. 1, art. 2 (12), ubi ait : *Dicendum, quod per humanitatem Christi manuducimur in Deitatem cognoscendam: unde quasi haec primo proponebatur incipientibus, quibus tamen postmodum perfectis cognitionem Deitatis quasi solidum cibum proponebat* (scilicet D. Paulus) *ad quem manuducendi erant.* Vides humanitatem sanctissimam Christi Domini esse non obiectum formale *quod ;* sed medium, viam et ostium contemplationis divinae. Haec sacratissima humanitas omnibus viatoribus ostium est, via est ac medium est ut divinitatis abyssum contempletur. Aliter tamen et aliter; quia incipientibus proponitur ut meditanda; ut per discursus, quos formant, scalam construant, per quam ad caelum divinitatis conscendant ; non aliter ascensuri: quia *qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro* (13). Si namque incipientibus, visibilibus assuefactis, divinitatis certitudo nuda ab hac manuductione proponeretur, rudem ipsorum aciem obcaecaret. Perfectis autem, oceano divinitatis assuetis visumque a facie tempestatum horribilium purgationum fortissimum defaecatissimumque habentibus, proponitur non esca fluida parvulorum, sed cibus solidus perfectorum, qui est ipsa divinitas a cuius contemplatione non raro egrediuntur et ad Christi humanitatem descendunt, ut hoc ostio, hac via, hoc medio opulentius ad divinitatem velocissime regrediantur. Unde omnibus via est Christi humanitas, sed incipientibus est via ad motum rectum, quo ex creaturis ad Creatorem efferuntur; perfectis autem est via ad motum obliquum, quo ex Creatore ad creaturas descendunt ut iterum ad Creatorem regrediantur.

27. Non quiescis: D. Thomas, *Quodlib.* citato (14), ponit discrimen inter theologiam mysticam beatorum ex una parte et mysticam theologiam omnium

(11) Ed. Vivès, l. c.... *nondum sumus Deo perfecte...*

(12) *Scriptum super libris Magistri Sententiarum ad Hannibaldum Hannibaldensem,* q. 1, art. 2, ad 4; ed. Vivès, t. XXX, p. 5b... *Unde quasi lac primo...* Hoc opus certe spurium est et Fr. Hannibaldus, O. P., coaetaneus D. Thomae, auctor eius est. cf. MANDONNET (Pierre- O. P.), *Des écrits authentiques de S. Thomas d'Aquin,* 2e éd., Fribourg, 1910, pp. 152-153.

(13) *Ioan.,* c. X, v. 1.

(14) cf. supra, num. 22.

viatorum ex alia ; consistitque discrimen in eo quod viatores prius humanitatem quam eius divinitatem intuentur, beati autem prius divinitatem quam humanitatem contemplantur. Sed sicut quod dicit de beatis, omnes beatos comprehendit; ita quod dicit de viatoribus, nullum viatorem excludit. Ergo nullum fundamentum habet differentia illa inter incipientes et perfectos. Ergo omnium viatorum obiectum *quod* est sanctissima humanitas Christi. Haec secunda consequentia constat ex prima, quae bona est. Minorem vero probant verba ipsa D. Thomae numero 26 posita, quae nullum permittunt ambigendi locum.

28. Haec repliqua non tam assertum nostrum impugnat, quin potius inter adductos Angelici Praeceptoris textus dissidentiam repraesentat; eam tamen dispellere conabimur luce Theodidacti nostri Doctoris D. Ioannis a Cruce. Respondetur ergo primo: ultimam consequentiam esse omnino insulsam; quamvis prima bona foret; quia licet discrimen illud verificaretur pro libito replicantis, semper tamen obiectum *quod* theologiae mysticae viatorum et beatorum foret idem, uti de theologia scholastica diximus numero 25. Sed quidquid sit de hoc, ad textum D. Thomae conciliationem accedentes, respondemus distinguendo maiorem : *Viatores prius* vel actu, vel habitu *humanitatem Christi quam eius divinitatem intuentur,* est verum; *prius* praecise actu, est falsum. Et sub eadem distinctione minoris, negatur absolute consequentia.

29. Explicatur solutio. Etenim viatores omnes mysticam theologiam exercentes, utuntur figuris, imaginibus et discursibus; quod unico verbo dicemus, si asseramus quod omnes viatores meditantur. Hoc tamen non eodem modo intelligendum est; quia incipientes meditantur actu, hoc est, eorum exercitium est meditari; perfecti vero non actu meditationem exercent, sed habitu. Quod ut penetres Extaticum Parentem nostrum audi, libro II *Ascensus,* cap. 14 (15), dicentem: *Ya el alma en este tiempo tiene el espiritu de la meditacion, en substancia, y habitu. Porque el fin de la meditacion, y discurso en las cosas de Dios es sacar alguna noticia, y amor de Dios, y cada vez que el alma la saca es un acto; y assi como muchos actos en qualquiera cosa vienen á engendrar habito en el alma, assi muchos actos de estas noticias amorosas, que el alma ha ido sacando en vezes, vienen por el uso á continuarse tanto, que se haze habito en ella.* Hoc est: In isto tempore iam anima habet medullam meditationis seu meditationem sub statu perfectissimo ; quia finis meditationis est consecutio alicuius notitiae et amoris Dei. Quoties autem anima hanc notitiam consequitur, actum elicit; et sicut ex actuum repetitione in quavis linea generatur habitus in anima, ita ex repetione actuum quibus acquiruntur istae notitiae amorosae, producitur in anima habitus ille medullae meditationis (16). Unde perfecti, immo et proficientes non debent meditationem exercere sicut incipientes ; nec possunt, quamquam velint; de quo alias. Quare isti solum habitu meditantur eo modo, quo ex mystico Parente nostro didiscimus, qui certe videri debet toto illo capite; mira enim circa haec dicit, hoc ipsum penitius edisserens. Ex qua doctrina habemus D. Thomam in dictis textibus processisse ut profundissimum Doctorem scholasticum mysticumque expertissimum. Ait enim in *Quodlibeto* citato viatores inter et beatos hoc interesse, quod illi per humanitatem ingre-

(15) Ed. crit., cap. 12; t. I, p. 154:... *Porque es de saber que el fin... y cada vez que por la meditación el alma...*

(16) In prima ed legitur: « Iam in isto tempore habet anima spiritum meditationis in substantia, et habitu; quia finis meditationis, et discursus in rebus divinis est aliquam notitiam, et amorem Dei haurire, estque unus actus pro qualibet vice, in qua talem notitiam anima acquirit; nam sicut in quacumque re multitudo actuum gignit in anima habitum, ita multi actus harum notitiarum benevolarum, qui ab anima vicibus diversis hausti sunt, deveniunt ob usum ad continuationem tantam, ut fiat in illa habitus ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: « ... harum notitiarum inflammatarum... »

diuntur ad contemplationem divinitatis; quod quidem verissimum est; nam vel actu, ut in incipientibus meditantibus et per imagines ac visibilia in divinitatem invisibilem gradientibus evenit; vel habitu, ut in proficientibus et perfectis, sicut dictum est. Beati autem hoc non habent ; quia nec actu meditantur, nec habitu meditationis egent, ut patet in parvulis decedentibus, qui sane actus non elicuere, quibus meditationem habitu compararent. Unde verum est discrimen in illo *Quodlibeto* positum. Differentia autem, quam idem Angelicus Doctor in loco *Ad Anibaldum* (17) assignat, etiam verissima est; quia licet omnes viatores qui mystica theologia ducuntur, meditentur; incipientes meditantur actu, alii vero habitu meditantur. Unde rutilat sine dissidentiae nubilo doctrina Angelica.

30. Secundo conciliantur textus dicti; quia omnes viatores meditationem exercent; sed non semper omnes. Incipientes semper meditantur; quia meditatio est eorum proprium exercitium. Proficientes et perfecti extra tempus, quo in contemplatione occupantur, in sanctis meditationibus exercendi sunt potissimumque in iis meditationibus, quae sunt circa Sanctissimum Reparatorem nostrum. Ita Extaticus noster Parens, libro citato, cap. 32 (18), cuius haec sunt verba : *Pero fuera de este tiempo en todos sus exercicios, actos y obras se ha de valer de las memorias, y meditaciones buenas, de la manera, que sintiere mayor devocion y provecho : particularissimamente de la vida, passion y muerte de Nuestro Señor Jesu-Christo, para conformar sus acciones, exercicios y vida con la suya.* Id est : Extra hoc tempus in omnibus suis exercitiis, functionibus et operationibus recurrere debet ad proficuas meditationes, prout devotio et profectus ipsius postulaverit. Specialissime meditari debet vitam, passionem et mortem Iesu Christi Domini nostri ut suae actiones, exercitia et vita cum sanctissimo ipso Reparatore Nostro conforment (19). Beati autem hoc non habent. Ex quo enim beatitudinem ingrediuntur, immediate divinitatem sine aliquo alio medio contemplantur. Hincque constat beatorum ab omnibus viatoribus discrimen in dicto *Quodlibeto* assertum; et viatorum inter se differentia in *Ad Anibaldum* assignata. Quia beati omnes et semper in divinitatem sine medio feruntur; ast viatores medio sanctissimae humanitatis ostio ad divinitatem contemplandam accedunt ; et hoc omnibus competit, licet non pro omni statu. Omnes enim illi incipientes, ut minus, fuere, atque adeo imaginibus usi sunt; per quod a beatis differunt, ut in *Quodlibeto* dicitur. Illi autem, qui iam ad elevatiorem statum proficientium et perfectorum elevati sunt, iam non utuntur imaginibus ac discursibus, actui universalissimo et indistincto contemplationis dediti, nisi post ipsam contemplationem; ac per hoc differunt ipsi mystici viatores inter se, uti in *Ad Anibaldum* asseritur.

31. Nisi mavis dicere (et sit tertia conciliatio) quod viatores, quamvis perfecti sint, Christi humanitatem meditantur, per quam ad Deum accedunt. Hoc tamen evenit incipientibus semper, proficientibus vero et perfectis aliquando, ut noster Mysticus Doctor modo dixit. Et per hoc differunt ipsi viatores inter se et omnes illi a beatis. Inter se quidem, quia alii semper, alii vero solum aliquando meditantur Christi Domini humanitatem. A beatis autem, quia hi nunquam, illi vero, ut minus, aliquan-

(17) cf. supra, num. 26.

(18) Ed. crit., cap. 30; t. I, p. 226, nota (4). Est pars textus subditicii, qui deest in Mss. et ab auctore primae editionis additus fuit.

(19) In I ed. legitur: « Caeterum extra id tempus in omnibus suis operationibus, actibus, et exercitiis valebit se recordationibus, bonisque meditationibus, ad modum quo se sentire plurimum devotionis, utilitatisque, praesertim enim vitae, passionis, et mortis Domini nostri Iesu Christi, ut actiones, exercitia, eiusque vitam cum vita illius conformet. » — Similiter in Neapol. ed., praeter: « ... bonisque meditationibus quae magis ad propriam utilitatem, fovendamque devotionem conducere advertat, praesertim enim... »

do in divinitatis cognitionem per illius sanctissimae humanitatis gradum conscendunt.

32. Probatur denique conclusio ratione fundamentali: etenim non est dabilis actus scientiae vel potentiae, qui non terminetur ad proprium obiectum specificationis; sive quia reipsa terminatur immediate ad ipsum; sive quia, licet ad obiectum secundarium aut materiale terminetur, illud tamen attingit cum respectu ad obiectum primarium. Sic enim omne, quod visus attingit, vel est color, vel attingit per ordinem ad colorem ; et omne quod theologia scholastica speculatur, vel est Deus, vel per ordinem ad Deum. Atqui dantur plures actus mysticae theologiae, quorum obiectum non est humanitas Christi, nec per ordinem ad ipsam attinguntur; immo perfectissimi eius actus et qui cum omni proprietate ac rigore dicuntur theologia mystica, talem humanitatem non attingunt, nec eorum obiectum ad humanitatem dictam ordinatur. Ergo humanitas haec sanctissima non est obiectum primarium mysticae theologiae. Probatur minor : quoniam contemplatio Dei in caligine, quae proprie est theologia mystica, et generaliter contemplatio per negationem cuiuscumque perfectionis positivae non habet pro obiecto *quod* sacram Christi humanitatem; nec obiectum quod attingit, ordinat ad ipsam humanitatem. Ergo. Probatur antecedens pro prima parte: quia humanitas Christi est quoddam obiectum particulare, ac distinctum et positivum. Ergo non potest terminare cognitionem universalem, indistinctam et negativam. Probatur secunda pars eiusdem antecedentis: quia obiectum illius confusae et indistinctae contemplationis est infinite sublimius quam Christi humanitas. Ergo ad illam nequit theologia mystica tale obiectum ordinare ; aliter prave procederet.

33. Si dicas contra probationem primae partis illius antecedentis, quod obiectum illius indistinctae cognitionis distinctum est, positivum ac particulare; est enim Deus. Ergo potest cognitio indistincta terminari ad obiectum particulare, positivum ac distinctum.

Haec si dicas, terminos phrasesque theologiae mysticae ignoras. Nec nos possumus in quocumque discursu terminos, quibus utimur, explanare. Ideo *Isagoge* his disputationibus praemisimus, ut videantur et inde terminorum cognitio venetur. Loquimur enim cum idioma intelligentibus. Respondetur ergo obiectum illud in esse entis esse quidem positivum, distinctum ac particulare ; praeterquam in causando, sic enim universale est. Ast in esse obiecti illius cognitionis aliter res se habet. Illa enim cognitio nullam perfectionem positivam intuetur, sciens quod nihil positivum positive ab ipsa cognoscibile Deus est. Unde cuicumque positivae perfectioni valedicens, nititur Deum cognoscere per negationem cuiuscumque ab ipsa cognoscibilis; certo, ductrice fide, cognoscens Deum esse obiectum infinite sublimius quam ipsa cognoscere valeat. Et ob hoc diximus in *Isagoge* cum D. Thoma, libro IV, numero 24, Deum melius a nobis cognosci, dum cognoscimus quid non sit, quam cum quid sit cognoscere adnitimur. Quod omne in obiecto adeo eminenti verificari potest; ad omne enim hoc sua infinitas fundamentum praebet. De humanitate autem Christi Domini hoc verum esse non potest; extemplo enim ac cognoscitur, clausa terminis videtur. Unde esse non potest obiectum illius negativae, confusae ac indistinctae sublimissimae cognitionis.

34. Si dicas contra probationem secundae partis illius antecedentis: visum attingere corpus coloratum, quod est substantia, per ordinem et sub ratione coloris, qui est accidens. Ergo potentia seu habitus potest sine inordinatione ordinare perfectius ad minus perfectum. Ergo ex hac parte nulla repugnantia est in eo, quod Christi humanitas sit formale obiectum mysticae theologiae.

Respondetur: corpus esse quidem substantialiter et simpliciter perfectius co-

lore, sed accidentaliter imperfectius; est enim color eius accidentale perfectivum; unde hoc modo ad ipsum colorem ordinatur, sicut perfectibile perfectivo. Inter humanitatem autem Christi divinitatemque hoc evenire non posse certius est quam quod maxime. Unde non adest paritas.

§. II. Argumenta adversariorum soluta.

35. Contra dictam conclusionem arguitur *primo* ex *Ad Corinth.* II (20), ubi ait Paulus: *Neque existimavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc Crucifixum.* Adest hic D. Paulus mysticum theologum agens et solum Iesum Christum se scire asseverans. Quod verum esse non potest, si Christus Dominus non esset obiectum primarium theologiae mysticae; tunc enim illud aliud se scire praedicaret.

36. Verum frustra in hoc textu suffugium quaerit sententia adversa; eo enim nec scholasticae, nec mysticae theologiae Christum Dominum obiectum primarium esse, probari potest. Quod ut ostendam, sic procedo *primo:* quia, uti observat Estius ibi (21), Paulus non dixit: *Non enim scivi aliud;* sed sic: *Non enim iudicavi me scire aliquid,* ex quo non sequitur quod alia ignoret; aliter idem significaretur per hanc propositionem *nihil aliud scio,* ac per istam: *Nihil aliud me scire iudico;* quod est falsum. *Secundo:* quia, ut patet per expositionem eiusdem Estii estque inter alios frequens, idem est dicere Paulum: *Non enim iudicavi, etc.* ac dicere: *Statueram, ita me gerere apud vos, ut nihil aliud scire viderer.* Aut secundum alios: *Non iudicavi,* id est, *dissimulavi apud vos me quidquam scire; non declaravi me aliud scire.* Sed qui statuit se ita gerere ac si ignoraret; aut qui non declarat dissimulatve aliud scire, non sequitur quod ignoret; immo non ignorare sequitur, aliter non esset dissimulationi locus. Ergo idem quod prius. *Tertio:* quia obiectum theologiae mysticae est idem ubicumque et inter quoscumque; sed quae hic habet Paulus de nostro piissimo Redemptore, sunt propria Corinthiorum; quod significatur per ly *inter vos;* alias superflueret illud verbum. Ergo non loquitur de obiecto formali mysticae theologiae. Si namque de illo loqueretur non diceret inter vos, sed inter omnes; vel absolute et sine tali addito se solum Dominum nostrum Iesum Christum scire, iactaret; utpote qui obiectum primarium theologiae mysticae foret. *Quarto* denique: quia sicut Paulus dicit ipsum iudicare se nihil aliud scire, nisi *Iesum Christum;* ita addit *et hunc Crucifixum.* Sed per hoc non dicunt adversarii mysterium Crucis esse obiectum primarium nostrae theologiae. Ergo pariformiter, ex quo dicat se iudicare nihil aliud scire, nisi *Iesum Christum,* non bene inferunt nostrum Sanctissimum Redemptorem fore obiectum primarium eiusdem theologiae nostrae.

37. Sed age et textus directam exhibe intelligentiam. Hanc nobis offerunt Patres et expositores: D. Augustinus hic, tract. 96, 97 et 98 (22); D. Thomas super hunc locum (23) et ibi Hugo Victor., quaest. 16 (24) et alii; praecipue Paulus ipse, qui adeo perspicue sua verba declarat, ut mirum sit quod in patrocinium sententiae oppositae torqueantur. Ait enim Apostolus, ita cum Corinthiis se gessisse ac si nihil aliud sciret, nisi mysterium Crucis. Quibus duo se dissimulare cognoscitur. Primum est sapientia humana; ita illis civibus praedicans ac si illa careret. Unde inquit (25): *Sermo*

(20) *I Cor.*, c. II, v. 2; Hetzenauer, p. 1112: *Non enim iudicavi me scire...*

(21) Ed. Lovanii, 1778, t. III, p. 790.

(22) *Sermo* 160, num. 3; Migne, P. L., t. 38, col. 874-875.

(23) cap. II, lect. 1; ed. Vivès, t. XX, pp. 618a sq.

(24) HUGO DE S. VICTORE, *Quaestiones et decisiones in epistolas D. Pauli:* In I ad Corinth., quaest. 15 et 16; Migne, P. L., t. 175, col. 516 et 517.

(25) *I Cor.*, c. II, v. 4.

meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis. Id est (glossat D. Thomas (26)) *per rhetoricam, quae componit ad persuadendum: ut scilicet supra dixit, quod non fuit intentionis, quod sua praedicatio niteretur philosophicis rationibus; ita nunc dicit, non fuisse suae intentionis niti rhetoricis persuasionibus.*

Secundum quod gentium Doctor apud Corinthios dissimulavit, fuit sublimitas sapientiae divinae, nolens eis tunc temporis arcana occultiora tradere, quorum capaces non erant. Ea quidem poterat ut praeclarissimus Magister edocere, si auditorum tarditas non obstaret. Constat hoc ex eodem dicente ibidem : *Sapientiam autem loquimur inter perfectos* (27). *Dicit enim,* ait D. Thomas (28), *apud vos solum Christum Crucifixum praedicavi. « Sapientiam autem », id est profundam doctrinam, « loquimur inter perfectos »*. Unico verbo: D. Paulus praedicabat ut apostolus, et rudibus Corinthiis praedicabat. Ut apostolus debuit tumidos rhetoricae flosculos amputare, solius crucis sinceritati adhaerescens; et quia incipientibus praedicabat, profundam divinitatis doctrinam debuit subticere. Ne, si rhetoricae lenociniis mulceretur, apostolatus humilitati contrairet; aut, si altiora rudibus propinaret, auditores obruerentur.

38. Egregium exemplum dedit Sanctus Apostolus animarum directoribus, qui, si discipulorum statui doctrinam non aptant, littus arant. Est enim doctrina mystica cibus animae, et *Aegro palato poena est panis, qui sano suavis est,* ait D. Augustinus, VII *Confess.*, cap. 16 (29). Unde Paulus cibum suae doctrinae distribuens, mentibus manducantium aptavit; eoque modo dicto se gessit cum Corinthiis. Quod amplius nervose ostendit cap. III eiusdem epistolae (30): ubi suae distributivae motivum expendit hisce verbis: *Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: non enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis; adhuc enim carnales estis.* Videatur D. Thomas hic (31) et D. Bernardus initio *Explanationis super cantica* (32).

Haec forsan prolixe scripsi; feci tamen, quia pro sequentibus non semel necessaria erunt, quae diximus. Ex iis autem constat vanum esse recursum ad haec verba, ut Christus Dominus formale obiectum mysticae theologiae asseratur.

39. Arguitur *secundo:* Theologia mystica est contemplatio. Obiectum primarium contemplationis est Christus Dominus. Ergo et theologiae mysticae. Cetera nota sunt et minor probatur. Obiectum primarium contemplationis est veritas, ut constat ex eius essentiali definitione, quam supra dedimus (33) dicentes cum D. Thoma, quod contemplatio est *simplex intuitus veritatis.* Sed Christus Dominus est veritas, dicente eodem apud *Ioan.*, cap. XIV (34): *Ego sum via, veritas et vita.* Ergo.

Respondetur maiorem non esse omnino indubitatam; quia, ut vidimus numero 5, sunt gravissimi doctores tenentes mysticam theologiam esse actum voluntatis; quiaque actus voluntatis non potest esse formaliter contemplatio, propterea maior illa non est omnino certa. Et adhuc in sententia D. Thomae asserente theologiam mysticam esse actum intellectus, ut suo loco dicemus, claudicat non parum illa maior. Et ratio est quia, licet omnis theologia mystica actualis sit contemplatio, non tamen convertuntur, secundum ea quae diximus numero 4. Ast, quia in hac quaes-

(26) l. c., p. 619a.
(27) *I Cor.*, c. II, v. 6.
(28) l. c. p. 619b: *Dicit ergo: Apud vos...*
(29) Migne, P. L., t. 32, col. 744: *Palato non sano poena...*
(30) v. 1 et 2; Hetzenauer, p. 1112: *Et ego... nondum enim poteratis:...*
(31) *In I ad Corinth.*, cap. III, lect. 1; ed. Vivès, t. XX, pp. 628a-629a.
(32) *Sermones in Cant.*, sermo I, num. 1 sqq; Migne, P. L., t. 183, col. 785.
(33) *Isagoge*, lib. IV, num. 20.
(34) v. 6; Hetzenauer, p. 1057:..., *et veritas,...*

tione, ut constat ex eius progressu, non suminus theologiam mysticam solummodo in rigorosa ac propriissima illa acceptione, sed in consideratione magis generali, de qua egimus numero 3; ideo admissa maiori cum nostra *Disceptatione Mystica,* tract. III, quaest. 1, art. 1, num. 3 (35); et cum nostro V. Thoma a Iesu, libro V *De contemplatione divina,* in prologo (36), negamus minorem. Ad cuius probationem totumque argumentum dicatur quod Christus Dominus est *via, veritas et vita.* Advertendum tamen est cum D. Thoma inibi (37), quod Christus *simul est via, veritas et vita ; via quidem secundum humanitatem, terminus secundum Divinitatem. Sic ergo secundum quod homo dicit, « Ego sum via », secundum quod Deus addit « Veritas, et vita »; per quae duo terminus huius viae convenienter designatur.* Est dicere: Christus Dominus est verus homo verusque Deus; ut homo est via, per quam itur ad contemplationis obiectum, quod est ipse Christus ut Deus est, secundum quam rationem est veritas. Unde si arguens velit Christum ut Deum esse obiectum primarium contemplationis, nobiscum sentit; si aliud autem intendit, nihil probat.

40. Arguitur *tertio:* Sine obiecto secundario dari potest, immo et debet mystica theologia; quippe debet omnia obiecta secundaria transcendere et in solius obiecti primarii contemplatione deliciari, ut postmodum videbimus. Sed non est mysticae theologiae status, cuius quieti obsit Christus Dominus, aut in quo non debeat contemplari, ut asserit multoties Seraphica Mater nostra Sancta Theresia et alii communissime. Ergo Christus Dominus est obiectum formale et primarium nostrae mysticae theologiae.

Hoc argumentum tangit illam non levem difficultatem, in qua controvertitur, an humanitas Christi Domini obsit quieti contemplationis? Quam difficultatem nec possumus praeterire, nec in praesenti vacat pro meritis disputare. Unde illa ad alium locum remissa (38), respondemus pro nunc: in hac materia esse qui autument Christi humanitatem penitus obesse quieti contemplationis; unde serio debet a memoria excludi. Alii autem per oppositum opinantur humanitatem hanc sanctissimam nunquam derelinquendam vel in sublimissima contemplatione. Inter haec extrema, quae alibi ad examen venient, verissimum est illud vulgaris : *Medio tutissimus ibis.* Unde nec ex proposito amandanda est sanctissima Reparatoris nostri humanitas a memoria contemplativi, nec hic in omni sua contemplatione debet illam respicere. Haec est sanissima doctrina Seraphicae Theresiae pluribus in locis et Extatici Parentis nostri D. Ioannis a Cruce, prout vidimus numero 30, ubi modum quem contemplativi in hoc habere debent, clarissime tradit. Sed ut scias quidquid circa punctum praesens sciri debet, audi eundem Sanctissimum Doctorem, libro III *Ascensus,* cap. 1 (39), dicentem: *Este estudio de olvidar, y dexar noticias, y figuras nunca se entiende de Christo, y su humanidad. Que aunque alguna vez en lo subido de la contemplacion, y vista sencilla de la divinidad no se acuerde el alma de esta santissima humanidad; porque Dios levantó el espiritu de su mano á este* (40) *confuso, y muy sobrenatural conocimiento ; pero hazer estudio de olvidarla en ninguna manera conviene; pues su vista, y meditacion amorosa ayudará á todo lo bueno, y por ella se subirá mas facilmente á lo muy levantado de union. Y claro esta, que aunque otras cosas visibles, y corporales se ayan de olvidar, y estorven; no ha de entrar en este numero el que se hizo hombre por nuestro remedio, el que*

(35) ANTONIUS AB ANNUNTIATIONE, C. D.; ed. 1683, p. 283. — Cf. infra *Appendix.*

(36) *Opera omnia,* ed. 1684, t. II, pp. 150-152. — Cf. infra *Appendix.*

(37) *In Ioann.,* c. XIV, lect. 2; ed. Vivès, t. XX, p. 231b: *Simul est via, et terminus. Via... huius vitae convenienter designatur.*

(38) cf. t. IV, disp. XXVI, q. 5, §. 1, 2a conclus., num. 89 sqq.; §. 2, 3 et 4.

(39) Est pars textus spurii, qui in antiquis editionibus invenitur. Datur in ed. crit., t. I, p. 277, nota (2).

(40) l. c.: « *como confuso* ».

es verdad, puerta, camino, y guia para los bienes todos. Sic latine leges: Haec sollicitudo obliviscendi et amandandi notitias particulares et figuras nunquam intelligi debet de Christo et de eius sanctissima humanitate. Quippe licet quandoque in ipso sublimis contemplationis ardore et simplici intuitu Divinitatis anima non meminerit huius sanctissimae humanitatis, quia Deus illam elevavit ad hanc confusam et supernaturalem contemplationem. Ast memoriam huius sacratissimae humanitatis consulto et ex animo amandare neutiquam convenit. Siquidem intuitus et meditatio ipsius iuvabit ad omne bonum. Sicque ad verticem unionis facilius ascensus patebit. Clarumque de se est, quod quamvis alia visibilia segreganda sint, non debet inter illa computari, qui propter nostram salutem homo factus est estque veritas, ostium, via et dux ad omnia bona (41). In quibus habes quid pro nunc argumento facto respondeas, et discrimen sanctissimae humanitatis Christi ab aliis obiectis secundariis.

41. Aguitur *quarto :* Illud est obiectum primarium mysticae theologiae, ratione cuius attingitur ab ipsa obiectum secundarium ipsius. Sed creaturae quae sunt obiectum secundarium theologiae mysticae, attinguntur ab ipsa theologia per id quod participant a Christo Domino. Ergo Christus ut homo est obiectum primarium theologiae mysticae. Cetera nota sunt; et minor probatur ex Parente nostro D. Ioanne a Cruce, cantione V sui *Cantici spiritualis* (42), dicente: Deum Patrem in Verbo Filio suo cuncta, quae fecerat, vidisse, eaque omnia cum hac Filii sui figura decorasse ut valde bona apparerent, quod tunc accidit, ait idem Extaticus Doctor (43) : *Quando se hizo hombre ensalzandole en hermosura de Dios, y por consiguiente á todas las criaturas en él, por averse unido con la naturaleza de todas ellas en el hombre.* Hoc est: Dum humanam naturam assumpsit, non solum eam elevavit in Dei pulchritudinem, sed etiam omnes creaturas in ipso propter unionem, quam cum earum natura in homine fecit. Et, paucis interiectis, addit (44): *En este levantamiento de la Encarnacion de su Hijo, y de la gloria de la Resurreccion segun la carne no solamente hermoseó el Padre las criaturas en parte, mas podremos decir, que del todo las dexó vestidas de hermosura, y dignidad.* Dicit ergo : In hac elevatione ob Incarnationem Filii sui et gloriam resurrectionis secundum carnem Pater aeternus creaturas non tantum ex parte decoravit: verum et dicere possumus quod eas omnimode exornavit pulchritudine ac dignitate (45). Hactenus illuminatus Doctor. Ex quibus minor illa probatur sic: a pulchritudine et dignitate quibus cuncta, quae Deus fecerat, valde bona visa sunt, habent ista, quod sint attingibilia a theologia mystica. Atqui hanc pulchritudinem ac dignitatem habent a Deo homine, ut patet ex inducta auctoritate. Ergo a Dei homine participant id, per quod a mystica theologia attinguntur.

Respondetur: Unigenitum Dei Filium

---

(41) In I ed. legitur: « Studium hoc obliviscendi, desinendique notitias, et figuras, numquam de Christo, eiusque humanitate intelligitur. Quia quanvis in excelso contemplationis, et simplicis visionis Divinitatis, aliqua vice huius sanctissimae humanitatis anima non recordetur; nam a Deo potenti manu spiritus sublevatus est ad hanc confusam, supernaturalemque admodum cognitionem: caeterum nullomodo refert studium obliviscendi facere; enim vero ad omne bonum adiuvabit eius visio, meditatioque amorosa, et per eam facilius ad fastigium unionis ascendet. Evidens siquidem est quod quanvis caeterae res visibiles, et corporeae sint a memoria abolendae; utique et impediant: non adeo intra praedictum numerum computari debet, qui propter nostram salutem homo factus est, et qui cunctorum bonorum veritas, ostium, via, et ductor est ». Similiter in Neapol. ed., praeter:... « caeterum nullomodo debet anima studere ut hujus sacratissimae humanitatis obliviscatur; enimvero... sint a memoria abolendae, et exturbent; non adeo intra... »

(42) Ed. crít., t. II, pp. 197 y 514.

(43) Ed. crít., t. II, pp. 197 y 515.

(44) l. c.:... *podemos decir...*

(45) In I ed. legitur: « In hac subductione Incarnationis sui Filii, et gloriae suae Resurrectionis secundum carnem, non solum decoravit Pater creaturas in parte, sed etiam dicere poterimus, eas pulchritudine, et dignitate vestitas reliquisse ». Similiter in Neapol. ed., praeter: « In hac elevatione Incarnationis... creaturas ex parte... »

esse *per quem facta sunt omnia* (46). Unde cum creaturarum pulchritudo, et dignitas, et quidquid in illis amabile est, cuiuscumque ordinis sit, sit factum, per ipsum sane Verbum factum est, per quod facta sunt omnia. Eoque divinum Verbum creaturarum pulchritudinem condidit cum Patre, cum quo erat cuncta componens (47). Unde verissima est doctrina nostri profundissimi Doctoris. Vim tamen facit in eius auctoritate, quod dicat, haec omnia tunc evenisse, cum *Verbum Caro factum est* (48). Impetus tamen iste retunditur, si dictum tanti Doctoris serietate debita perpendatur. Ait enim quod tunc accidit, cum homo factus est, illum scilicet hominem elevans in pulchritudine Dei ; ac per consequens omnes creaturas in illo ob unionem cum natura omnium illarum in homine. Sic loquitur mysticus hic praeclarissimus. Cuius verba affatim demonstrant mentem eius eo tendere, ut pulchritudinem et dignitatem humanitatis assumptae ostendat insimulque naturae omnium creaturarum; eo quod omnium creaturarum naturae quodammodo sese univit, cum naturam humanam terminavit; quamobrem verum est istam pulchritudinem a creaturis minime habendam iri, si Deus homo non fieret; manerent tamen pulchrae pulchritudine derivata a primo pulchro, quod sat est ad salvandam theologiae mysticae terminabilitatem. Quod loco citato docuit Seraphicus noster Parens iis verbis (49) : *Pero allende de todo esso hablando aora algo segun el sentido, y afecto de contemplacion: En la viva contemplacion, y conocimiento de las criaturas, hecha de ver el alma con gran claridad aver en ellas tanta abundancia de gracias, virtudes y hermosura, de que Dios la dotó ,que le parece estar todas vestidas de admirable hermosura natural derivada, y communicada de aquella infinita hermosura sobrenatural de la figura de Dios, cuyo mirar viste de hermosura, y alegria á* (50) *el mundo, y todos les Cielos.* Id est: Dum anima creaturas attenta contemplatione intuetur, clarissime cognoscit omnes illas fulgere copiosa ubertate gratiarum, virtutum et pulchritudinis, quas Deus illis contulit. Illae omnes animae repraesentantur fulgidae mira naturali pulchritudine, quam in eadem corribavit supernaturalis illa pulchritudo figurae Dei, cuius respicere omnia creata reddit venusta (51). Ex qua certissima doctrina colligitur quod, etiamsi incarnatio dabilis non fuisset, adhuc creaturae haberent per quod mysticam theologiam terminarent.

Demus tamen hunc creaturarum pulcherrimum amictum a Verbo incarnato et non aliunde provenire; primus conferens non esset Christus, nisi qua Deus est; quia qui humanitatem evexit, est Verbum humanitatem ipsam terminans ac decorans; consequenterque semper verum est quod a Deo derivatur id, ratione cuius creaturae sunt secundaria obiecta mysticae theologiae.

(46) *Symb. Nicaen.;* DENZ.-BANNW., *Enchiridion,* 10 ed., 1908, p. 30: *per quem omnia facta sunt.* — Cf. etiam *Ioan.*, c. I, v. 3.

(47) *Prov.*, c. VIII, v. 30.

(48) *Ioan.*, c. I, v. 14.

(49) Hic textus datur iuxta *El primer Cántico espiritual,* canc. V; ed. crit., t. II, p. 515. Aliter legitur in *El Cántico espiritual* (II escritura); ed. crit., t. II, p. 197: *Pero demás de esto todo, hablando ahora según el sentido y afecto de la contemplación, es de saber que en la viva contemplación y conocimiento de las criaturas, echa de ver el alma haber en ellas tanta abundancia de gracias y virtudes y hermosura, de que Dios las dotó, que le parece estar todas vestidas de admirable hermosura y virtud natural sobrederivada y comunicada de aquella infinita hermosura sobrenatural de la figura de Dios, cuyo mirar viste de hermosura y alegria el mundo y á todos los cielos.*

(50) Ed. crit., t. II, p. 515, omittit: « *á* ».

(51) In I ed. legitur: « Attamen praeter hoc omne, nunc aliquid loquendo secundum sensum, contemplationisque affectum: advertit anima magna cum claritate in illa vivida contemplatione, agnitioneque creaturarum adesse in illas tantam copiam gratiarum, virtutum, et pulchritudinis, quibus a Deo dotatas fuisse, ut sibi videatur, omnes illas supervestitas esse naturali specie admirabili, derivata, communicataque ab illa infinita pulchritudine supernaturalis Dei figurae, cuius visus mundum caelestesque spheras, pulchritudine et alacritate exornat ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: « ... pulchritudinis, quibus a Deo dotatae sunt, ut... »

QUAESTIO TERTIA

Utrum solus Deus et sub ratione Deitatis sit obiectum formale mysticae theologiae?

Non loquimur de ratione formali *sub qua,* tum quia quaestio praesens de illa non agit, tum quia extra controversiam est rationem Deitatis non esse rationem *sub qua* theologia mystica attingit proprium obiectum. Loquimur tamen de ratione formali *quae* in proprio obiecto attingitur a theologia mystica. Unde titulum explicatius offerentes inquirimus: An Deus solus non sub ratione aliqua attributali, sed sub ratione communissima et absoluta Deitatis, sit obiectum *quod* mysticae theologiae? Qua in re prima sententia negat. Eam tenent quotquot assertis praecedentibus contrarios habuimus. Secunda affirmat. Et haec est mysticae theologiae Parentis D. Dionysii, cap. 3 *Eccles. Hierarch.,* prout vidimus num. 8, et D. Thomae, I[a] p., quaest. 1, art. 7, ubi Caietanus (1). Est Cartusiani, *supra Areopagitam de mystica Theologia,* art. 8 (2); nostrique Phillippi a Trinitate, discursu prooemiali, art. 2 (3); *Disceptationis Mysticae,* tractat. III, quaest. 3, art. 1 (4). Estque inter mystas communis. Cum quibus sentio. Unde,

§. 1. Veritas tenenda duplici conclusione statuitur.

42. Sit prima assertio nostra: *Obiectum* quod *mysticae theologiae est solus Deus.* Probaturque *primo* conclusio ex his omnibus, quae hactenus dicta sunt postmodumque dicentur. Etenim theologiae mysticae obiectum est aliquod ens. At non est ens abstrahens a creato et increato, ut vidimus tota quaestione prima; neque est ens determinate creatum, ut videbimus cum de obiecto secundario agamus iamque ex hucusque dictis notum est; neque etiam est Christus ut homo, ut vidimus tota quaestione praecedenti. Ergo est Deus. Patet ista: quia nihil aliud remanet, quod possit eius obiectum esse.

43. Probatur *secundo* conclusio ratione desumpta ex D. Dionysio, cap. 7 *De divinis nominibus,* et ex D. Thoma, articulo citato, in argumento *sed contra,* sicque illam proponimus. Illud est obiectum formale scientiae mysticae, cuius ipsa sermo et cognitio est. Atqui scientia mystica est sermo de Deo seu cognitio Dei. Ergo obiectum formale mysticae theologiae est Deus. Consequentia est formalis. Praemissae autem probari debent: quarum maior est D. Thomae, loco citato (5) dicentis : *Illud est subiectum scientiae, de quo est sermo in scientia.* Ergo illud est subiectum scientiae mysticae, de quo in ipsa sermo est seu cuius ipsa sermo et cognitio est.

Minor autem est expressa laudati D. Dionysii (6), theologiam mysticam describentis per hoc quod sit: *Divinissima Dei cognitio, quae est per ignorantiam cognita secundum veritatem supra mentem, quando mens ab aliis omnibus recedens, postea et seipsam dimittens unita est supersplendentibus radiis, inde, et ibi non scrutabili profundo sapientiae illuminata.* Quae verba apud omnes mis-

(1) Ed. Leonina *operum D. Thomae,* t. IV, pp. 19-21.

(2) (alias DIONYSIUS VAN RYCKEL) *Commentaria in librum de Theologia mystica,* cap. IV, art. 8; ed. Monstrolii-Tornaci, 1896-1912, t. XVI, pp. 464-465. cf. etiam *Difficultatum Praecipuarum praecedentium librorum* (i. e. Dion. Areop.) *absolutiones breves et necessariae,* art. 2; ed. cit., t. XVI, pp. 484 sqq.

(3) *Summa theologiae mysticae...;* ed. 1874, t. I, p. 25. Cf. infra *Appendix.*

(4) ANTONIUS AB ANNUNTIATIONE, ed. 1683, p. 238.

(5) Ia, q. 1, a. 7, *sed contra.*

(6) *De divin. Nomin.,* cap. 7, lect. 4; ed. Vivès *operum D. Thomae,* t. XXIX, p. 521b:... *cognita secundum unitionem super mentem, quando...* Text. graec., Migne, P. G., t. 3, col. 872.

tas continent theologiae mysticae definitionem. De quo videre poteris nostram *Catenam mysticam,* fol. 19 (7). Ergo theologia mystica est cognitio Dei ; atque ideo eius obiectum est ipse Deus.

44. Confirmatur ex Seraphica Matre nostra D. Theresia, quae cap. 10 suae *Vitae* (8) hoc ipsum docet hisce verbis : *Acaeciame en esta representacion, que hazia de ponerme cabe Christo (que he dicho) y algunas vezes leyendo, venirme á deshora un sentimiento de la presencia de Dios, que en ninguna manera podia dudar que estaba dentro de mi, ó yo toda engolfada en él. Esto no era manera de vision, creo le llaman mystica theologia.* [Mihi contingebat in ista repraesentatione, qua apud Christum me praesentem esse faciebam (de qua supra locuta sum), quin etiam interdum dum in libro legerem, fiebat in me repente et improviso quidam divinae praesentiae sensus, ut dubitare nullatenus possem quin aut ipse Deus intra me esset, aut ego tota in ipsum absorpta. Non erat tamen hoc per modum visionis ; crediderim mysticam theologiam vocari (9).] Quibus sanctissima haec Doctrix mysticam theologiam nobis aperit per ordinem ad Deum, qui pondus omne suae propensionis terminat. Videantur V. N. Thomas a Iesu, libro V *De contemplatione divina,* cap. 11 (10); et Ioseph a Iesu Maria, I p., cap. 18 (11).

45. Probatur *tertio* assertio nostra: Per ordinem ad Deum specificatur mystica theologia. Ergo Deus est eius obiectum formale. Patet ista: nam idem est obiectum formale et specificativum. Probatur antecedens: specificativum habitus scientifici specificat partes integrantes totum habitum. Sed ut modo supponitur ex I^a p., q. 1 (12), Deus est specificativum habitus theologici, mysticam theologiam sub se comprehendentis. Ergo, etc.

46. Confirmatur: Deus est obiectum attributionis relate ad mysticam theologiam. Ergo est eius obiectum formale; quia nihil aliud est obiectum formale quam obiectum attributionis. Antecedens probatur : obiectum attributionis, iuxta D. Thomam, quaest. 4 prologi *Sententiarum* (13), est illud, quod continet omnia quae tractantur in scientia; ita ut illa omnia revocentur ad ipsum et insuper quod de ipso sit potissima cura in scientia, ac denique quod scientia per illud differat a qualibet alia scientia; de quo videre poteris nostros Complutenses in *Logica,* disputatione 1, quaest, 2, num. 11 et 19 (14). Atqui Deus relate ad mysticam theologiam haec omnia habet. Ergo. Minor pro *prima* parte probatur ex verbis D. Dionysii numero 8 datis. Quibus diserte asserit mysticum theologum omnia in Deum revocare; quippe cuncta ad mysticam theologiam quoquomodo pertinentia vel sunt ipse Deus, vel sunt Dei, vel ad Deum, vel a Deo, ut ait Caietanus super art. 7 citatum ex I^a parte (15).

Ac per hoc probatur *secunda* pars illius minoris; siquidem mystica theologia nullatenus omnia in Deum refunderet, si de ipso potissimum non curaret. Accedit quod haec potissima cura communiter a doctoribus explicatur per hoc, quod si aliqua praecepta tradantur in scientia, sint de eo, quod ab ipsa ut proprium obiectum respicitur. Quod mysticae theologiae respectu Dei convenire certissimum est; siquidem inter plurima praecepta quae mystica theologia tradit, nullum est quod in ordine ad Deum non sit. Quidquid incipientibus praecipit, quidquid proficientibus imperat, quidquid

(7) IOSEPH A SP. S., *Cadena mystica carmelitana,* colac. I, propuesta 3, resp. 1; ed. 1678, p. 19.

(8) Ed. crit., t. I, p. 69:... *y aun algunas vêces...*

(9) Sic in I editione; item in Neapol., praeter: «... qua prope Christum me praesentem faciebam... » In IVa vero editione haec versio deest.

(10) Ed. 1684, t. II, pp. 171b-173b.

(11) *Subida del alma a Dios que aspira a la divina union,* Part. I, lib. I, cap. 18; ed. 1694, pp. 44-47. Cf. *Appendix.*

(12) art. 7.

(13) Sic legitur apud Ioseph a Sp. S.; requiritur: I *Sent.,* prolog., q. 1, art. 4; ed. Vivès, t. VII p. 9.

(14) Ed. 1629, t. I, pp. 58 et 61b.

(15) Ed. Leonina *operum D. Thomae,* t. IV, p. 20a, num. III.

denique circa perfectos statuit, in Deum revocat, instruens animam ut in via spiritus, quam sequitur, sic se gerat ut Deum, quem totis viribus contemplatur, valeat obtinere. Totam huius arcanae divinissimaeque scientiae provinciam lustra, imperium contuere, replica principatum; et miraberis omnia eius statuta eo tendere ut iis anima proportionata Deo suo nobile caelum sit aureum reclinatorium. *Tertia* pars eiusdem minoris constat ex dictis numero 45.

47. Sit secunda assertio: *Ratio formalis* quae *in obiecto mysticae theologiae est ratio absoluta Deitatis.* Sic D. Thomas citatus, quem omnes eius discipuli et plures ex extraneis sequuntur. Probatur primo auctoritate Angelici Praeceptoris, art. 7 citato (16) dicentis: *Omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei.* Unde si scientia mystica attingit obiectum secundarium, est *sub ratione Dei.* Si obiectum primarium, ipsum scilicet Deum, attingit, non est sub ratione aliqua attributali aut sub aliqua alia ratione, praeterquam *sub ratione Dei.* Atque adeo haec est ratio formalis constitutiva obiecti theologiae mysticae ut res est seu, et est idem, est ratio formalis *quae* ipsius obiecti.

48. Probatur secundo conclusio discursu Caietani praecitati (17): Etenim Deus potest considerari vel quidditative, vel ut prima omnium causa, vel sub conceptu communi entis aut actus, vel denique sub ratione aliqua atributali nempe ut iustus, bonus, sapiens, etc. Primo modo consideratur secundum suam quidditatem, quam, ait Caietanus (18), *Circumloquimur deitatis nomine*; secundo modo sumitur relative ad extra; tertio modo accipitur sub conceptu communissimo ; ultimo autem modo consideratur per accidens, hoc est, per id quod est extra constitutivum metaphysicum ipsius. Sed nullo ex praeiactis modis, praeter primum, est Deus obiectum mysticae theologiae. Ergo haec attingit Deum sub ratione Deitatis. Probatur minor: Quod primario attingit theologia mystica in Deo est id, quod ipsa appetit et anxie petit.Sed quod sic petit et appetit, est ipsa Deitas seu Dei quidditas, et non ipse Deus sub ratione aliqua communi, aut attributali, aut sub ratione causae universalissimae. Ergo. Probatur minor primo: quia, ut observat Caietanus (19), cognitio quidditatis est omnium prima et fundamentum ceterarum. Ergo prius petit et appetit anima Deum sub ratione Deitatis quam sub aliis illis rationibus. Secundo probatur eadem minor: id appetit anima media theologia mystica in hac vita, quo beatur in futura. At in futura vita attingit Deum sub ratione Deitatis. Ergo. Minor patet: quia nihil aliud est attingere Deum sub ratione Deitatis, nisi ipsum attingere ut Deus est; quod certe habebimus in patria; quippe *cum apparuerit similes ei erimus; quoniam videbimus eum, sicuti est* (20). Maior autem probatur ex doctrina expertissimi Doctoris nostri D. Ioannis a Cruce pluribus in locis. In suo *Cantico,* cantione XI (21), ait :

Descubre tu presencia,
Y mateme tu vista, y hermosura;
Mira que la dolencia
De amor no bien se cura
Sino con la presencia, y la figura (22).

Idem docet pluribus aliis cantionibus eiusdem *Cantici,* sextam (23) solummodo damus, in qua sic loquitur:

(16) Ia, q. 1.
(17) *In Iam,* q. 1, a. 7, num. I; ed. Leon., t. IV, p. 19.
(18) l. c., p. 19b.
(19) l. c., p. 19b.
(20) *I Ioan.,* c. III, v. 2.
(21) Ed. crit., t. II, p. 214... *De amor, que no se cura.* Haec « *canción* » deest in *El Primer Cántico espiritual.*

(22) Ed. Neapol. addit:

Scoprimi tua presenza
E m'uccida tua vista, e beltà pura,
Mira che la doglienza
D'amor non ben si cura
Se non colla presenza, e la figura.

(23) Ed. crit., t. II, pp. 198 y 515.

Ay quien podrá sanarme!
Acaba de entregarte ya de vero,
No quieras embiarme
De oy mas ya mensagero,
Que no saben decirme lo que quiero (24).

Pondera in prima cantione ultimum carmen et in secunda secundum. Sed ne ipsa vel levissima ponderationis fatigeris, accipe eundem Parentum nostrum sic post versum 4 dictae VI cantionis (25) dicentem : *Esto, Señor mio Esposo, que andas dando de ti á mi alma por partes, acaba de darlo del todo. Y esto que andas mostrando, como por resquicios, acaba de mostrarlo á las claras. Y esto, que andas communicando por medios, que es como communicarte de burlas, acaba de hazerlo de veras communicandote por ti mismo.* Est dicere : Domine ac Sponse, hoc, quod mihi divisum aut per portiones confers, perfecte iam mihi conferre dignare. Hoc, quod per cancellos ostendis, age et ostende manifeste. Quod mihi per internuntios communicas, iam, quaeso, per temetipsum concede (26). Et prius dixerat animam prorumpere in illa verba (27): *Acaba de entregarte ya de vero; porque todo lo que de Dios se puede en esta vida conocer, por mucho, que sea, no es conocimiento de vero, esto es, entero, y perfecto de Dios; porque es conocimiento en parte, y muy remoto: mas conocerle essencialmente es conocimiento de veras, el qual aqui pide el alma no se contentando con essotras communicaciones.* Est dicere: Age, Domine, et trade temetipsum mihi omni plenitudine. Hocque dicit anima, quia omnis cognitio, quam in hac vita haberi potest de Deo, quantumvis perfectissima sit, non est simpliciter et absolute perfecta ; est quippe cognitio ex parte et obscura. Cognitio vero facialis est vere ac proprie cognitio, hancque petit anima aliis communicationibus non contenta (28). Videatur idem Extaticus Doctor cantione XIX (29) ad illum versum : *Y mira con tu haz á las montañas.* Ubi ait (30): *La haz de Dios es la Divinidad, y las montañas son las potencias de el alma Memoria, Entendimiento, y Voluntad, y assi es como si dixera: Enviste con tu divinidad en mi entendimiento, dandole inteligencias divinas, y en mi voluntad dandole, y communicandole el divino amor, y en mi memoria con divina possession de gloria.* Hoc est: Facies Dei est Divinitas ipsius. Silvae sunt animae potentiae: memoria, intellectus et voluntas. Unde hoc, quod nunc inquit anima,

(24) Ed. Neapol. addit:

Ahi! Chi potrà sanarmi!
Deh datti omai in tutto, e daddovero
Non voler inviarmi.
D'oggi in poi messaggiero
Che non mi sanno dir quello che chiedo.

(25) Hic textus datur iuxta *El primer Cántico espiritual,* conc. VI, v. 4; ed. crit., t. II, p. 516. — In *El Cántico espiritual* (II escritura), ed. crit., t. II, pp. 199-200... *que es communcarte como de burlas,...*

(26) In I ed. legitur: « Hoc, Domine mi sponse, quod a te anima mea divisim accipit, age omnino largiendi. Est istud, quod per cancellos mihi ostendis, finit in lucem prodere. Et denique hoc, quod per media communicas, quod est modus iocaliter communicationis, terminat veraciter facere te per temetipsum communicando ». — In Neapol. vero: « Hoc, Domine mi sponse quod a te anima mea divisim accipit; age omnino in totum largiri; et illud, quod per cancellos mihi ostendis dignare in plenam prodere lucem; et tandem, hoc quod per media communicas, quod est modus te communicandi quasi jocose, termina, hoc veraciter faciendo: te mihi per temetipsum communicando ».

(27) Datur iuxta *El Primer Cántico espiritual,* canc. VI, v. 2; ed. crit., t. II, p. 516; attamen editio critica omittit: « *esto es, entero, y perfecto de Dios* ». — *Cántico espiritual* (II escritura), ed. crit., t. II, p. 199: *Acaba de entregarte ya de vero. Porque todo lo que de Dios en esta vida se puede conocer, por mucho que sea, no es conocimiento de vero, porque es conocimiento en parte, y muy remoto; mas conociéndole esencialmente es conocimiento de veras, el cual aqui pide el alma, no se contentando con esotras comunicaciones.*

(28) In I ed. legitur: « Age iam in integrum te restituere; quia omne, quod in hac vita potest de Deo cognosci, quanvis plurimum sit, non est cognitio de vero, (hoc est) integra, et perfecta Dei; siquidem est cognitio in parte, et remota valde: ast essentialiter cognoscere est vera cognitio, quam hic petit anima non sibi cum aliis communicationibus complacens ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: « Age jam totum te communica; quia... non sibi de aliis communicationibus complacens ».

(29) Sic in I et IV ed.; in Neapol. vero: « cantione 33. ad illum versum: *Y mira con tu faz á las montañas. E mira col tuo volto le Montagne:* Ubi ait: « *La faz de Dios...* » — Re quidem vera haec cantio est trigesima tertia in versione itala Patris ALESSANDRO DI SAN FRANCESCO: *Opere spirituali del Beato Padre F. Giovanni della Croce,* Venetia, 1680, p. 367 (Ia editio, « In Roma, 1627 »).

(30) *El Cántico espiritual* (II escritura), canc. XIX, v. 2; ed. crit., t. II, p 264. — *El primer Cántico espiritual,* can. XXXII, v. 2; ed. crit., t. II, p. 589.

est idem ac si diceret: illabere, Domine, tua Divinitate in ratione summae lucis in meum intellectum, in ratione summi amoris illabere in meam voluntatem; illabere denique in memoriam meam possessione tuae gloriae (31). Et post pauca addit (32), animam nullo alio fore contentam: *Sino con la haz de Dios, que es communicacion essencial de la divinidad sin otro algun medio en el alma, por cierto contacto de ella en* (33) *la divinidad, lo qual es cosa agena de todo sentido, y accidentes, por quanto es toque de substancias desnudas, es á saber, de el alma mediante las potencias dichas, y divinidad.* Est dicere : Non quiescit anima nisi cum Dei visione intuitiva. Iam enim taedet ipsam quodcumque medium inter eam Divinitatemque interiectum. Vult ergo Deo immediate uniri per quemdam contactum substantialem ipsius animae et Divinitatis ; quod prorsus remotum est a sensibus et accidentibus, pro quanto est contactus substantialis, scilicet animae, mediis suis dictis potentiis, et Divinitatis (34). Toties divinitatem repetere, nihil aliud demonstrare potest, nisi quod divinitas ipsa sit ratio sub qua mystica theologia suum obiectum attingit.

49. Dices : Si dicta vera sunt, ratio *sub qua* in obiecto mysticae theologiae non est Deitas ut dicit quidditatem Dei praecise, sed prout ambit omnia praedicata divina. Ergo non est ratio illa absoluta Deitatis. Probatur antecedens: primo, quia id quo anima beatur, non est sola Deitas prout dicit illam praecisam rationem, sed prout dicit omnia divina ita taliter, quod si aliquis aliquod attributum non videret, perfecte beatus non foret. Ergo id est obiectum theologiae mysticae, quod appetit; et id appetit, quod beat; non ergo sola ratio praecisa Deitatis est ratio *quae* in obiecto illius. Probatur secundo idem antecedens : quia, ut constat ex dictis ex cantione XIX (35) Parentis nostri D. Ioannis a Cruce, anima in contemplatione non solum petit et appetit id, quod est obiectum intellectus, sed etiam quod est obiectum voluntatis et memoriae. Ergo obiectum mysticae theologiae non est ratio praecisa Deitatis. Antecedens constat ex loco citato, et consequentia patet : nam memoria, ut dicitur ibi, respicit gloriae possessionem; constat autem gloriae possessionem dicere omnia quae sunt in Deo, ita taliter, quod si aliquid deficeret, non daretur possessio gloriae seu beatitudo; quia haec non compatitur cum defectu cuiuscumque boni, iuxta illud: *Ego ostendam tibi omne bonum. Exod.*, XXXIII (36), quod graviter observant nostri Salmanticenses, tract. XIX, disp. 2, dub. 2, num. 18 (37); et similiter obiectum voluntatis caritate informatae est bonitas omnium eorum quae in Deo sunt, ut docent praedicti Patres loco citato.

Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicas cum eisdem Salmanticensibus, num. 24 in fine (38): beatitudinem supernaturalem sumi posse vel prout est visio intuitiva, vel sub expresso conceptu beatitudinis. Primo modo terminatur ad Deum sub ratione Deitatis; secundo autem modo respicit Deum ut summum bonum satiativum ap-

---

(31) In I et Neapol. editionibus legitur: « Dei facies divinitas est, et montana sunt animae potentiae, nempe memoria, intellectus et voluntas, et est idem ac si diceret: superindue tua divinitate meum intellectum, illi tribuendo intelligentias Divinas ; meamque voluntatem illi largiendo, communicandoque amorem Deificum; et meam recordationem cum Divina gloriae possessione. »

(32) Ed. crit., locis citatis. In utroque textu editionis criticae « *mediante las potencias dichas* » omittitur.

(33) IV ed.: « *con* ».

(34) In I ed. legitur: « Nisi cum Deifica facie, quae est essentialis in anima Divinitatis communicatio absque alio interposito medio, sed per certum contactum illius cum Divinitate, quod alienum est omni sensu et accidentibus, nam tactus est nudarum substantiarum (hoc est) animae mediis superdictis potentiis, et Divinitate ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: « ... sed per quendam contactum illius cum Divinitate, quod alienum est ab omni sensu et accidentibus: cum sit tactus nudarum substantiarum (hoc est) animae mediis supradictis potentiis et Divinitatis ».

(35) Sic in I et IV ed.; in Neapol. vero: « *ex cantione 33* ».

(36) v. 19 ; Hetzenauer, p. 75 ; *Ego ostendam omne bonum tibi.*

(37) Ed. V. Palmé, t. XII, p. 55.

(38) ib., p. 59.

petitus, qua ratione est obiectum caritatis omnemque bonitatem divinam dicit. Nostra mystica theologia assimilatur beatitudini prout est visio intuitiva ; non autem sub expresso conceptu beatitudinis. Unde suum obiectum sub ratione Deitatis attingit.

Ex quibus ad secundam antecedentis probationem respondetur; ibi animam petere a Deo contemplationem seu mysticam theologiam, qua occurat Deitati a se petitae; quae contemplatio consistit in divinis illis intelligentiis, quas precatur. Et hoc est, quod pro nobis facit in illa auctoritate ; cui non opponitur quod amorem petat et summi boni perfectissimam possessionem, quae duo rationem praecisam Deitatis non respicere fatemur; sed eodem modo in ipsis mysticam theologiam formaliter consistere negamus.

§. II. Respondetur argumentis.

50. Contra primam conclusionem arguitur *primo:* Obiectum *quod* theologiae mysticae est commune per praedicationem. Ergo eius obiectum *quod* non est Deus. Patet ista: nam Deus est singularissimus. Et antecedens probatur: primo ex D. Thoma, in I *Sententiarum,* art. 4 prologi (39) dicente: subiectum scientiae hoc habere, quod scilicet per praedicationem commune est. Probatur secundo idem antecedens, quia idem Angelicus Doctor citato articulo 7 ex Iª p. ait: *Sic enim se habet subiectum ad scientiam, sicut obiectum ad potentiam vel habitum.* Sed obiectum potentiae vel habitus est commune per praedicationem. Ergo similiter obiectum scientiae. Ergo et theologiae mysticae, quae scientia sane est .

Respondetur primo ex Caietano (40) distinguendo antecedens : *commune per praedicationem* in obliquo vel in recto, concedatur; in recto praecise negetur. Itaque obiectum mysticae theologiae commune est per praedicationem sive in recto, sive in obliquo, non autem praecise in recto. Primum patet: quia, ut inibi ait idem Praeceptor Angelicus, omnia *pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem.* Unde de obiecto primario praedicatur in recto; de aliis vero solummodo in obliquo praedicatur. Dicit enim quidquid theologia mystica attingit, ordinem ad Deum, sub quo ordine attingitur; atque adeo de ipso praedicatur Deus in obliquo. Nec hoc speciale est in theologia mystica; nam, ut dicitur IV *Metaphys.* (41), etiam in scientia de sano verum est. Quare licet dentur plures scientiae, quarum obiecta formalia de pluribus inadaequatis formaliter et in recto praedicantur; non tamen hoc evenit in omnibus, ut dictum est. Per quod patet ad primam antecedentis probationem; quia D. Thomas intelligitur de praedicatione non praecise in recto, sed vel in recto, vel in obliquo. Et similiter explicatur textus in secunda antecedentis probatione adductus.

Respondetur secundo cum eodem Caietano (42) negando antecedens. Ad primam probationem dicatur: D. Thomam (43) loqui de iis, quae communiter eveniunt in obiectis aliarum scientiarum; non quia in omnibus obiectis scientiarum necessario reperiatur talis conditio. Ad secundam probationem respondetur: paritatem illam, quam inducit D. Thomas inter potentiam et scientiam, non respicere illam communitatem seu praedicationem. Quod inde constat evidenter, quod obiecta non sunt communia relate ad scientiam vel potentiam, sed relate ad obiecta particularia. Constat ex ipsis D. Thomae verbis ipsum non contulisse obiectum potentiae scientiaeque cum ob-

(39) *I. Sent.,* prol. q. I, art. 4; ed. Vivès, t. VII, p. 9.

(40) *In I,* q. 1, a. 7; ed. Leonina, t. IV, p. 20a, num. III.

(41) Sic in antiquis editionibus ; sed est III *Metaphys.,* cap. 2, num. 3; ed. Didot, t. II, p. 500; Bekk., 1003b, 11.

(42) l. c.

(43) Ia, q. 1, a. 7.

iectis inferioribus, sed cum ipsis scientia et potentia; quippe asserit: *Sic enim se habet subiectum ad scientiam, sicut obiectum ad potentiam.* Consistitque paritas in eo quod, sicut ratio formalis obiecti potentiae est illa, qua omnia referuntur ad potentiam; sic ratio formalis obiecti scientiae est illa, sub qua omnia attinguntur a scientia. In hoc paritatem posuit D. Thomas nec verbum de communitate per praedicationem faciens.

51. Arguitur *secundo* contra secundam conclusionem: Deus sub ratione Deitatis est indemonstrabilis ac per causam seu rationem a priori incognoscibilis. Ergo sub ratione Deitatis non est obiectum mysticae theologiae. Antecedens notum est: Deitatis enim nec causam, nec rationem a priori habet, per quam demonstretur aut cognoscatur. Et consequentia probatur: quia omnis scientia suum obiectum per causam seu rationem a priori demonstrat. Ergo cum theologia mystica sit scientia, hoc ipsum habere debet.

Si hoc argumentum loquitur de scientia mystica ut scientia est vel ut idem habitus cum scholastica est, constat eius solutio ex iis, quae nostri Thomistae docent communiter in prooemialibus theologiae, considerantes obiectum complexe et incomplexe. Obiectum incomplexe sumptum non demonstratur a scientia, quia metaphysica, v. g., non demonstrat ens, nec habet causam seu rationem, per quam talem demonstrationem faciat. Similiter sacra theologia Deum non demonstrat, sed supponit ; ac de eo demonstrat attributa, quae sunt veluti eius proprietates; in qua demonstratione ratio a priori est Deitas ipsa. Unde non est verum quod obiectum incomplexe sumptum demonstretur ; sed quod de ipso demonstrentur passiones seu praedicata, quae quidem sunt obiectum complexum, quod certe a scientia demonstratur. Quam doctrinam applicare debes mysticae theologiae, si ut scientia vel pro habitu sumitur.

Ast si de ipsa, prout mystica est, loquamur, aliter respondere oportet. Etenim arcana haec scientia differt a theologia scholastica et positiva, uti docet Ven. doctissimusque P. N. Ioannes a Iesu Maria, canon. 7, 8 et 9 (44) in quorum ultimo ait: *Tertia, quae nec disceptat, ut scholastica, neque per nomina, seu proprie, seu translate accepta, sensa divina concipit ut positiva; sed per universarum rationum, ac nominum ablationem, intellectu creaturarum omnium imagines supergresso, ac stupente, voluntateque altius erecta, Deum gustat, et amplectitur, quae mystica Theologia est.* Quibus edocemur theologiam mysticam non esse argumentativam ut scholasticam, sed potius intellectu stupente et ignita voluntate esse Dei gustativam. Unde, licet theologia scholastica non possit demonstrare sive per causam, sive per rationem a priori Deitatem, mystica tamen ipsam Deitatem degustat; immo est ratio degustandi cetera omnia, quae veluti proprietates ipsius ab ipsa concipiuntur emanare, et omnes illos effectus, quorum causa prima est. In omnibus enim illis delicias invenit, suavissimum respicit stuporem. Mirissime haec docet Extaticus Parens noster D. Ioannes a Cruce illustri illa cantione XXXIX, *Cantici* sui *spiritualis* (45).

El aspirar de el ayre,
El canto de la dulce Filomena,
El soto, y su donayre,
En la noche serena
Con llama, que consume y no da pena (46).

Ubi per noctem serenam, in qua anima cupit praeiacta videre, intelligit mysticam nostram theologiam. *Esta noche, ait* (47), *en que el alma desea ver estas*

---

(44) *Theologia mystica* canon. 7, 8 et 9; *Opera omnia*, ed. 1650, t. II, p. 1b; ed. 1771-1774, t. II, p. 423.

(45) *Cántico espiritual* (II escritura), canc. XXXIX; ed. crít., t. II, p. 359. — *El primer Cántico espiritual*, canc. XXXVIII; ed. crít., t. II, p. 606.

(46) In ed. Neapol. additur:

L'avra che spira e vezza
Il canto della dolce Filomena,
La selva et sua vaghezza:
Nella notte serena
Con fiamma, che consuma, e non da pena.

(47) Datur iuxta *El primer Cántico espiritual*, canción XXXVIII, v. 4; ed. crít., t. II, p. 610; ibi tamen legitur « *escura* » pro « *obscura* ». In *El Cántico espiritual* (II escritura), canc. XXXIX, v.

cosas es la contemplacion ; porque la contemplacion es obscura, que por esso la llaman por otro nombre mystica Theologia, que quiere decir sabiduria escondida, y secreta de Dios. Id est : Nox ista in qua haec desiderat anima videre, est contemplatio; quia haec contemplatio obscura est; quocirca alio nomine dicitur mystica theologia, hoc est, sapientia Dei arcana. In hac ergo mysticae theologiae serena nocte sperat anima videre « *El soto, y su donayre* » (48). Verba eius accipe (49): *Por el soto entiende aqui á Dios con todas las criaturas, que en él estan; porque assi como todos los arboles, y plantas tienen su vida, y raiz en el soto, assi las criaturas celestes, y terrestres tienen en Dios su raiz, y su vida. Esto pues dice el alma, que alli la* (50) *mostrará á Dios, en quanto es vida, y ser á todas las criaturas, conociendo en él el principio, y duracion de ellas, y á ellas; porque sin él no se le da al alma nada, ni estima conocellas por via espiritual. El donayre del soto desea tambien mucho el alma ver, el qual es la gracia, sabiduria y donayre que de Dios tiene, no solo de cada una de las criaturas, sino la que hazen entre si en la correspondencia* (51) *sabia, y ordenada de unas á otras, assi superiores, como inferiores: lo qual es conocer en las criaturas por via contemplativa, que es cosa de gran deleyte, porque es conocer acerca de Dios.* Quae latinitati donata sic se habent: Per saltum hic anima intelligit Deum cum omnibus creaturis, quas ipse ut omnium earum causa continet ; quia sicut omnes arbores et plantae vivunt et radicantur in nemore, sic omnes creaturae a Deo suam originem trahunt et in ipso vivunt. Hoc ergo dicit anima, quod in illa serena nocte contemplabitur Deum, in quantum omnibus creaturis confert vitam et esse; cognoscens in ipso Deo non solum creaturas, sed etiam principium et durationem earum; quia sine cognitione Dei pro nihilo habet anima creaturarum cognitionem (52). Valde quoque desiderat, anima videre saltus seu nemoris pulchritudinem; quae nihil aliud est, nisi gratia, sapientia et providentia, quam Deus habet nedum cum creaturis singulis, verum etiam, et maxime, cum omnibus, quatenus inter se connexae sibimetipsis correspondent, et hae in illas ordinantur ; ac tandem in sui primam causam referuntur. Quod est cognoscere in creaturis per viam contemplationis, et hoc est deliciosissimum animae (53). In hac ergo supernae con-

---

4; ed. crit., t. II, p. 364 legitur: *Esta noche es la contemplación en que el alma desea ver estas cosas: llámala noche, porque la contemplación es oscura, que por eso se llama por otro nombre mistica theologia, que quiere decir, sabiduria de Dios secreta ó escondida.*

(48) In I ed. legitur: « Nox ista (inquit) in qua anima videre desiderat haec omnia, contemplatio est, quam contemplatio est obscura, quapropter appellatur alio nomine mystica Theologia, quod vult dicere, sapientia abscondita, et occulta Dei. In hac ergo mysticae theologiae serena nocte sperat anima videre *el soto, y su donaire:* Sepimentum, eiusque comitatem. Hoc est, explicat Sanctus Doctor, Deum, et omnia, quae in Deo radicantur, et ab ipso sunt ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: « ...mystica Theologia, quod significat, sapientiam absconditam, et occultam Dei... ».

(49) Hic textus est ex *El Primer Cántico espiritual*, canc. XXXVIII, v. 3; ed. crít., t. II, p. 609-610. — Aliter legitur in *El Cántico espiritual* (II escritura), canc. XXXIX, v. 3; ed. crit., t. II, p. 363-364:

Por el Soto, por cuanto cria en si muchas plantas y animales, entiende aqui á Dios en cuanto cria y da ser á todas las criaturas, las cuales en él tienen su vida y raiz, lo cual es mostrarla Dios y dársele á conocer en cuanto es Criador. Por el donaire de este Soto, que también pide al Esposo el alma aqui para entonces, pide la gracia y sabiduria, y la belleza que de Dios tiene, no sólo cada una de las criaturas, asi terrestres como celestes, sino también la que hacen entre si en la correspondencia sabia, ordenada, grandiosa y amigable de unas á otras, asi de las inferiores entre si, como de las speriores también entre si, y entre las superiores y las inferiores: que es cosa que hace al alma gran donaire y deleite conocerla.

(50) « *alli se mostrará* » in ed. crit., t. II, p. 609.

(51) « *respondencia* » l. c., p. 610.

(52) « *cognitione* » in IV ed.

(53) In I ed. legitur: « Per sepimentum hic intelligitur Deus cum creaturis cunctis in ipso existentibus: nam sicut arbores, plantaeque omnes suam vitam, et radicem in sepimento habent, ita similiter creaturae coelestes, et terrenae in Deo suam vitam, radicemque tenent. Hoc igitur ait anima, ei illic Deum manifestandum esse, quatenus est vita, esseque omnium creaturarum, in illo recognoscens principium, et durationem earum, etiamque eas; quia sine illo nihil animae confertur, neque aestimat per spiritualem viam illas cognoscere. Comitatem etiam sepimenti multum desiderat anima videre, quod est gratia, sapientia et comitas, quam de Deo habet, et non solum cuiuscumque creaturarum, sed etiam eam, quam inter se in mutua, scientifica, ordinataque respondentia unarum ad

templationis serena nocte anima oceanum Deitatis ingressa in eius altitudine incomprehensibili ipsam Deitatem intuetur, et quidquid ab ipsa vel dimanat, vel causatur admirans videt. Ipsa tamen Dei quidditas est id, ratione cuius haec omnia attinguntur.

52. Quae ut perfectius dignoscas et theologiae mysticae naturam cognoscere incipias, observare debes animam contemplativam unitam Deo supponi. Non enim potest theologia mystica exerceri, quin anima Deo supponatur unita vel media fide in praesenti, vel media visione beatifica in patria; unde hunc ipsum Deum, cui vel fide, vel beatifica visione unimur, per mysticam theologiam contemplamur. Hoc aeque certum est ac quod theologia mystica est theologia, de cuius ratione est, quod fidem supponat in solo et claram visionem in caelo. Supposita ergo fide veluti primo principio cui innititur, incipit theologia scholastica deducere suas conclusiones. Et ratio formalis constitutiva obiecti theologiae scholasticae in esse rei est ipsa, qua constituitur fidei obiectum. Utriusque enim est Deitas ratio formalis *quae,* ut docent nostri Salmanticenses, tract. XVII, disp. 1, dub. 1, §. 4 (54) et tract. XIX, disp. 2, dub. 2 (55) et alibi. Ad hunc ergo modum theologia mystica supponit fidem et idipsum, quod fides docet, introspicit mediis donis Spiritus Sancti. Unde iam non ducitur extrinseco testimonio dicentis, sed intrinseco experimento, cuius dicta dona causae sunt; atque adeo sicut theologia scholastica veritates fidei multoties attingit non propter dicentis extrinsecum testimonium, est quippe scientia, sed propter connectionem quam extremitates inter se dicere invenit in logico artefacto, quo utitur; sic theologia mystica non extrinseco testimonio ducta, sed experimentali notitia qua gaudet, idipsum, quod fides docet, degustat; et sicut fides habet pro ratione formali *quae* Deitatem, sic et mystica theologia.

53. Si dicas hinc haberi, quod attributa sint obiecta secundaria mysticae theologiae. Respondetur (56): Vanum prorsus esse in hac anili obiectione solvenda tempus insumere ; cum idipsum possit dici et vere dicatur de theologia scholastica tam viatorum, quam beatorum, de ipsa increata scientia ac de fide. Videantur citati Salmanticenses, loco citato ex tract. XVII, num. 30 (57) et tract. III, disp. 3, dub. 2, num 34 (58), qui cum Ferrara, I *Contra gentes,* a cap. 48, ratione 1 (59), dicunt attributa non esse proprie obiectum primarium intellectionis essentialis Dei, nec fidei, etc; quia licet per se attingantur, non tamen sunt ipsa ratio *sub qua* cetera ad virtutem cognoscitivam referuntur. Sed nec sunt proprie obiectum secundarium; quia obiectum secundarium proprie dictum differt realiter a primario. Unde non sunt secundarium, quia non cognoscuntur in alio realiter diverso et prius cognito. Nec sunt primarium; quia ratione alterius munus rationis *sub qua* seu obiecti formalissimi habentis cognoscuntur.

54. Arguitur *tertio:* Deus est obiectum mysticae theologiae sub ratione Veritatis. Ergo non sub ratione Deitatis. Consequentia nota est et antecedens proba-

alteras, sive superiores, sive inferiores sint, faciunt; quod igitur est agnoscere per viam contemplationis in creaturis, etiamque magnae voluptatis est, quia circa Deum cognitio est ».

In ed. Neapol. ut in I, praeter: «... Hoc igitur ait anima: Illic ei Deus manifestabitur, quatenus est vita, et esse omnium creaturarum: in illo recognoscens principium et durationem earum; quia sine Deo, pro nihilo creaturas ac illarum cognitionem aestimat etiam per viam spiritualem; Comitatem quoque sepimenti multum desiderat anima videre; Haec comitas, non solum est gratia, sapientia, et ordo, quem Deus habet cum creaturis, et creatura quaelibet cum Deo, sed insuper comitas haec consistit in gratia, et ordine creaturarum inter se; seu in illa scientifica ordinataque correspondentia creaturarum unius ad alteram, sive superiores, sive inferiores sint; Hoc equidem noscere in creaturis per viam contemplationis res est magnae voluptatis; quia est cognoscere creaturas apud Deum ».

(54) Ed. V. Palmé, t. XI, pp. 13 sqq.

(55) Tract. XIX, disp. II, dub. 1, §. 1, num. 1; ed. cit., t. XII, p. 46a.

(56) Ed. I et Neapol.: « respondeo ».

(57) t. XI, p. 16.

(58) et num. 35; t. I, pp. 398b-399a.

(59) Ed. Leonina *operum omnium D. Thomae,* t. XIII, p. 140 sq.

tur : Sub illa ratione attingit mystica theologia Deum, quae ponitur in eius definitione ut illius differentia. Sed ponitur sub ratione Veritatis; est quippe *simplex intuitus veritatis.* Ergo.

Respondetur ex laudatis Salmanticensibus, dicto tract. XVII, disp. 1, dub. 2, num. 53 (60), distinguendo antecedens: *Veritatis* in essendo, concedatur; in cognoscendo seu in dicendo, negetur antecedens. Dari in Deo veritatem in essendo, in cognoscendo et in dicendo, suppono; ex quibus veritas in essendo est omnino indistincta a Deitate ipsa. Nihil aliud explicatur per veritatem in essendo, nisi Deitas ipsa prout diversa est a deitate falsa; et haec Veritas seu vera Deitas est quae ponitur in definitione contemplationis; unde nihil contra nos sequitur.

55. Dices: Verba definitionis accipienda sunt in sensu omnino proprio. Sed sensus proprius et omnino rigorosus illius verbi *Veritatis* non est Deitas. Ergo non significat Deitatem.

Respondetur negando minorem. Veritas enim omnino proprie significat primam veritatem in essendo; quia per hoc quod alias significet, non sequitur quod non significet istam. Et quamquam ponatur veritas in definitione theologiae mysticae seu contemplationis ut praedicatum differentiale, non inde infertur fore rationem *sub qua* specificativam habitus constitutivamque obiecti in esse obiecti. Cuius rei exemplum habemus in virtutum principe, caritate, quam definit Magister in III *Sent.*, dist. 27 (61), per hoc quod sit : *Virtus, qua diligitur Deus propter se et proximus propter Deum, et in Deo.* In qua definitione ter Deus auditur, nunquam tamen sub ratione Deitatis; haec enim non est ratio constitutiva obiecti caritatis in esse obiecti, sed bonitas divina, uti vidimus num. 49. Ponitur tamen Deus in eius definitione, quia Deus est obiectum specificationis caritatis, licet non specificet sub ratione Deitatis. Sic ergo veritas in essendo seu vera Deitas ponitur in definitione mysticae theologiae; ratio autem *sub qua* a qua veritas in essendo habet unde speciem tribuat, non exprimitur, nec debuit; quia definitiones debent succincte comprehendere, quae pertinent ad notiones definitorum; et hoc potius salvatur, dum ponitur obiectum *quod* formale, quam si ponatur sola ratio *sub qua.* Et ratio huius ea videtur esse, quod obiectum *quod* dicit et rationem *sub qua,* et rationem *quae;* unde omnia unico verbo comprehenduntur pro laconica definitionum praxi, et ut possunt, quae debent exprimi, proponuntur.

56. Instas: Veritas posita in definitione theologiae mysticae dicit ordinem ad intellectum. Sed Deitas talem ordinem non dicit. Ergo veritas prout in tali definitione ponitur, non est omnino idem cum Deitate. Maior est D. Thomae, I^{a} p., quaest. 16, art. 3 et maior certissima est.

Respondetur minorem esse falsam loquendo de vera Deitate, prout certe loquimur in praesenti, ut diximus numero 54. Deitas enim vera est perfectiva intellectus; atque adeo dicit ordinem ad illum. Quod loco citato ex I^{a} p., docet Caietanus dicens (62): *Nec propterea ponimus verum in re absque ordine ad intellectum: sed ponimus primo ens, deinde ens, ut perfectivum intellectus, et tertio intelligibile: quoniam intelligibile est, quia verum est, et non e contra. In hoc autem, quod est esse perfectivum intellectus manifeste patet ordo ad intellectum.* Videantur PP. Salmanticenses, tract. et disp. dictis, dub. 1, num. 32 (63). Unde veritas, quae in definitione mysticae theologiae ponitur, omnino indistincta est a Deitate.

57. Replicas: *Idem est subiectum principiorum, et totius scientiae, cum tota scientia virtute contineatur in principiis,* ait D. Thomas, I^{a} p., q. 1, art. 7. Sed

(60) t. XI, p. 25.

(61) Ed. Vivès *operum omnium D. Thomae*, t. IX, p. 417a:... *vel in Deo.*

(62) *In Primam,* q. 16, a. 3; ed. Leonina, t. IV, p. 211b, num. VI.

(63) t. XI, p. 17a.

fidei articuli sunt principia mysticae theologiae, ut inibi docet idem Angelicus Doctor; et fidei articuli ipsaque fides habent pro ratione formali veritatem in dicendo, quae non est omnino idem cum Deitate. Ergo.

Respondetur, omissis aliquorum solutionibus, breviter distinguendo minorem pro secunda parte, *pro ratione formali sub qua,* concedatur; *pro ratione formali quae,* negetur. Nec aliquid aliud expendi debet in huius minime urgentis replicae solutione. Itaque fatemur articulos fidei esse nostrae theologiae principia, ipsamque fidem esse relate ad ipsos veluti habitum primorum principiorum, ex quo sequitur quod idem sit omnium obiectum *quod* et ratio *quae* et ita evenit, ut ex superioribus constat. Non autem sequitur quod habeant eandem rationem *sub qua,* de qua, ut praemonuimus et de se patet, non loquimur in praesenti; ut autem sciamus quaenam illa sit, exsurgat

QUAESTIO QUARTA

Utrum ratio sub qua obiecti theologiae mysticae sit principium elicitivum ipsius?

Post formam obiecti in esse rei, formam obiecti in esse obiecti examinandam suscipimus, in quo gravissimi ponderis difficultates latere examen ipsum monstrabit.

§. 1. Veritas tenenda statuitur.

58. In praesenti difficultate duplex invenitur sententia. Prima tenet rationem *sub qua* mysticae theologiae esse lumen a quo elicitur; sive illud lumen sit habitus fidei, sive donum sapientiae, aut scientiae, aut intellectus aliudve ipsis donis eminentius. Sic sentiunt magni nominis mystae: Vallgornera, quaest. 1 prooemiali, art. 2, num. 2 (1); N. Philippus a Trinitate in sua *Theologia mystica,* discursu prooemiali, art. 2 (2); N. Antonius a Spiritu Sancto in suo *Mystico Directorio,* sect. 2 (3). Hoc unum in his auctoribus desidero, quod suum istud placitum probarent; sed non faciunt, illud nude proponentes veluti silentio Pythagorico adorandum. Secunda sententia oppositum affirmat et hoc pro conclusione nostra firmandum; quare

59. Sit nostra conclusio: *Principium elicitivum theologiae mysticae non est ratio sub qua suum obiectum attingit.* Hanc statuo contra auctores primae sententiae, eamque probo ratione nostrorum Salmanticensium, tract. XVII, disp. 1, dub. 2, num 50 (4). Ratio formalis *sub qua* est forma constitutiva obiecti in esse obiecti seu principii specificativi habitus. Principium elicitivum mysticae theologiae non potest esse forma constitutiva obiecti illius in esse obiecti. Ergo non est ratio *sub qua.* Consequentia bona est. Maior admittitur ab adversariis; et minor probatur: Forma constitutiva obiecti se tenet ex parte obiecti. Principium elicitivum theologiae mysticae non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte potentiae, quam intrinsece actuat idoneamque reddit ut in obiectum eat. Ergo non est ratio *sub qua* mysticae theologiae.

60. Confirmatur primo: Causa efficiens mysticae theologiae non est eius ratio *sub qua.* Principium elicitivum mysticae theologiae est eius causa efficiens. Ergo non est ratio *sub qua.* Ce-

(1) *Mystica theologia Divi Thomae,* disput. prooemial., q. 1, art. 2, num. 9; ed. 1911, t. I, p. 8.
(2) *Summa theologiae mysticae,* Part. I, discurs. prooem., art. 2; ed. 1874, t. I, p. 25.
(3) Tract. I, disp. 1, §. 2, num. 22; ed. 1904, pp. 9-10. — Cf. infra *Appendix.*
(4) t. XI, p. 24.

tera nota sunt; et maior probatur: tum, quia ratio *sub qua* est causa formalis extrinseca; atque adeo cum idem non possit esse simul causa efficiens et formalis, non potest efficiens esse ratio *sub qua;* tum etiam, quia ratio *sub qua* mysticae theologiae ei tribuit speciem, quod alienum prorsus est ab efficienti; causa enim efficiens speciem non tribuit. Ergo, etc.

61. Confirmatur secundo : Principium actionis non est eius terminus; sicut principium seu terminus *a quo* motus non est eius terminus *ad quem.* Sed principium elicitivum mysticae theologiae est principium a quo exit, et ratio sub qua est terminus in quem tendit. Ergo principium elicitivum non est ratio *sub qua.*

62. Probatur secundo conclusio: Theologia mystica habitualis et actualis habent eandem omnino rationem *sub qua,* sicut et idem obiectum *quod.* Sed principium elicitivum theologiae mysticae nequit esse ratio *sub qua* theologiae mysticae habitualis. Ergo nec actualis. Ergo nullius. Minor, de qua forsan posset aliquis dubitare, probatur: quia principium elicitivum theologiae mysticae est ipsa mystica theologia habitualis. Ergo tenet minor; alias esset suiipsius ratio *sub qua.* Et sane theologia mystica habitualis apud omnes est vel fides, vel aliquod ex donis Spiritus Sancti, vel aliquod donum elevatius. Haec nomine mysticae theologiae habitualis communiter dignoscuntur. Unde constat repugnare quod idem principium sit ratio *sub qua.* Quid enim magis dissonum, quam asserere donum sapientiae, v. g., esse suiipsius rationem *sub qua?*

63. Confirmatur: Specificativum potentiae ut elevatae est idem ac specificativum habitus potentiam elevantis ad elicientiam mysticae theologiae; quod ita verum est ut nemo negare audeat. Unde cum habitus potentiam actuans vel elevans ad elicientiam mysticae theologiae sit eius principium elicitivum, non potest seipsum specificare; atque ideo nec potentiam, nec mysticam theologiam actualem. Quomodo ergo vel respectu cuius hoc principium elicitivum est specificativum seu, quod idem est, ratio *sub qua ?*

§. II. Obiectiones contra dicta solvuntur.

64. Si adversarii suum dictamen stabilirent, et ab auctoritate seu a ratione firmarent, et obiectionibus emergentibus responderent, motivum nobis darent quo certius procederemus. Verum, uti numero 58 dicebamus, ita nudum illud proponunt ac si res foret fide sancta vel doctorum omnium calculo sancita. Nec fundamenta cudunt, quibus assertum subobscurum firment; nec fabricant argumenta, quae solvant. Quod (cum, vel semel offensum, nimis onerosum esset) frequentissime offendimus in hac tenebricosa materia, unde multoties cogimur divinare. Forsan huius opinionis Patroni sententiam subsistent egregii Mag. Bañez, qui II^{a} II^{ae}, quaest. 1, art. 1, notabili 3 et conclusione 6 (5) duplicem rationem formalem in habitu cognoscitivo agnoscit, aliam se tenentem ex parte obiecti, aliam vero (in quo praesens controversia consistit) ex parte potentiae, cuius opinionis auctorem esse D. Thomam asserit. Rationes praedicti Magistri enodabimus; quia certe nobis est in hac parte contrarius, quidquid sit, an mystae, quos nunc adversarios habemus, illis argumentis uti velint; aliis suum placitum communiant, si nolunt. Prius autem aliquot obiectiones, a nobis dicta impugnantes, solvemus.

65. Obiicies primo contra fere omnia quae diximus: quia adversarii non ponunt in theologia mystica unicam rationem *sub qua,* quae quidem se te-

(5) Ed. Duaci, 1615, t. III, p. 5a F et p. 6a E, F.

neat ex parte potentiae; sed duplicem, quarum prima se habet ex parte principii; secunda vero ex parte obiecti, cuius in nostris probationibus non meminimus; unde insufficienter processimus. Haec autem ratio formalis ex parte obiecti se tenens est in quam theologia mystica tendit, et forma constituens obiectum *quod*, aliaque munia habet sibi propria et ab illa prima, contra quam argumentati sumus, extranea. Ergo a nobis dicta nullatenus probant talem rationem *sub qua* eliminandam iri.

66. Confirmabis: quia virtus elevans potentiam ad elicientiam mysticae theologiae proprie dicitur ratio *sub qua* ex parte potentiae se tenens, ut ex nobiscum sentientibus tenet *Disceptatio mystica*, tract. III, quaest. 3, art. 1, num. 5 (6). Sed hoc et non aliud intendit sententia opposita. Ergo.

Respondetur ad obiectionem: ita esse quod adversarii duplicem illam rationem constituunt et quod nos meminimus primae solum; quia dissidium circa illam est, non circa aliam quae ex parte obiecti constituitur. De illa autem prima dicimus, non posse esse dicive rationem *sub qua* propter illa omnia, quae adduximus et alia, quae subticemus. Unde dicimus quod ratio non constituens obiectum *quod* illudque formalisans non est specificativa potentiae; atque adeo nec ratio *sub qua*.

Ad confirmationem fatemur illam esse illius auctoris intelligentiam, eam tamen neutiquam probamus. Virtus enim elevans nulla ratione potest dici ratio formalis.

67. Obiicies secundo contra dicta num. 62: Actus potentiae vitalis sive activae, sive passivae essentiatur a principio activo. Sed theologia mystica actualis seu contemplatio est actus potentiae activae, cuius principium activum est ipsa potentia et habitus illam elevans. Ergo ab illis habet speciem. Minor et consequentia sunt certissimae. Maior autem probatur primo ex Philosopho, III *Physic.* (7), definiente actionem per hoc quod sit: *Motus prout ab agente*. Ubi ordo ad principium activum reduplicatur ut id, a quo speciem actio desumit. Quod de omni agentis causalitate verum est: sive sit actio de praedicamento actionis, sive non; sive sit actus potentiae activae, sive passivae; in quo neminem dubitare credimus. Probatur secundo eadem maior ex D. Thoma, qui pluribus in locis eam docet; solum adducimus verba ex I[a] parte, quaest. 14, art. 5, ad 3, ubi ait: *Omnis operatio specificatur per formam, quae est principium operationis, sicut calefactio per calorem*. Probatur tertio: quia haec est expressa doctrina nostrorum Complutensium, qui in sua *Logica veteri*, disp. 16, quaest. 2, num. 12 (8), dicunt: *Ex dictis infertur primo specificationem actionis sumendam esse a principio*. Ergo vera est illa maior.

68. Ut his et similibus respondere possis, observare debes primo quod iam non semel insinuavimus, nempe potentias animae alias esse activas et passivas alias. Inter quas hoc interest, quod potentia passiva respicit terminum suae habitudinis ut obiectum motivum; atque adeo non potest in operationem exire quin ab obiectis moveantur aliquid ab ipsis recipientes, medio quo complentur idoneaeque redduntur ut possint suos actus elicere. Hoc autem, quod obiecta potentiis vitalibus passivis imprimunt, est virtus ipsorum obiectorum eorumque vicaria; atque ideo ex parte ipsorum se tenet. Potentia autem vitalis activa antequam agat, nihil patitur seu recipit ab obiectis; eo quod non respicit obiecta ut motiva, sed solum ut finis terminusque propriae habitudinis. Quae est doctrina D. Thomae, II *De anima*, lect. 6 (9), dicentis: *Omnis enim animae operatio, vel est actus potentiae activae, vel passivae: obiecta quidem potentiarum passivarum comparantur ad operationes*

(6) ANTONIUS AB ANNUNTIATIONE, ed. 1683, pp. 240-241.
(7) *III Physic.*, cap. 3, n. 5 ; ed. Didot, t. II, p. 276; Bekk., 202b, 20 sqq.
(8) Ed. 1629, t. I, p. 353a.
(9) Ed. Vivès, t. XXIV, p. 76a.

earum, ut activa; quia reducunt potentias in actum, sicut visibile visum, et omne sensibile sensum: obiecta vero potentiarum activarum comparantur ad operationes ipsarum, ut fines. Idem docet Angelicus ipse Praeceptor, I[a] p., quaest. 77, art. 3, per haec verba: *Obiectum autem comparatur ad actum potentiae passivae, sicut principium, et causa movens; color enim in quantum movet visum, est principium visionis. Ad actum autem potentiae activae comparatur obiectum, ut terminus, et finis, sicut augmentativae virtutis obiectum est quantum perfectum, quod est finis augmenti.*

69. Ceterum et observa secundo, quod licet obiectum potentiae vitalis activae non sit motivum, sed solum habeat rationem termini et finis, ut dictum est ; nihilominus tamen cum potentiae mediis suis actibus essentientur ab obiectis, uti cum D. Thoma et communi philosophorum doctrina tenent nostri Complutenses abbreviati, libro II *De anima,* disp. 6, quaest. 1 (10); propterea talis terminus aliquomodo praeintelligitur in potentia, ut haec possit medio suo actu in illum terminum ire. Quod vel de vitae expertibus verum est; centrum enim in gravi veluti praeintelligitur, ut illud ad se trahat.

70. Observa tertio cum dictis Complutensibus, loco citato, numero 6 (11), actum potentiae vitalis posse sumi vel in esse entis, vel in esse tendentiae respectusque inter agentes et terminum. Primo modo dicit seipsum prout habet esse ab agente; secundo modo dicit seipsum prout est id, medio quo agens proprium obiectum consequitur. Unde licet respiciat agens, non tamen ibi sistit, sed illud ducit ad suae habitudinis terminum ultimum; primus enim terminus potentiae operativae est ipsa operatio; quippe propter operari instituta est talis potentia. Quamobrem potentia speciem sumit ab actu in esse actus et tendentiae; actus autem ab obiecto. Quibus praelibatis,

71. Respondetur ad obiectionem negando maiorem. Ad primam probationem dicas: vel ibi sumi actionem in esse rei secundum dicta numero praecedenti; vel sumi principium actionis ut praehabet obiectum in specie, quam ei imprimit, ut patet in potentia passiva, iuxta dicta numero 68, seu ut aliquomodo praehabet, iuxta dicta numero 69. Sic autem specificari a principio idem prorsus est ac speciem a termino delibare. Videantur laudati Complutenses, numero 6 (12), sic doctrinam in *Logica* traditam explicantes. Per quod patet ad tertiam maioris probationem.

72. Ad secundam dicas: fas non esse de mente S. Thomae in hac parte dubitare; in illo siquidem articulo (13) inquirit : *Utrum Deus cognoscat alia a se?* Et contra affirmativam eius resolutionem ponitur argumentum tertium intendens probare Deum alia a se intelligere haud posse; quia cum intellectio specificetur ab intelligibili, si Deus alia a se intelligit, iam divina intellectio ab illo creato intelligibili speciem habebit. Hoc est argumentum factum contra angelicum assertum. Cui D. Thomas respondet (14): *Per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quae facit intellectum in actu, et haec est species principalis intellecti, quae in Deo nihil est aliud, quam essentia sua.* Ecce specificativum operationis ponitur species, quae est forma ex parte obiecti se tenens. Nec te moveat exemplum illud, quo utitur Angelicus Doctor dicens : *Sicut calefactio per calorem.* Hoc enim exemplum inducitur ad ostendendum, quod sicut calefactio speciem habet per calorem, qui est principium ipsius; sic et intellectio seu contemplatio specificatur a specie immissa ab obiecto, quae etiam est forma et principium contem-

(10) i. e. IOANNES AB ANNUNTIATIONE, C. D., *Artium Cursus...;* ed. Lugduni, 1670, t. IV, pp. 82a-88a.
(11) t. IV, pp. 87b-88a.
(12) *ib.*
(13) Ia, q. 14, a. 5.
(14) Ia, q. 14, a. 5, ad 3.

plationis; atque adeo, sicut obiectum contemplatum est vel per se, vel media sui specie in potentia; sic terminus productus per calefactionem est aliquomodo in virtute calefactiva iuxta dicta numero 69. Adde, esse inconcussum in via D. Thomae potentiam immediate operativam specificari ab operatione, sic enim docet I[a] p., quaest. 77, art. 3 (15) dicens: *Potentia secundum id, quod potentia dicitur, ordinatur ad actum: unde oportet rationem potentiae accipi ex actu ad quem ordinatur.* De quo videre poteris nostros Complutenses abbreviatos, tum loco citato ex libro *De anima* (16); tum in *Physica,* disp. 10, q. 2 (17). Unde cum hic asserit Angelicus Doctor calorem dare speciem calefactioni, vel loquitur de calefactione in esse rei iuxta praemissa num. 70, vel, ut modo dicebamus, loquitur de potentia prout terminum aliquomodo praehabente. Quidquid autem sit de hac actione vitae experte, mentem D. Thomae pro nostra contemplatione clarissimam habemus.

73. Dices (18) : Contemplatio iuxta dicta in aliquo vero sensu specificatur a principio eliciente. Ergo nullatenus hoc principium specificatur a contemplatione, nec illa media ab obiecto. Probatur consequentia: quia licet idem possit esse causa et effectus in diverso genere causae, non tamen in eodem. Ergo si contemplatio est effectus principii elicientis in genere causae formalis extrinsecae et specificativae, non potest in eodem genere esse causa sui principii.

74. Urgebis: Contemplatio iuxta dicta in aliquo vero sensu specificatur a principio eliciente. Ergo ex parte principii datur ratio *sub qua* specificativa contemplationis, quod hactenus negavimus.

Respondetur ad primum: contemplationem in esse entis esse et dicere conceptum accidentis, de cuius ratione est quod subiectum respiciat per ordinem ad quod habet esse. Insuper dicit propriam realitatem, quam a suo principio effective habet, per quod in sua proprie specie collocatur. Ac denique est respectus transcendentalis principii ad obiectum seu terminum. Primo modo esse habet a subiecto ad quod inalietas essentialiter terminatur. Secundo modo speciem habet a principio in genere tamen efficientis. Tertio autem modo essentiatur ab obiecto in genere causae formalis, quod genus causae est quod proprie speciem refundit, ac de eo loquimur in praesenti. Et hoc modo dare speciem alienum prorsus esse ab efficienti diximus num. 62. Unde licet contemplatio quoad sui realitatem specificetur a principio, non est in eodem genere causae ac ipsa principium specificat. Videantur nostri Complutenses in sua *Logica,* disp. 14, quaest, 7, num. 88 (19) et istae contemplationis seu actionis considerationes notiores fiunt, si ipsius principium inspiciamus. Etenim intellectionis principium est intellectus, qui ut accidens inalietatem dicit; ut proprietas principium a quo dimanative producitur, respicit; et ut potentia totus in obiectum tendit. Ut autem has similesque instantias inanes esse demonstres, memento in praesenti supponi debere veritatem illius philosophici asserti, nempe potentias specificari a suis actibus quos eliciunt, et iis mediis ab ipsorum obiectis formalibus, de quo N. Complutenses abbreviati, *De anima,* disp. 6, q. 1 (20); in illo ergo sensu, in quo principium elicitivum actionis ab ipsa specificatur, ipsaque actio et principium ab obiecto, loquimur nunc de contemplatione ac habitu eliciente illam; et in ipso sensu sumitur ab auctoribus contrariae opinionis; siquidem dicunt rationem illam *sub qua,* quam ponunt ex parte potentiae, modificari et

(15) Ed. Leonina, t. V, p. 241a: *Potentia, secundum illud quod est potentia, ordinatur ad actum. Unde...*

(16) *In lib. II De anima,* disp. 6, q. 1; ed. 1670, t. IV, pp. 82a-88a.

(17) *In lib. II Physicorum,* disp. 10, q. 2; ed. 1670, t. II, p. 160; cf. praesertim num. 6, pp. 160b-161b.

(18) Ed. I et Neapol.: « *dicis* ».

(19) Ed. 1629, t. I, p. 333.

(20) *In lib. II De anima,* disp. 6, q. 1; ed. 1670, t. IV, pp. 82a-88a.

quasi formalisari a ratione *sub qua,* quae ex parte obiecti se tenet, ut videre est apud citatum Bañez (21).

Ad urgentiam dicas: illam specificationem esse in genere efficientis, de qua non loquimur. Et haec specificatio nec dicit rationem *sub qua;* nec etiamsi illam diceret, posset deservire adversariis autumantibus, ut modo vidimus, illam rationem formalisari ab ea, quae est ex parte obiecti, ex quibus unica adaequata ratio *sub qua* conflatur. Hoc, inquam, adversariis deservire non potest; quia dum concipitur ratio *sub qua* ex parte obiecti, principium actionis non est eius specificativum, sed potius specificatum ab ipsa et ab obiecto.

75. Obiicies tertio contra dicta num. 63: Principium contemplationis potest esse terminus illius. Ergo ratio *sub qua* contemplationis non repugnat ex parte principii. Patet ista: eo enim repugnaret, quia principium et obiectum diversa forent. Et antecedens probatur primo: Actio immanens terminatur ad principium, quod illam elicit. Contemplatio est actio immanens. Ergo principium eius illam terminat. Consequentia est bona; et utraque praemissa probatur simul auctoritate D. Thomae, quaest. 8 *De veritate,* art. 6 (22), ubi ait: *Duplex est actio, una, quae procedit ab agente in rem exteriorem, quam transmutat, et haec est sicut illuminare; alia vero actio est, quae non procedit in rem exteriorem, sed stat in ipso agente, ut perfectio ipsius, et proprie dicitur operatio, et haec est sicut lucere... Actio autem appetitus, et sensus, et intellectus non est sicut actio progrediens in materiam exteriorem; sed sicut actio consistens in ipso agente, ut perfectio eius.* In quibus verbis clarissime docet Angelicus Doctor, tum quod contemplatio, utpote quae est actus intellectus, est actio immanens; tum etiam quod recipitur in principio illam eliciente; unde ipsum principium est terminus ipsius contemplationis; siquidem terminat totum eius influxum.

Probatur secundo idem antecedens; quoniam principium actionis reciprocae seu reflexae est terminus ipsius actionis, ut cum quis seipsum cognoscit; uti observant nostri Salmanticenses, tract. XXI, disp. 5, num 14 (23). At contemplatio est actio reflexiva. Ergo non implicat, quod principium eam eliciens ipsam terminet. Ergo nec implicat, quod ratio *sub qua* ipsius sit ex parte principii. Cetera nota sunt; et minor non tam probatur quam aperitur: etenim potest quis assumere prò materia contemplanda ipsum principium elicitivum contemplationis, v. g., ipsum sapientiae donum; tunc ergo donum sapientiae est a quo elicitur contemplatio et in quem ipsa contemplatio terminatur; unde constat nullam dari repugnantiam in eo quod contemplatio supra suum principium reflectens ad ipsum contemplandum convertatur; sicut et potest supra seipsam reflectere et seipsam contemplari.

Respondetur primo ad obiectionem, omisso antecedenti, negando consequentiam, quam eius probatio non suadet. In illo enim casu, sicut diversa est formalitas principii et formalitas termini, sic diversum est principium a termino. Unde nunquam ratio *sub qua* se tenet ex parte principii, nisi ad summum materialiter; quatenus scilicet in eadem entitate materiali coniungi casu possunt et ratio termini et ratio principii. Per quod solvitur obiectio. Et sane cum illa indistinctione principii et termini aegre salvandam duplicem rationem *sub qua,* quas adversarii firmare adnituntur, certum est.

Respondetur secundo negando antecedens. Ad primam probationem dicendum est quod licet actio immanens subiectetur in principio, eius tamen obiectum et terminus non est principium. Quis autem sit terminus actionis immanentis infimae classis vide apud nostros Complutenses abbreviatos, *De anima,* disp. 4, quaest. 1, num. 5 (24). Obiectum vero actionis immanentis perfectae, v. g.,

(21) l. c. (cf. supra num. 64).

(22) Ed. Vivès, t. XIV, p. 493a:... *sicut illuminare; quae etiam proprie actio nominatur. Alia vero actio... et haec proprie dicitur...*

(23) dub. 1, num. 14; t. XIII, p. 495b.

(24) Ed. 1670, t. IV, p. 43.

contemplationis, non est principium eliciens, nisi ad summum secundarium ; primarium est Deus, ut vidimus quaest. 3. Unde ipse Deus vel in se, vel in sua specie terminat contemplationem, sicut et ipse Deus vel per se, vel per suam speciem impressam unitur intellectui ut contempletur. Quod autem contemplatio recipiatur in principio eliciente, nullam contradictionem dicit; potest enim idem sub una formalitate esse agens et sub alia patiens; esse tamen suiipsius primarium obiectum contemplandum non est dabile. Per quod patet ad secundam antecedentis probationem.

Respondetur enim: quod terminus seu obiectum primarium actionis reciprocae, qualis est contemplatio, est id propter quod attingit seipsam suumque principium. Ipsa enim suumque principium sunt obiectum secundarium contemplationis, cuius obiectum primarium, ut probatum manet, est solus Deus, propter quem vel in ordine ad quem theologia mystica suum principium et alia creata sive directe, sive reflexe attingit. Et (25) absdubio ipsa natura actionis reciprocae ostendit ipsam esse actum secundarium potentiae, cuius obiectum primarium est idem omnino ac obiectum actus primarii. Quapropter intellectus non potest seipsum, nec suam intellectionem nisi reflexe cognoscere; nec haec cognitio est actus primarius potentiae intellectivae ; nec ista potentia potest singularia directe attingere, sed solum per quandam reflexionem, ut docent nostri Complutenses abbreviati, lib. III *De anima,* disp. 20, quaest. 5 (26) cum D. Thoma, Quaest. 2 *De veritate,* art. 6 (27) et Quaest. *De anima,* art. 20, ad 1 (28).

§. III. Argumentis contra conclusionem respondetur.

76. Post obiectiones, quae contra nostros discursus fieri possunt, sequuntur Magistri Bañez (29) argumenta contra nostram conclusionem. Arguitur *primo* ex D. Thoma, II^{a} II^{ae}, quaest. 1, art. 6, ad 2 (30), ubi clarissime opinionem nostrae contrariam adstruit hisce verbis : *Ad secundum dicendum, quod ratio formalis obiecti fidei potest accipi dupliciter. Uno modo ex parte ipsius rei creditae, et sic ratio formalis omnium credibilium est una, scilicet veritas prima, et ex hac parte articuli non distinguntur. Alio modo potest accipi ratio formalis credibilium ex parte nostri, et sic ratio formalis credibilis est, ut sit non visum, et ex hac parte articuli fidei distinguuntur.* Ex quibus verbis haec ratio contra nostrum assertum conficitur. Fides actualis habet duplicem rationem *sub qua,* ex quibus una se tenet *ex parte nostri* seu potentiae. Ergo similiter theologia mystica actualis. Patet ista tum a paritate, tum quia, ut frequens mystarum opinio tenet, fides est principium elicitivum contemplationis.

Respondetur perspicuam adeo auctoritatem nullatenus sententiae adversae favere. Ex quo enim asserat D. Thomas non visum esse in obiecto credibili rationem formalem *ex parte nostri,* non infertur *ex parte nostri* seu potentiae habere actum fidei aliquam rationem formalem *sub qua,* quae sic appellari absolute valeat. Ita subtiliter observat Caietanus (31) annotans: *ly ex parte nostri diminuit a ratione formali obiecti simpliciter, et propterea nullo pacto valet huiusmodi argumentum: Non visum est ratio formalis obiecti fidei ex parte nostri: Ergo est ratio formalis obiecti fidei.* Ex quo sequitur, ait idem Caietanus omnino videndus, quod omnes illi, quibus Angelica haec doctrina displicuit et in illam rationem cumulum paravere, ut *non visum* non esse rationem forma-

(25) « *Est* » in I ed.
(26) Ed. 1670, t. IV, pp. 347a-350a.
(27) Ed. Vivès, t. XIV, p. 363a 364b.
(28) *ib.,* p. 154b.
(29) *In IIam IIae,* q. 1, a. 1, notabili 3; ed. Duaci, 1615, t. III, p. 5a F.
(30) Ed. Leonina, t. VIII, pp. 18b-19a:... *Alio modo potest accipi formalis ratio credibilium ex parte nostra* (ed. Piana: « *nostri* »). *Et sic...*
(31) Ed. Leon. *operum omnium D. Thomae,* t. VIII, p. 19a:... *Et propterea non valet argumentum:*

lem in fidei obiecto probarent, hostem moliti sunt, in quem procederent. Idem quippe fuit addere D. Thomam (32) ly *ex parte nostri,* ac non esse rationem formalem *sub qua* resolvere. Unde sicut illa illorum argumenta non erant, nec sunt contra doctrinam D. Thomae, sic nec textus hic est contra nos. Per quod argumenti vires fractas omnino censemus.

77. Verum debitus cultus, quem Angelico nostro Magistro sacramus, non patitur quin eius oracula medullitus inspiciamus ac pro nostra tenuitate exploremus. Duo hic ex Angelico Doctore habemus. Primum est, quod *non visum* est ratio formalis obiecti fidei. Secundum, quod haec ratio formalis est ex parte nostri. Primum quidem verum est loquendo de ratione formali per modum conditionis prorsus indispensabilis seu essentialis, non autem de ratione *sub qua* quae sit forma constitutiva obiecti. Nec enim quis assentit revelatis quia non visa seu obscura sunt, sed quia a prima veritate revelata sunt. Quod supponi nunc debet ex II^a II^{ae}, quaest. 1, art. 4; ubi Caietanus (33) et loco supra citato ex art. 6 et Salmanticenses, disp. 1, num. 93 et disp. 3, num. 59 (34) et theologi frequenter. Unde obscuritas seu *non visum* non est ratio formalis *sub qua* specificativa fidei; quia tamen haec est essentialiter obscura, propterea obscuritas est essentialis conditio fidei, quae est *argumentum non apparentium,* ut dicitur *Ad Hebraeos,* XI (35). Unde licet haec ratio se teneat ex parte potentiae, non sequitur quod ex parte eius sit aliqua ratio *sub qua;* quod nos negamus et opposita sententia satagit introducere. Solum enim est conditio seu connotatum aliquod, quamquam necessario requisitum. Quare supposito quod non est ratio *sub qua,* sed connotatum, non debent adversarii hoc textu in nos uti, monente Domino Caietano, art. 6 citato (36): *Unde in re hac meminerint disputantes, ne protervia sit in vocabulis, ex quo constat de re.*

78. Pungit adhuc: haec conditio tenet se ex parte potentiae, an ex parte obiecti? Respondetur quod ex parte obiecti se tenet. *Non visum est vere conditio obiecti fidei ex parte obiecti se tenens, ut patet ex ante dictis,* ait laudatus Caietanus (37); et nostri Salmanticenses, loco citato ex prima disputatione (38), dicunt, loquentes de fidei obscuritate: *Quae carentia cum sit pura negatio nullum sibi vendicat subiectum, quamvis nostro modo intelligendi concipiatur obiecto revelato inhaerere.* Quae doctrina communis est. Sed cum haec ita sint, cur asserit D. Thomas hanc conditionem esse ex parte nostri?

Respondetur, quod in dicto articulo 6 quaerit D. Thomas, an credibilia nostrae fidei debeant per certos aliquos articulos dividi? Ad quod affirmative respondet. Contra quam resolutionem est argumentum secundum intendens oppositum probare; eo quod credibilia nostrae fidei vel sumuntur secundum rationem formalem, et sic dividi non possunt, quia in tali ratione conveniunt; vel sumuntur secundum rationem materialem, et sic est inconveniens eorum divisio, *cum in infinitum fieri possit, unde est ab arte praetermittenda.* Huic argumento respondet Doctor Angelicus (39) verba, quae in hoc argumento nobis opponuntur, doctrinam solutionis fundans in iis, quae in corpore dixerat; reducunturque ad hoc, videlicet, quod de ratione credibilis est, quod non sit visum, et in hoc conveniunt omnia credibilia; differunt tamen in eo quod aliqua credibilia nullam novam difficultatem addunt supra alia et haec diversos articulos non constituunt; alia vero addunt novam difficultatem, et haec faciunt articulos diversos. Exemplum po-

(32) Sic enim in Neapol. editione; « *Thomas* » vero in I et IV ed.
(33) Ed. cit., t. VIII, p. 14a-16b.
(34) SALMANTICENSES, tract. XVII, disp. 1, dub. 3, num. 93; t. XI, p. 43; et *ib.*, disp. 3, dub. 2, num. 59; t. XI, p. 220a.
(35) v. 1.
(36) l. c., p. 19b.
(37 l. c., p. 19.
(38) l. c., p. 43b.
(39) IIa IIae, q. 1, a. 6, ad 2.

nit Angelicus Doctor in his credibilibus: Deus fuit passus, mortuus et sepultus, et tertia die resurrexit a mortuis. Ecce quatuor credibilia in solos duos articulos divisa. Ex tribus enim primis secundum nullam difficultatem addit supra primum, non tertium supra secundum. Ex quo enim Deus creditur passus, nulla difficultas est ut mortuus credatur et sepultus. Quod autem mortuus resurrexerit, novam difficultatem continet, et ideo ponitur novus articulus. Haec autem difficultas vincenda se tenet ex parte nostri ; quippe noster intellectus est, qui post assensum praestitum passioni, morte et sepulturae Domini, captivari de novo debet in obsequium fidei credens eundem Dominum nostrum tertia die vere a mortuis resurrexisse. Et haec est ratio, quam D. Thomas (40) habuit, ut assereret *non visum* esse ex parte nostri; loquimur enim de *non viso* prout refundit articulorum distinctionem, ut constat ex eius verbis; et prout sic *non visum* non est commune omnibus credibilibus, sed, ut dictum est, dicit novam aliam difficultatem vincendam, quae, ut ex dictis constat, se tenet ex parte nostri.

79. Nisi mavis dicere quod nostrae fidei ratio formalis est prima veritas obscure revelans. Ubi et datur prima veritas dicens et obscuritas seu non visio dictorum a prima veritate. Ex quibus prima veritas dicens nullatenus potest dici, quod est ex parte nostri, quia nec sumus prima veritas, nec loquimur; sed sumus quibus loquitur prima veritas. Ast *non visum* aliquomodo potest dici quod se tenet ex parte nostri; quia nos, qui credimus, sumus qui non videmus. Quae non impropria locutio roboratur, si sermo sit de requisitis ad divisionem credibilium in diversos articulos, de quo constat locutum D. Thomam.

80. Qui non dicit rationem formalem fidei esse duplicem: aliam se tenentem ex parte obiecti et aliam ex parte potentiae, quod requirebatur ut adversarii Sanctum Doctorem pro se adducere possent ; sed ait (41) : *Ad secundum dicendum, quod ratio formalis obiecti fidei potest accipi dupliciter.* Ecce de eadem ratione formali loquitur, et dupliciter accipi posse adstruit. Ubi est hic illa duplex ratio formalis realiter distincta, quam ex D. Thoma mentibus nostris imprimere satagit sententia opposita? Quod dicat primam veritatem esse rationem formalem, non excludit obscuritatem, sicut nec locutionem ; sed firmat primam veritatem, utique loquentem, esse rationem formalem et obscuritatem esse conditionem. Quod autem subiungat *non visum* esse rationem etiam formalem, non loquitur de non viso prout est omnium credibilium conditio necessaria; sed prout addit novam aliquam difficultatem a potentia vincendam; eoque asserit esse ex parte nostri.

81. Arguit *secundo* citatus Magister (42): abstractio a materia est ratio formalis *sub qua* scientiae attingunt suum obiectum, ut *abstractio a materia sensibili,* ait, *est ratio formalis ex parte cognoscentis in mathematicis scientiis.* Sed abstractio a materia se tenet ex parte potentiae. Ergo ultra rationem *sub qua* se tenens ex parte obiecti, datur alia ex parte potentiae. Consequentia sequitur. Minorem ut indubitatam supponit, et in solius maioris probatione spatiatur, adducens Philosophum, I *Posteriorum,* textu 42 (43), ubi D. Thomas (44) et Caietanus (45) idem docent; et Angelicus ipse Doctor clarius loquitur opusc. LXX, q. 5 (46). Nos autem maiorem illam probamus simul ex Aristotele et D. Thoma, qui libro VI *De sensu et sensato* (47) ait: *Necesse est,*

(40) *ib.*, ad 2.
(41) l. c.
(42) Bañez, l. c., t. III, p. 5a F.
(43) *I Poster.*, cap. 27; ed. Didot, t. I, p. 149; Bekk., 87a 31 sqq.
(44) *In I Poster.*, cap. 27, lect. 41; ed. Leonina, t. I, p. 303a sq.
(45) *In I Poster.*, cap. 22; ed. Venetiis, 1554, fol. 68b sq.
(46) Opusc. *In librum Boetii de Trinitate expositio*, q. 5, a. 1; ed. Vivès, t. XXVIII, opusc. LXIII, pp. 526a- 529b.
(47) *In librum De sensu et sensato,* lect. 1; ed. Vivès, t. XXIV, p. 198a: *Necesse est, quod habitus scientiarum quibus intellectus perficitur etiam distinguantur...*

quod habitus scientiarum distinguantur secundum differentiam separationis a materia: et ideo Philosophus in VI Metaphys. distinguit genera scientiarum secundum diversum modum separationis a materia.

Respondetur cum Flandria, I *Metaphys.*, quaest. 1, art. 3 (48), Araujo, ibi, quaest. 1, art. 3 (49) et pluribus aliis Thomistis, distinguendo maiorem : *abstractio* passive et obiective sumpta est *ratio formalis, etc,* conceditur ; *abstractio* active considerata, negatur. Deinde distinguatur minor: *abstractio* active considerata *se tenet ex parte potentiae,* conceditur; passive et obiective sumpta, negatur; et negetur absolute consequentia. Itaque abstractio active accepta, nihil aliud est, nisi actus intellectus separans ab obiecto materialitatem et potentialitatem, quae impedit ne a potentia cognoscatur; quod utique ex parte potentiae se tenet et est omnino necessarium ut potentia et habitus valeant obiectum attingere. Non tamen est ratio formalis, sed solum removens prohibens, ut ait Nazarius, I part., quaest. 1, art. 3, controversia 1 (50); quatenus, scilicet, actus hic separat aut abstrahit cognitionem impedientia, sicut qui velum removet ut imago, quam tegit, videatur. Abstractio autem passive et obiective sumpta est ipsa actualitas et immaterialitas obiecti, qui in eo remanet segregata iam a potentialitate. Et per hanc actualitatem et immaterialitatem (51), quae absdubio se tenet ex parte obiecti, redditur hoc actu intelligibile. Est enim actualitas ista lumen intellectuale obiecta in esse intelligibilium constituens, non secus ac lux corporalis corpora visibilia facit. Omnia haec sunt D. Thomae, libro *De causis,* lect. 6 (52), dicentis : *Considerandum est, quod per lumen corruptibile visibilia sensibiliter cognoscuntur. Unde illud per quod aliquid cognoscitur per similitudinem potest dici lumen. Probat autem Philosophus in IX Metaphys. quod unumquodque cognoscitur per id, quod est in actu, et ideo ipsa actualitas rei est quoddam lumen ipsius.* Lumen clarissime appellat Angelicus Magister actualitatem rei. Hoc lumen non lucet nebula materialitatis occlusum. Accedit intellectus et nebulam invenustam dissipans rutilat lumen decorum facitque obiectum actu intelligibile ab habitu.

82. Arguitur *tertio:* quoniam id quo fit actu cognoscibile obiectum, est ratio formalis *sub qua* habitus cognoscitivi. Sed principium elicitivum mysticae theologiae est id quo (53) fit actu cognoscibile eius obiectum. Ergo est ratio *sub qua.* Consequentia bona est et maior certa. Deindeque probatur minor: Quod habet vim luminis, reddit actu cognoscibile obiectum mysticae theologiae. Sed principium elicitivum habet vim luminis. Ergo. Probatur minor: quia velamen impediens actualem cognoscibilitatem obiecti non solum se tenet ex parte ipsius obiecti, sed etiam ex parte potentiae, ut docent Patres Salmanticenses, tract. XVII, disp. 1, num. 81 (54). Sed principium eliciens mysticam theologiam aufert velamen se tenens ex parte subiecti; aufert quippe a potentia ignorantiam et improportionem, illamque elevat ut possit obiectum cognoscere. Ergo tale principium habet vim luminis.

83. Confirmatur primo: auferens velamen ex parte obiecti habet rationem luminis estque ratio formalis *sub qua* ex parte obiecti. Ergo auferens velamen ex parte subiecti habet rationem luminis estque ratio formalis *sub qua* ex parte subiecti.

84. Confirmatur secundo a paritate fi-

(48) *Quaestionum super XII libros Mytaphisicea* (sic); lib. I *Metaph.*, q. 1, a. 3 ; Venetiis MCCC CXCIX, die XX Augusti (sine paginatione). (Biblioteca de « El Escorial », 16-I-21-n° 2).

(49) *Commentaria in universam Aristotelis Metaphysicam;* I *Metaph.*, q. 1, a. 3; ed. Burgis et Salmanticae, 1617-1631, t. I, p. 13-16. (2 tomi in fol., « El Escorial », 61-VIII-16-17).

(50) *Commentaria et controversiae in primam partem D. Thomae Aquinatis,* q. I, a. 3, controv. 1, « *Quarto sciendum est* »; Bononiae, 1619-1627, t. I, pp. 32-33.

(51) Sic in I et Neapol. ed.; « *materialitatem* » in IV ed.

(52) Ed. Vivès, t. XXVI, p. 531a.

(53) Sic in I et Neapol. ed.; « *quod* » in IV ed.

(54) dub. 3, num. 81; t. XI, pp. 37b-38a.

dei, quae ultra divinum testimonium, quod est ratio formalis ex parte obiecti, habet divinam revelationem passive sumptam, quae se tenet ex parte subiecti. Ergo similiter. Sic fere Magister Bañez (55).

Respondetur argumento quod lumen faciens obiectum cognoscibile est duplex: aliud se tenens ex parte obiecti, aliud autem ex parte subiecti; sicut etiam velamen cognitionem impediens eadem duplicitate gaudet. Ceterum sicut obiectum non est obscurum propter velamen ex se tenens ex parte intelllectus, sed propter materialitatem et potentialitatem ipsius, qua potentialitate ablata, manet illustratum obiectum actuque cognoscibile, quamvis potentia durissimis obicibus impediatur; sic et lumen ex parte intellectus se tenens nullatenus reddit obiectum illustratum actuque cognoscibile; tum propter dicta, tum etiam quia cognoscibilitas obiecti praesupponitur ad lumen intellectuale; specificat enim potentiam et habitum seu principium elicitivum. Nec tale principium infunditur potentiae ut obiectum illuminet, sed ut potentiam elevet ut possit ferri in obiectum, quod ante infusionem supponitur cognoscibile. Vide nostros Salmanticenses, loco citato, dub. 3 (56). Per quod patet ad argumentum; distinguendamque (57) esse maiorem : *Id quo fit actu cognoscibile obiectum* ex parte obiecti, *est ratio formalis,* conceditur; ex parte potentiae, negatur. Et sub eadem distinctione minoris negetur absolute consequentia.

Ad primam confirmationem negetur consequentia. Licet enim principium rationem luminis habeat, cum hoc lumen teneat se ex parte potentiae, nequit esse ratio formalis propter dicta.

Ad secundam confirmationem dicas : divinam revelationem passive sumptam nullatenus esse rationem formalem obiecti fidei; sic enim accepta dicit perceptionem eorum, quae Deus loquitur; unde ad eam praesupponitur obiectum fidei. Si autem sumatur pro habitu infuso per ipsam revelationem, ut est actio Dei passive seu terminative sumpta; negavimus multoties habitum posse sibiipsi esse rationem formalem. Unde divina revelatio prout se tenet ex parte potentiae nullatenus est ratio formalis in obiecto fidei. Quomodo autem sit et alia in quibus dicta fundantur, vide apud citatos Salmanticenses (58).

QUAESTIO QUINTA

Quaenam sit ratio sub qua in obiecto theologiae mysticae?

Exclusimus opinionem ponentem rationem *sub qua* mysticae theologiae partialiter ex parte potentiae, eamque asseruimus totaliter se tenere ex parte obiecti. In quo autem consistat dubium est.

§. I. Proponuntur sententiae et vera eligitur.

85. Inter eos, qui rationem formalem *sub qua* mysticae theologiae totaliter ex parte obiecti ponunt, duplex reperitur sententia. Prima ponit diversas rationes formales pro diversis contemplationis gradibus. Unde in hac sententia, alia est ratio *sub qua* Deum attingit contemplatio acquisita. Alia est ratio *sub qua* contemplationis procedentis per affirmationem et alia illius quae per negationem seu remotionem procedit. Prima enim respicit Deum sub ratione investigabilis per meditationem affectivam. Secunda sub ratione causalitatis ac dependentiae

(55) *In Secundam Secundae,* q. 1, a. 1, conclus. 6; ed. 1615, t. III, p. 6a E.

(56) t. XI, p. 37b sqq.

(57) Sic in IV ed.; « *distiguendam* » in I et Neap. ed.

(58) Tract. XVII, disp. 1, dub. 3 et 4; t. XI, pp. 37b-71b.

aut causabilitatis, quam dicunt creaturae ab ipso Deo, modo tamen supernaturali attactae. Ultima contemplatio in supremo gradu theologiae mysticae respicit Deum sub ratione gustati ab anima. Sic nostra *Disceptatio mystica,* tract. III, quaest. 3, art. 1 (1), cum qua locuti fuimus I[a] parte, lib. IV, num. 31.

86. Secunda sententia docet rationem formalem *sub qua* mysticae theologiae consistere in eo, quod Deum attingat ut amabilem, fruibilem seu sub ratione experti et gustati ab anima; haec omnia idem prorsus sunt. Et loquimur de theologica mystica non solum propriissime, sed et proprie, et etiam late sumpta. Haec sententia est D. Thomae et Extatici nostri Doctoris D. Ioannis a Cruce, locis infra referendis, quos mystici doctores communiter sequuntur.

87. Sit prima conclusio: *Ratio formalis* sub qua *mysticae theologiae unica est.* Conclusio haec est contra opinionem num. 85 positam eamque probamus breviter, sed efficaciter. Etenim theologia mystica prout ambit omnia quae vere et realiter sunt mystica theologia, est eadem scientia. Ergo habet eandem rationem formalem *sub qua.* Antecedens supponi pro nunc debet ; et etiamsi, iuxta opinionem postmodum defensandam, plures specie sint theologiae mysticae, omnes tamen illae genere conveniunt ; eoque sub hac ratione idem specificativum habent; et hoc est, quod nunc asserimus, nempe quod theologia mystica, prout abstracte consideratur, est una ; hincque probatur consequentia: quia ratio *sub qua* tribuit speciem et unitatem habitui. Ergo cum unitate mysticae theologiae non compatitur diversitas in ratione *sub qua.*

88. Contra hoc breve argumentum, quod certe intentum suadet, dices forsan: opinionem adversam, dum diversas rationes formales assignat, non loqui de ratione formali adaequata totius theologiae mysticae, sed inadaequata, quae nec unitatem praestat habitui, nec distinctionem; unde hoc argumentum in illam non est.

Respondetur, quod illae rationes sunt inadaequatae iuxta mentem illas assignantis, nec aliud fas est suspicari; verum adhuc displicet illa opinio : quia rationem inadaequatam assignat, cum prius debuisset rationem formalem adaequatam proponere. Quod inde patet primo: quia prius differt tota theologia mystica a scholastica, dogmatica, symbolica et morali, quam diversi gradus seu species eiusdem differant inter se. Ergo prius assignandum est, quod facit totam mysticam theologiam indivisam in se et divisam a qualibet alia theologia quam id, quo diversi eiusdem mysticae gradus differunt inter se. Secundo patet: quia si quis volens ostendere quid sit theologia scholastica, adduceret rationem *sub qua* obiectum totius theologiae scholasticae attingit tractatus de caritate et fide; hic certe quamvis vera diceret, male procederet; quia assignaret ea, in quibus diversi gradus seu tractatus theologiae scholasticae differrent ; cum id in quo conveniunt et ab omnibus aliis discriminantur, assignare debuisset. Ergo pariformiter.

89. Dices: Opinio adversa non loquitur de theologia mystica, sed de contemplatione, quam non esse idem cum mystica theologia notum est.

Respondetur primo, idem argumentum fieri circa contemplationem; quia sive contemplatio sit idem vel non sit cum mystica theologia, qui rationem formalem *sub qua* obiecti religiosae contemplationis exponit, prius debet illam in qua omnis religiosa contemplatio convenit, proponere, quam illas in quibus gradus diversi talis contemplationis discriminantur; unde, qui has proponit, nullam mentionem de illa faciens, methodice non procedit.

Respondetur secundo, auctorem dictae opinionis, tract. III, quaest. 1, art. 1,

(1) ANTONIUS AB ANNUNTIATIONE, num. 4; ed. 1683, pp. 238-240.

num. 3 (2), asserere omnem contemplationem infusam, sive affirmativam, sive negativam, theologiam mysticam esse, ut iam vidimus num. 39; postea vero citata quaest. 3, num. 4 (3) diversam rationem *sub qua* utrique assignat, quin statuat rationem unam formalem, in qua conveniant; quod prius fieri debet.

90. Probatur secundo conclusio seu magis aperitur vis probationis antecedentis: Ideo non assignaretur unica ratio *sub qua* pro mystica theologia, quia in illa dantur gradus diversissimi. At haec ratio est nulla. Ergo assignanda est talis una ratio. Maior negari non debet; et minor probatur primo ex dictis: quia omnes illi differentes gradus conveniunt in aliqua una ratione, quae proponi debet, dum obiectum mysticae theologiae seu contemplationis investigatur. Secundo probatur eadem minor: quia, si propter diversitatem, quam illi gradus mysticae theologiae dicunt inter se, deberet assignari diversa illa ratio *sub qua*, etiam assignanda foret pro pluribus aliis gradibus eiusdem theologiae seu contemplationis, qui mediant inter eos, quos ex citato auctore recensuimus num. 85. At pro his non assignatur, ut patet. Ergo nec pro aliis assignari debet. Probatur maior, in qua sola poterat esse difficultas: quia ipse, quem impugnamus, cum frequentissima opinione mysticorum, illam solummodo contemplationem quae appellatur visio Dei in caligine, dividit in tres gradus, quorum primus est, cum anima divinam caliginem ingreditur; secundus, cum iam ingressa illam divinam caliginem inhabitat; tertius autem, cum inhabitantis privilegiis decora Sponso suo dilectissimo copulatur, non iam per unionem affectivam, sicut in aliis gradibus praecedentibus, sed per unionem effectivam, experimentalem, fruitivam et realem, quantum patitur status viatoris. Quae omnia etiam quoad verba sunt dicti auctoris, tractatu citato, quaest. 2, art. 3, a num. 10 (4), qui num. 13 in fine (5) addit: dictis gradibus contemplationis alios altiores esse, quos postmodum explanare pollicetur. Ergo inter contemplationem per affirmationem et gradum supremum mysticae theologiae multi alii contemplationis gradus mediant, quibus assignanda erat ratio distinctiva; ex quo aliis assignatur.

91. Secunda assertio: *Ratio* sub qua *theologia mystica Deum attingit est ratio gustati seu experti ab anima;* vel, quod idem est: *Attingit Deum ut amabilem et fruibilem.* Assertio haec est D. Thomae, quod suadent Magister Vallgornera, quaest. I, disp. prooemiali, art. 2 (6); *Disceptatio mystica,* tract III, quaest. 3, art. 1, num. 4 (7) ex verbis ipsius Angelici Praeceptoris *super Psalm.* 33 (8), ubi dicitur: *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus,* quod explicat S. Thomas (9) dicens: *Hortatur ad experiendum: primo enim hortatur ad experientiam divini consortii: secundo ad observantiam divini timoris.* Videantur omnia ea, quae inibi docet; omnibus enim illis ostendit suavitatem, quam anima experitur, dum suum dilectissimum Dominum contemplatur. Unde suavitas haec seu gustus ponitur ratio *sub qua* mysticae theologiae.

92. Dices: Omnem actum voluntatis debet actus intellectus praecedere. Sed gustare est actus voluntatis et videre est actus intellectus. Ergo Deus prius est a mystica theologia videndus quam gustandus. Ergo non potest ab illa attingi sub ratione gustati aut experti.

Respondetur ex eodem Angelico Doctore inibi (10): *In corporalibus autem*

(2) Ed. cit., p. 196.
(3) Tract. III, quaest. 3, art. 1, num. 4; ed. cit., pp. 239-240.
(4) Ed. cit., p. 221.
(5) Ed. cit., p. 222.
(6) *Mystica Theologia Divi Thomae,* q. 1, disp. prooem., a. 2, num. 9 et 10; ed 1911, t. I, pp. 8-11.
(7) Ed. 1683, pp. 239-240.
(8) v. 9.
(9) *In psalm.* 33, num. 9; ed. Vivès, t. XVIII, p. 419b: *Hortatur ad experiendum: et circa hoc duo facit. Primo enim hortatur ad...*
(10) l. c.: *In corporalibus namque prius videtur et postea gustatur; sed in...*

prius videtur, et postea gustatur: in rebus spiritualibus prius gustatur, postea autem videtur: quia nullus cognoscit, qui non gustat; et ideo dicit prius gustate, et postea videte.

93. Replicabis: Propter essentialem dependentiam quam dicit voluntas ab intellectu, praecedit in corporalibus actus intellectus. Ergo praecedit etiam in spiritualibus. Probatur consequentia: quia dependentia essentialis semper et in quocumque ordine verificari debet.

Respondetur hanc replicam pleniorem solutionem habere infra, ubi de dependentia et connexione inter actus intellectus et voluntatis agendum est. Pro nunc autem ipsa D. Thomae verba idoneam offerunt solutionem. Quia, assignata disparitate inter res corporales et spirituales, dat disparitatis causam dicens: *Quia nullus cognoscit, qui non gustat,* res videlicet spirituales. Facta enim collatione inter cognitionem quae de rebus spiritualibus habetur, antequam gustentur, et illam quae habetur de ipsis, postquam degustantur: illa plane ignorantia est; eoque solum secunda visio seu cognitio dicitur. Quod non est intellectus antecedentiam negare, sed excellentiam secundae cognitionis docere. In corporalibus autem contrarium evenire experientia quotidiana tradit, uti D. Gregorius (11) observat: mundialia enim postquam habentur minus aut nihil diliguntur; atque adeo conceptus de illis habitus vel amittitur, vel mutatur. Unde tam Psaltes quam glossa D. Thomae loquuntur de cognitione experimentali et mystica, quae perfecte cognitio dici debet; licet illam aliam praecedentem voluntatis actum non negent. Quod praeterquam quod de se patet, potest fulciri doctrina eiusdem D. Thomae, II^{a} II^{ae}, quaest. 45, art. 2 in corpore (12), dicentis: *Rectitudo autem iudicii potest contingere dupliciter: uno modo secundum perfectum usum rationis: alio modo propter connaturalitatem quandam de ea, de quibus iam est iudicatum, sicut de his, quae ad castitatem pertinent, per rationis inquisitionem recte iudicat ille, qui didicit scientiam moralem. Sed per quandam connaturalitatem ad ipsam recte iudicat de eis, qui habet habitum castitatis. Sic ergo circa res divinas ex rationis inquisitione rectum iudicium habere pertinet ad sapientiam, quae est virtus intellectualis: sed rectum iudicium habere de eis secundum quandam connaturalitatem ad ipsas pertinet ad sapientiam, secundum quod est donum Spiritus Sancti.* Haec ergo cognitio per quandam connaturalitatem habita seu mystica est, quae subsequitur ad actum voluntatis.

94. Deinde probamus conclusionem alia eiusdem Angelici Praeceptoris auctoritate ex I^{a} parte, quaest. 64, art. 1, in corpore, ubi ait: cognitio, *quae habetur per gratiam est duplex. Una quae est speculativa tantum, sicut cum alicui aliqua secreta divinorum revelantur. Alia vero, quae est affectiva producens amorem Dei, et haec proprie pertinet ad donum sapientiae.* Idem docet in aliis locis Doctor Sanctus, quem communiter sequuntur qui rem illam attigerunt; quapropter nullum in particulari adducimus.

Probatur ergo conclusio ratione eruta ex allatis D. Thomae verbis: Etenim theologia mystica est cognitio affectiva, quae *proprie pertinet ad donum sapientiae.* Ergo respicit Deum sub ratione amabilis, fruibilis aut ab anima experti ac degustati. Antecedens certum est; et consequentia probatur: Etenim vel antecedens intelligitur de theologia mystica habituali, vel de actuali; de quacumque intelligatur, probatur sic consequentia: quia theologiae mysticae principium elicitivum, quod sane est ipsa mystica theologia habitualis, respicit Deum sub ratione experti. Ergo sub eadem ratione attingit ipsum theologia mystica actualis.

---

(11) *Homilia 36 in Evangelia,* num. 1; Migne, P. L., t. 76, col. 1266.

(12) Ed. Leonina, t. VIII, p. 341a... *Sed per quandam connaturalitatem ad ipsa recte iudicat de eis ille qui habet habitum castitatis. Sic igitur... secundum quandam connaturalitatem ad ipsa pertinet ad sapientiam secundum quod donum est Spiritus Sancti.*

Consequentia sequitur; ab eadem enim ratione formali speciem delibat actus scientificus et scientia illum eliciens. Antecedens vero probatur ex D. Thoma, II^{a} II^{ae}, quaest. 45, art. 2, ad 1, ubi ait quod sapientia *saporem quendam importat.* Sed sapor haberi non potest nisi de obiecto experto ac degustato. Ergo sub hac ratione attingit sapientia suum obiectum.

95. Confirmatur: Theologia mystica sive habitualis, sive actualis respicit Deum ut gustum recreantem. Atqui gustus non recreatur quin experiatur degustetque obiectum. Ergo. Minor certa est: quia gustus recreari nequit quin suum obiectum attingat, sicut et quilibet alius sensus et potentia. Vide dicta a num. 11. Sed gustum attingere suum obiectum est illud experiri et degustare. Ergo. Deinde probatur maior syllogismi praecedentis ex verbis supra adductis *Psalmi* 33, ubi dicitur: *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus:* et ex illo *Proverbiorum* ultimo (13), ubi asseritur: *Gustavit, et vidit quoniam bona est negotiatio eius.* Ad quod invitamur *Sapient.,* cap. XII (14), iis verbis: *O quam bonus et suavis est Domine Spiritus tuus in nobis:* et *Cant.,* II (15) ibi: *Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo:* id est, ait inibi D. Thomas (16): *Divinitatis contemplatio, qua me satiari confido.* Ergo ratio *sub qua* mystica theologia Deum attingit, est ut gustum recreat.

96. Probatur tertio conclusio : illa est ratio *sub qua* in obiecto theologiae mysticae, quae illam in esse talis constituit secernitque a theologia scholastica, morali, dogmatica ac symbolica. Atqui ratio haec est ratio experti ac degustati. Ergo haec et non alia est ratio *sub qua* mysticae theologiae. Cetera constant ; et minor probatur primo: quia in omnibus aliis convenit theologia mystica cum illis, utpote respicientibus eandem rationem *quae;* unde solum per istam assignatam rationem discriminantur. Probatur secundo eadem minor: quia theologia vere attingit Deum ut dulcem suavemque ab anima expertum. At theologia quae sic Deum attingit, non est scholastica, expositiva, dogmatica aut moralis. Ergo mystica. Consequentia patet a sufficienti partium enumeratione. Maior certissima est patetque ex textibus adductis numero praecedenti ; et sane si sic non foret, non adeo frequenter Deus se suasque delicias sub epularum nomine proponeret, uti facit in *Evangelio, Apocalypsi* et aliis sacris libris, quos inter in *Canticis,* cap. V, ait: (17) *Comedite amici, bibite, et inebriamini charissimi.* Ibi etiam animam sanctam invitat, ut in hortum suum veniat suavitatem inenarabilem perceptura. *Veni,* inquit, *in hortum meum Soror mea sponsa, messui myrrham cum aromatibus meis.* Quibus verbis vel adventum praecipit, si ly *veni* modi imperativi est, ut tenet frequens expositio; vel suo exemplo suadet, si est indicativi praeteritum, ut docet inibi D. Thomas (18). Ac si diceret: *Soror mea sponsa,* iam ego *veni in hortum meum,* quod dico votis tuis annuens, quibus ubi pascam, ubi cubem in mearum deliciarum meridie solita sollicitudine inquiris (19). Vel sic: quia me in hortum meum venire exoptas, ut meorum pomorum fructum comedens, myrrhae aromatumque messor, omnigena suavitate decorus tibi exhibear, mihi dicens : *Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum* (20); scito, quae ista faris, *Soror mea sponsa,* quod iam ego *veni in hortum meum,* ubi iam *messui myrrham meam cum aromatibus meis* (21). Ex quibus aliisque innumeris constat theologiam sacram Deum attingere sub ratione suavissime degustati.

(13) c. XXXI, v. 18; Hetzenauer, p. 589: *Gustavit, et vidit quia bona...*
(14) v. 1; Hetzenauer, p. 612:... *spiritus tuus in omnibus!*
(15) v. 3.
(16) *In Cant.,* cap. II, v. 2; ed. Vivès, t. XVIII, p. 624 (quoad sensum).
(17) v. 1; Hetzenauer, p. 599:..., *et bibite,...*
(18) Ed. Vivès XVIII, p. 641b.
(19) *Cant.,* c. I, v. 6.
(20) *ib.,* c. V, v. 1.
(21) *ib.*

Minor autem eiusdem syllogismi probatur primo idoneo illo simili, quo utitur *Medulla mystica,* tract. II, cap. 3, num. 15 (22), ubi Deum, qui, ut dictum est, est sacrae theologiae obiectum, melli comparat. Hoc ergo obiectum est per ordinem ad quod theologiae sacrae habitus essentiatur, taliter tamen, quod theologia expositiva docet, quid hoc nomen *mel* significet; scholastica explicat eius naturam et proprietates; moralis tradit modum illud comedendi; mystica vero est, quae illo suavissimo melle pascitur mirissimamque eius dulcedinem experitur. Ubi vides quantum distent inter se istae sacrae theologiae partes et quod nulla illarum Deum sub ratione degustati attingit, praeter mysticam.

Probatur secundo eadem minor: quia theologia scholastica agit de Deo prout cognoscibilis est; symbolica agit de Deo sub symbolis ac hieroglyphicis; et moralis vitia et virtutes proponens ostendit modum, quo in Deum itur; solumque mystica theologia est, quae agit de Deo ut formaliter amabilis est; de quo, si lubet, videre poteris P. Godinez in sua *Mystica Theologia,* lib. I, cap. 1 (23). Ergo ratio experti, sub qua Deus attingibilis est, nullius theologiae, praeterquam mysticae, propria est.

97. Religioni ducerem, si omnia numero praecedenti dicta non firmarem auctoritate Extatici Parentis nostri D. Ioannis a Cruce, qui illud verbum *veni* ex *Cant.,* cap. V, relatum imperativum esse asserit, cuius imperio obtemperans anima in hortum venit suavitatibus inhians, quas invenisse iisque pasci refert Extaticus Parens in suo *Cantico,* cantione XXII (24) dicens :

Entradose ha la Esposa
En el ameno huerto deseado,
Y á su sabor reposa,
El cuello reclinado
Sobre los dulces brazos de su amado (25).

Ubi postquam promptissimam obedientiam proponit in primo versu, horti amoenitatem suavem declarat in secundo, saporem centrum gustus in tertio, in quarto sponsam tenerrime innixam dicit ac denique in ultimo dulcedinem, qua recreatur, evulgat. Omnia deliciae sunt, omnia suavitas, nec aliud invenit in illo deliciarum centro anima, quae, mystica theologia ductrice, amoenissimum viridarium ingreditur, flores oleumque effusum lectura. Videatur citatus noster Parens in dicti cantus explanatione (26).

98. Probatur ultimo assertio: quoniam theologia mystica est essentialiter scientia sapida. Ergo respicit suum obiectum ut saporem refundens in ipsam. Ergo sub ratione experti. Haec secunda consequentia constat ex prima; quia, ut dictum est, sapor gustusque haberi non possunt sine experientia obiecti suavis. Primam consequentiam suadet antecedens; quoniam essentiam suam et speciem habet scientia mystica per suum obiectum. Antecedens autem probatur auctoritate Theodidacti nostri Doctoris D. Ioannis a Cruce, qui perpetuus est in hac doctrina. Mirissime illam tradit in dicto suo *Spirituali cantico,* ubi cantione XIX (27) introducit sponsam de suo dulcissimo Sponso narrantem :

Alli me dió su pecho,
Alli me enseño ciencia muy sabrosa (28).

Quae verba expertissimus ipse expo-

(22) FRANCISCUS A S. THOMA, *Medula mystica...; Madrid* 1702, pp. 70-71. — Cf. infra *Appendix.*

(23) GODINEZ (Michael Wading, alias Godinez, S. I.), *Praxis theologiae mysticae. Opusculum selectum et latine redditum a P. Emmanuele Ignatio de la Reguera eiusdem Societatis,* lib. I, cap. 1; Paris, Lethielleux, 1921, p. 1.

(24) *Cántico espiritual* (*II escritura*), canc. XXII; ed. crít., t. II, p. 277. — *El primer Cantico espiritual,* canc. XXVII; ed. crít., t. II, p. 576.

(25) Ed. crít., locis cit.... *del Amado.* In ed. Neapol. additur:

« Entrata hor'è la Sposa
Nell' amen' odoroso horto bramato
A suo gusto riposa
Il collo reclinato
Sopra le dolci braccia dell'amato ».

(26) Ed. crít., t. II, pp. 277-281; pp. 576-579.

(27) *Cántico espiritual* (II escritura), canc. XXVII, v. 1 et 2; ed. crít., t. II, p. 305. — *El primer Cántico espiritual,* canc. XVIII, v, 1 et 2; ed. crít., t. II, p. 555.

(28) In ed Neapol. additur :

« Ivi suo petto diemmi,
Ivi insegnommi scienza assai gustosa ».

nit (29): *La ciencia sabrosa, que dice aqui, que le enseñó, es la Theologia mystica, que es ciencia secreta de Dios, que llaman los Espirituales contemplacion, la qual es muy sabrosa, porque es ciencia por amor, el qual es el maestro de ella, y el que todo lo haze sabroso: y por quanto Dios le communica esta ciencia, é intelligencia en el amor con que se communica á el alma, esle sabrosa para el entendimiento, pues es ciencia, que pertenece á él: y esle tambien sabrosa á la voluntad, pues es en amor, el qual pertenece á la voluntad.* Sapida scientia, de qua hic loquitur se a Sponso edocta fuisse, est mystica theologia, quae est scientia Dei abscondita vocaturque a spiritualibus contemplatio; quae quidem sapidissima est, cum sit scientia per amorem, qui est eius magister et a quo fit omne sapidum; et quia Deus hanc scientiam et intelligentiam illi confert in amore, quo communicatur animae, est intellectui sapida, siquidem est scientia ad illum pertinens; est etiam voluntati sapida, cum sit in amore, qui quidem ad voluntatem pertinet (30). Quibus nihil addendum; iis enim praeclare perspicueque Seraphicus hic Doctor et nostrum antecedens esse unum ostendit, et causam suae veritatis designat.

§. II. Argumentorum solutio.

Contra primam conclusionem non est aliquod argumentum, cui necesse sit occursum ire. Contra secundum autem sunt plura argumenta, alia, quae impugnant mysticam theologiam late sumptam respicere pro ratione *sub qua* experientiam et gustum, quem invenit in Deo voluntas; alia vero negant hanc esse rationem *sub qua* totius mysticae theologiae, etiam perfectissimae; de his §. sequenti agemus, illa vero in hoc §. conabimur enodare. Ad probandum ergo rationem *sub qua* theologiae mysticae imperfectae non esse a nobis assignatam,

99. Arguitur *primo:* Gustus et experientia obiecti praesupponit actum intellectus attingentem ipsum obiectum. Ergo talis experientia nullo modo est ratio formalis mysticae theologiae. Consequentia sequitur et antecedens probatur: Experientia et gustus ille est actus voluntatis. Ergo ante illum datur actus intellectus. Sed iste actus intellectus est mystica theologia. Ergo datur mystica theologia ante illud experimentum et gustum; atque adeo sub alia ratione attingit Deum actus iste. Antecedens est omnino certum apud mysticos et scholasticos. Vide nostrum Venerabilem Ioannem a Iesu Maria, canone 16 suae *Mysticae Theologiae* (31). Consequentia autem constat: quia actus intellectus praecedit semper quemcumque voluntatis actum. Deinde minor subsumpta certa est ex dictis num. 5, ubi diximus, illud experimentum voluntatis mediare inter duos perfectissimos actus intellectus, quorum uterque theologia mystica est.

100. Confirmatur seu magis aperitur vis huius rationis: etenim prior ille intellectus actus est mystica theologia vel propriissime, iuxta dicta numero citato; vel proprie; nec in hac quaestione loquimur de theologia mystica solum sub propriissima acceptione. Sed talis actus intellectus non attingit Deum sub ratione experti; cum praecedat actum voluntatis, cui convenit experiri. Ergo.

Respondetur: quod secundum maiorem vel minorem perfectionem mysticae

(29) Datur iuxta *El primer Cántico espiritual*, canc. XVIII, v. 2; ed. crit., t. II, pp. 555-556. In *Cántico espiritual* (II escritura), canc. XVII, v. 2; ed. crit., p. 306, legitur: *Esta ciencia sabrosa es la theologia mistica, que es ciencia secreta de Dios, que... es sabrosa para el entendimiento...*

(30) Sic in I et IV ed.; in Neapol. vero: « ...cum sit scientia ex amore, qui est eius magister, et a quo omne fit sapidum: et quia Deus hanc scientiam, et intelligentiam illi confert in amore, quo, communicat se animae,... »

(31) *Opera omnia*, ed. 1650, t. II, p. 2a; ed. 1771-1774, t. II, pp. 423b-424a.

theologiae est maior vel minor gustus expertus; semper tamen sub hac ratione in Deum fertur. Experientia illa seu gustus ad quem sequitur mystica theologia propriissime sumpta, est gustus et experientia de Deo summopere, quamquam sub fide, possesso; unde dicitur antonomastice gustus; hoc tamen non arguit quod in aliis contemplationibus non detur experientia gustusque divinae suavitatis, licet non cum tanta perfectione *Dei sapor, et contemplatio vix unquam dirimuntur,* ait citatus noster Ioannes a Iesu Maria, canone 20 (32); et D. Thomas, I^{a} II^{ae}, quaest, 35, art. 5 et II^{a} II^{ae}, quaest. 180, art. 7, docet contemplationem dulcissimam esse adeo ut eius delectatio omnem humanam delectationem excedat. Et licet verum sit, quod actus voluntatis subsequitur ad actum intellectus, quia quocumque actu voluntatis designato semper invenitur aliquis actus ex parte intellectus illum praecedens; si tamen loquamur de actibus prout ad aliquam unam lineam pertinent, non est inconveniens quod actus voluntatis praecedat actum intellectus illius lineae ; licet illemet voluntatis actus alio actu intellectus sit alias posterior. Vide quae diximus in *Isagoge,* lib. I, syntagm. III, lect. 3 et 4. Quod de nostra mystica theologia verissimum esse sine difficultate dignoscitur; quia contemplationis principium est caritas, docente D. Thoma, loco citato ex II^{a} II^{ae}, art. 1, quod *vita contemplativa quantum ad ipsam essentiam actionis pertinet ad intellectum; quantum autem ad id quod movet ad exercendum talem operationem, pertinet ad voluntatem.* Et art. 7 eiusdem quaestionis ait: *Ad primum ergo dicendum, quod vita contemplativa, licet essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu: in quantum videlicet aliquis ex caritate ad Dei contemplationem excitatur.* Unde contemplatio haec, quamquam non sit multum perfecta, habet tamen ex caritatis motione, quod in Deum ut amabilem et gustum recreantem terminetur.

Per quae patet ad (33) argumentum et eius confirmationem: quia licet solus actus qui propriissime theologia mystica est, supponat experimentum illud perfectissimum ; alii autem habent ex caritate movente sufficiens fundamentum ut ad Deum modo dicto terminentur.

101. Arguitur *secundo* et simul contra dicta replicatur: quia semper deveniendum est ad aliquem actum intellectus, qui nullum voluntatis actum praesupponat. Sed iste actus intellectus est contemplatio, cuius ratio *sub qua* non potest esse gustus aut sapor dictus, vel experientia. Ergo ratio *sub qua* theologiae mysticae late sumptae non est experientia illa. Minor pro prima parte probatur: quia ille actus est *simplex intuitus veritatis.* Probatur pro secunda: quia, ut supponimus, nullus actus voluntatis, cuius est experiri ac degustare, praecedit.

102. Confirmatur primo: quia cognitio quam de Deo habent incipientes, est valde imperfecta. Ergo non habet, dum suum obiectum attingit, saporem aut delectationem aliquam. Antecedens certum est et consequentia probatur: quia illa delectatio et gustus sequuntur ad cognitionem perfectam.

103. Confirmatur secundo: quia non ita consentaneum apparet ponere in incipiente illud ipsum privilegium, quo perfectus post devictos hostium teterrimos cuneos decoratur. Sed perfecti privilegium est illam suavitatem gustumque in suo obiecto experiri. Ergo incipiens non attingit suum obiectum sub ratione illa degustati.

104. Confirmatur tertio: Ideo theologia mystica propriissime sumpta habet illam suavitatem et saporem; quia eius principium elicitivum est donum sapientiae, quod est idem ac scientia sapida, ut vidimus ex Parente nostro D. Ioanne a Cruce, num. 98. Sed nec (34) medi-

(32) *ib.*, ed. 1650. t. II, p. 2b; ed. 1771-1774, t. II, p. 424a.

(33) I ed. omittit: « *ad* ».

(34) I et Neapol. ed. omittunt: « *nec* ».

tatio, nec contemplatio acquisita eliciuntur a dono sapientiae. Ergo theologia mystica prout comprehendit meditationem et contemplationem minus perfectam, non est scientia sapida, nec dicit saporem illum, quem dicit mystica theologia perfectissima.

105. Respondetur argumento, omissa maiori, negando minorem pro prima parte. Ille enim actus intellectus, qui ex motione caritatis obiectum non attingit, contemplatio religiosa non est, quamvis sit contemplatio philosophica seu speculatio quaedam. Nec huius alia ratio quaerenda est praeter illam, quam ex D. Thoma dedimus num. 100. Habet enim se contemplatio sicut actus fidei infusae, qui debet supponere ex parte voluntatis habitum piae affectionis. Quod si talis habitus non praecedat moveatque ad assensum, actus ab intellectu elicitus non erit fidei. Videantur nostri Salmanticenses, tract. XII, in *arbore*, num 14 (35).

106. Ad primam confirmationem respondetur: ad contemplationem perfectissimam sequi quidem suavissimam delectationem; sed ad contemplationem minus perfectam licet non sequatur sapor ille perfectissimus, datur tamen suavitas correspondens statui illam contemplationem habentis. Et sane cum contemplatio illa habeat Deum pro obiecto, nequit non esse delectabilis et sapida. Quod ex Aristotele probat egregie D. Thomas in III *Sent.*, dist. 35, quaest. 2, art. 2, quaestiunc. 2 (36), ubi locutus de imperfectione nostrae contemplationis, si cum beatorum contemplatione felicissima conferatur, subdit: *Hoc tamen infimae mentis desiderio satisfacit; quia secundum quod Philosophus dicit in XI de animalibus: Amans in prima comprehensione amati magis delectatur, quam in magna aliorum comprehensione. Et ideo, ut ipse dicit, illud parum, quod de substantiis separatis cognoscere possumus plus desideratur, et delectat, quam quidquid de aliis rebus cognoscimus.* Et similiter II^{a} II^{ae}, quaest. 180, art. 7, ait: *Ad tertium dicendum, quod contemplatio Dei in hac vita imperfecta est respectu contemplationis patriae, et similiter delectatio contemplationis viae est imperfecta respectu delectationis contemplationis patriae, de qua dicitur in psalm.* (37): « *De torrente voluptatis tuae potabis eos* » : *sed contemplatio divinorum, quae habetur in via, etsi sit imperfecta, tamen est* (38) *delectabilior omni alia contemplatione, quantumcumque perfecta propter excellentiam rei contemplatae. Unde Philosophus dicit in primo de partibus animalium : accidit circa illas honorabiles, existentes, et divinas substantias, minores nobis existere theorias: sed etsi secundum modicum attingamus eas, tamen propter honorabilitatem cognoscendi delectabilius aliquid habent, quam quae apud nos omnia. Et hoc est etiam quod Gregorius dicit super Ezechielem* (39): *Contemplativa vita amabilis valde dulcedo est, quae super semetipsam animam rapit, coelestia aperit, spiritualia mentis oculis patefacit.* Ex quibus constat suavitatem delectationemque adesse in contemplatione religiosa, quantumvis minimae perfectionis imaginetur.

107. Dices forsan: D. Thomam loqui in utraque auctoritate de contemplatione perfectissima viae relate ad contemplationem patriae; unde sicut contemplatio viae, in qua consistit theologia mystica propriissime talis, est absolute perfectissima, tametsi collata cum contemplatione patriae sit imperfecta ; sic delectatio contemplationis viae perfectissima dicit suavitatem ineffabilem, quamquam minima habeatur, si cum suavitate contemplationis patriae comparetur: quod quidem non invenitur in contemplatione imperfecta, haec enim tam respective, quam absolute imperfec-

(35) t. VI, p. 423b.
(36) Ed. Vivès, t. IX, pp. 592b-593a: *Hoc tamen infirmae mentis... In XI De animalibus:* « *Amans in parva* (Al. *in prima*) *comprehensione...*
(37) *Ps.*, 35, v. 9.
(38) Ed. Leonina, t. X, p. 433b: « *est tamen* ».
(39) *Super Ezechielem*, lib. II, hom. 2, num. 13; Migne, P. L., t. 76, col. 956.

tissima est, eoque nullum saporem habet. Quapropter licet contemplatio perfectissima viae essentietur a gustu et sapore divinorum, illa tamen alia contemplatio non potest ab hoc sapore essentiari.

108. Hoc solum remur suffugium esse posse sententiae adversae, ut pondus praeiactarum auctoritatum declinare contendat. Contra illud tamen disputo sic, primo: contemplatio viae perfectissima distat magis a contemplatione patriae, quam contemplatio imperfecta a perfectissima contemplatione viae. Sed contemplatio perfectissima viae, licet magis distet, specificatur a gustu et sapore, quem habet a suo obiecto, sicut contemplatio patriae. Ergo contemplatio imperfecta habet in suo obiecto suavitatem a qua specificetur. Consequentia patet; quia si maior distantia non impedit, potiori titulo minor non obstabit. Minor ex una parte continet doctrinam sententiae oppositae, apud quam theologia mystica propriissime talis respicit tanquam rationem formalem illam suavitatem et gustum, quem experitur; et ex alia modo supponenda est; infra enim videbimus theologiam mysticam beatorum habere pro ratione *sub qua* gustum saporemque, quem ex Deo clare viso percipit. Maior autem nota videtur ; quia contemplatio viae, sive imperfecta sit, sive perfecta, est intra idem genus gratiae viatorum; atque ideo imperfectae seu non consummatae et amissibilis ; contemplatio vero patriae est inamissibilis, consummata et in termino; unde maior distantia datur inter hanc et contemplationem perfectissimam viae, quam inter istam et contemplationem eiusdem viae imperfectam.

109. Secundo disputo sic: gustus et sapor contemplationis mensuratur cum perfectione contemplationis, ut constat ex citato D. Thoma. Sed cum maiori distantia inter contemplationem patriae et viae haec respicit eandem rationem *sub qua* ac illa, servata tamen proportione inter rationes illas formales, quae invenitur inter ipsas contemplationes. Ergo sicut suavitas perfectissima quae est in obiecto contemplationis perfectissimae, est eius ratio formalis, sic et suavitas imperfecta quae est in obiecto contemplationis imperfectae, est eius ratio *sub qua*. Consequentiam suadet paritas: quia cum utraque contemplatio habeat idem obiectum *quod* perfectissime cognitum ac degustatum per contemplationem perfectissimam et minus perfecte degustatum per contemplationem imperfectam; imperfecta ab illa imperfecta degustatione specificabitur, sicut perfecta a degustatione perfectissima. Minor, ut diximus numero praecedenti, constabit ex infra dicendis, modoque probari sic breviter potest. In patria datur theologia mystica, sive sit eadem cum nostra, sive diversa, de quo postea. Sed theologia mystica patriae specificatur a Deo, ut experto ac degustato, quod concedunt quotquot mysticam theologiam esse apud beatos fatentur. Ergo theologia mystica patriae et viae respiciunt eandem rationem formalem, licet cum illo discrimine maioris vel minoris perfectionis.

110. Tertio: quamquam D. Thomas loquatur de contemplatione viae relate ad contemplationem patriae, ratio tamen, qua ducitur, probat contemplationem imperfectam habere in suo obiecto delectabilitatem, a qua formalisetur. Ergo talis suavitas est eius ratio *sub qua*. Probatur antecedens : quia ratio, qua ducitur, est excellentia rei contemplatae. At haec ratio verificatur etiam in contemplatione imperfecta; siquidem contemplatur eandem excellentissimam rem, eundem videlicet Deum, qui est utriusque contemplationis obiectum. Ergo.

111. Quarto denique: nam citatus D. Gregorius (40) loquitur de vita contemplativa de hacque dicit, quod *amabilis*

(40) l. c.

valde dulcedo est. Sed vita contemplativa comprehendit non solum perfectissimam contemplationem, sed etiam minus perfectam. Ergo de hac etiam verum est, quod *amabilis valde dulcedo* sit.

112. Unico verbo, ut sic dicta omnia prorsus penetres et plures hinc inde ebullientes obiectiones penitus dissipes: Sicut theologia mystica perfectissima viae specificatur ab eadem ratione formali, a qua specificatur theologia mystica patriae, licet cum incomparabili excessu utriusque, tum theologiae, tum rationis formalis; sic et theologia imperfecta viae habet eandem rationem formalem ac theologia perfecta, licet cum simili, minori tamen, excessu. Utraque enim habet in obiecto delicias, sub quibus illud attingat. Quod clarum erit consideranti, quod sicut ad theologiam mysticam perfectam sive viae, sive patriae praesupponitur unio perfectissima cum Deo, in patria media caritate et lumine gloriae, in via autem media fide et caritate; sic etiam ad theologiam mysticam minus perfectam praerequiritur unio cum Deo mediis ipsis fide et caritate, licet haec unio minus perfecta sit. Unde sicut theologiae illae perfectissimae habent a perfectissima unione, quod Deum sub ratione perfectissime degustati attingant, sic et mystica theologia imperfecta habet ab unione illa minus perfecta caritatis, quod Deum ipsum sub ratione degustati, licet non ita perfecte, attingat. Nec circa haec aut circa alia fieri argumentum potest contra istam conclusionem, quod ex modo dictis non solvatur.

113. Ad secundam confirmationem respondetur: Theologiam mysticam de se respicere praedictam suavitatem obiecti minus perfecte, si sit in statu imperfecto, et magis perfecte, si sit in statu perfecto. Quod quidem in quavis alia scientia seu habitu verificatur, qui secundum maiorem vel minorem perfectionem quam habent, magis vel minus perfecte obiectis adhaerent. Ceterum, quod perfectus iis privilegiis, quae confirmatio insinuat, decoretur et non incipiens, vanum argumentum est; quia perfectus potest considerari vel ut dicit theologiam mysticam perfectam, vel cum praecisione ab illa. Hoc secundo modo non intelligitur illis gratiis decorari, quibus sub prima consideratione cernitur insigniri. Ex hoc tamen sequitur quod theologia mystica sit, quae illas ut propriam rationem formalem respicit. Et quod diximus de perfecto et perfecta contemplatione, dicimus etiam de incipiente et contemplatione imperfecta. Si namque incipiens consideretur prout dicit mysticam theologiam imperfectam, iis non adeo perfectis gratiis, quas in obiecto percipit, decoratur. Unde paritas inconcussa semper manet cum illo solum discrimine maioris perfectionis.

Pulchram praedictorum confirmationem nobis offerunt nostri Salmanticenses in *Arbore virtutum,* numero 10 (41), ubi loquentes de actibus bonis viae et patriae dicunt: *Verum quia actus eliciti in via, ita sunt ultimum respectu suae virtutis, ut in ultimiorem finem, aeternam scilicet beatitudinem, adhuc tendant, ita sunt fructus, ut possint simul dici flores, iuxta illud Eccles.,* XXIV, (42) *flores mei, fructus honoris, et honestatis.* Vides idem quod gustui firmissimo beati fructus suavissimus est, palato non adhuc firmo viatoris florem lautissimum esse; non enim posset viator cibum illum sub *fructus* specie sustinere; quia *non videbit me homo, et vivet* (43): quod certe possunt sustinere beati. Conceditur tamen illis ut *flos;* quia sic proportionatur cum exsilii tenuitate. Idem de theologia mystica imperfecta relate ad perfectam viae dicito, et ex iis, quae num. 37 et 38 diximus, confirma; et sic nihil inconsentaneum rationi ex nostro asserto sequi deprehendes.

114. Ad ultimam confirmationem dicas: theologiam mysticam perfectam illam suam mirabilem dulcedinem habere

(41) t. VI, p. 420b.
(42) *Ecclesiastici,* c. XXIV, v. 23.
(43) *Exod.,* c. XXXIII, v. 20; Hetzenauer, p. 75: *Non enim videbit...*

propter excellentiam rei contemplatae, ut iam nobis dixit Angelicus Doctor (44), quam quidem rationem in mystica theologia imperfecta locum etiam habere diximus num. 110. Unde tam ipsa, quam meditatio suam sapiditatem in obiecto habent, qua aliciuntur, aliis omnibus spretis, dicente D. Gregorio, *Super Ezech.* (45): *Cum Deus iam per desiderium, et intellectum cognoscitur, omnem voluptatem carnis arefacit.* Adde: omnem sapientiam dici *sapidam scientiam;* haec enim etymologia non est privative propria doni sapientiae; quiaque tam contemplatio imperfecta quam meditatio a principio, quod sapientia est, eliciuntur; propterea ex hac ratione nihil adversum nos probatur.

§. III. Argumentis aliis contra secundam conclusionem respondetur.

115. Contra ipsam secundam conclusionem arguitur *primo:* Ideo theologia mystica perfectissima respiceret Deum sub ratione degustati, quia elicitur a dono sapientiae, quod est idem ac sapida scientia. Sed haec ratio est nulla. Ergo theologia mystica propriisime dicta aliam rationem *sub qua* habet. Maior certa est et constat ex dictis in hac quaestione. Minor vero probatur primo: quia iuxta D. Thomam, in III *Sent.,* d. 35, quaest. 2, art. 1, quaestiunc. 2 (46) et II^{a} II^{ae}, quaest. 45, art. 2, ad 2, sapientia non dicitur *Sapida scientia;* unde falsum est a sapore nomen habere. Ergo. Probatur secundo illa minor: quia etsi verum sit, quod sapientia illam etymologiam habet, non inde potest sumi argumentum ad probandum sapientiae donum ab obiecto saporis speciem sumere. Ergo illa ratio non tenet. Probatur antecedens ex D. Thoma, qui licet in III *Sent.,* dist. 25, quaest. 1, art. 1, quaestiunc. 1 (47) approbet opinionem Richardi de Sancto Victore definientis fidei *articulum* ex nominis etymologia, postea vero, II^{a} II^{ae}, quaest. 1, art. 6, ad 3, illam contemnit dicens: *Ad tertium dicendum quod illa diffinitio datur de articulo magis secundum quandam etymologiam nominis prout habet derivationem latinam, quam secundum eius veram significationem, prout a graeco derivatur; unde non est magni ponderis.* Ubi vides D. Thomam opinionem illam *non esse magni ponderis* dicentem, quia procedit *secundum quandam etymologiam nominis.* Ergo. Probatur tertio: quia etsi ratio ab etymologia desumpta probaret efficaciter, inefficax in praesenti foret; quia contemplatio perfectissima non solum elicitur a dono sapientiae, sed ab aliis principiis quae sapientia non sunt, uti donum scientiae et intellectus. Sed contemplatio elicita a dono intellectus et scientiae non dicit saporem illum et gustum, non enim haec sunt dona *sapida scientia.* Ergo nulla contemplatio, quantumvis perfectissima, ab hoc gustu, sapore seu experientia speciem sumit. Praemissae ex insertis probationibus constant; et consequentia probatur: quia omnis contemplationis perfectissimae una debet esse ratio *sub qua.*

116. Respondetur argumento, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem dicas: D. Thomam non negare sapientiam idem esse ac sapidam scientiam iuxta etymologiam linguae latinae, sed secundum nomen quod in graeco habet. Verba Angelici Praeceptoris, loco citato, ex II^{a} II^{ae} (48), haec sunt: *Unde patet responsio ad secundum; si tamen iste sit intellectus istius authoritatis, quod non videtur; quia talis expositio non convenit, nisi secundum nomen, quod habet sapientia in lingua latina. In graeco autem non competit, et forte nec in aliis linguis. Unde*

(44) IIa IIae, q. 180, a. 7, ad 3.

(45) l. c. Migne, l c., col. 955. Refertur etiam a D Thoma, IIa IIae, q. 180, a. 7, ad 2.

(46) Ed. Vivès, t. IX, p. 590. In antiquis editionibus erronee additur: « *ad 1* ».

(47) Ed. cit., t. IX, p. 385b. cf. etiam III *Sent.,* dist. 25, q. 2, a. 2, quaestiunc. 1, ad 4 et 5; p. 395.

(48) q. 45, a. 2, ad 2; ed. Leonina, t. VIII, p. 341b:... *si tamen iste sit intellectus illius auctoritatis. Quod...*

potius videtur nomen sapientiae ibi accipi pro eius fama, quae a cunctis commendatur. Sapientia enim diversa nomina pro idiomatum diversitate habet. In hebraeo, in quo scriptus est liber Ecclesiastici, e cuius cap. VI, versu 23 (49), est auctoritas posita in argumento, cui respondet D. Thomas, significat rem summe absconditam et captui humano pene inaccessibilem. In graeco autem, in quod Iesus iunior Siracidis avi sui librum transtulit, nomen, quod sapientia habet, vidimus ex D. Thoma, ab ipsius fama et splendore esse impositum. In latino denique haec altissima res dicitur sapientia, quod nomen *habet a sua proprietate et re ipsa, suaque actione, videlicet, ab interno divinorum sapore, et gustu dulcedinis summi boni: dicitur sapientia a sapore, quasi sapida scientia,* ait Cornelius super citatum *Ecclesiasticum* (50) cum Dionysio, Lyrano (51) et aliis. Quare licet D. Thomas neget quod sapientia sit scientia sapida prout significatur in aliis linguis a latina, in hac autem idem esse ac sapidam sapientiam non negat, sed cum communi aliorum sensu docet.

117. Ad secundam probationem antecedentis respondetur: Verum quidem esse argumentum ab etymologia, prout sic, non dicere positivam efficaciam ; dantur enim plura argumenta ab etymologia, quae certe efficacia non sunt; quod iam observavere nostri Complutenses abbreviati in *Logica,* disputatione 12, quaest. 1, num. 6 (52), constatque ex exemplo allato a D. Thoma in contrarium adducto. Respuit enim Doctor Angelicus definitionem Richardi dicens, quod eius fundamentum *non est magni ponderis;* non quia detur *secundum quandam etymologiam nominis* (53) absolute ; sed quia non est *secundum eius veram significationem prout a graeco derivatur* (54). Itaque *nomen articuli,* ait inibi D. Thomas in corpore, *ex graeco videtur esse derivatum;* unde ut recte definiatur et quid sit articulus demonstetur, non derivatio latina, quae ipsi veluti extranea est, sed vera signicatio prout a graeco derivatur, attendi debet. Et haec est ratio ob quam D. Thomas non approbat IIª IIᵃᵉ (55) definitionem, quam de articulo Richardus dedit. Nec verum est, quod in *Sententiariis* illam definitionem approbat: illam refert et explicat, quod etiam IIª IIae facit, sed hoc non est illam approbare.

In nostro autem casu aliter res se habet; quia nomen *sapientia* latinum est et secundum veram significationem prout a latino derivatam procedit. Unde argumentum ab etymologia cum hisce adiunctis non est inefficax. Praeterquam quod nos non ea solum ratione nostram assertionem probavimus.

118. Ad tertiam probationem negetur maior. Theologia enim mystica iuxta dotrinam communissimam mysticorum elicitur a dono sapientiae, si de theologia mystica propriissime tali, ut vere loquimur, sermo sit. Aliae autem contemplationes ab aliis principiis elicitae, quantumvis perfectissimae sint, non sunt mystica theologia propriissime talis ; haec enim est actus ille elevatissimus, cuius numero 5 memoriam aliqualem fecimus; qui actus indispensabiliter doni sapientiae proles legitima est, nisi forte eliciat illum superius principium aliud, quod eminentius quam donum sapientiae sapida scientia sit. Unde loquentes de mystica theologia omnino proprie, qualiter hic de ea loquimur, ad solum donum sapientiae spectat; si autem loquamur de mystica theologia non adeo rigorose sumpta, iam vidimus §. praecedenti quid tenendum sit.

119. Arguitur *secundo:* quia datur perfectissima contemplatio, quae non so-

(49) scil.: *Sapientia enim doctrinae secundum nomen est eius.*

(50) CORNELIUS A LAPIDE (i. e. VAN DER STEEN) S. I., *Commentaria in Scripturam Sacram,* ed. Vivès, t. IX, p. 208.

(51) *In Ecclesiasticum,* l. c., *Biblia Sacra cum glossa ordinaria a Strabo Fuldensi... et Postilla Nic Lirani Franc.,* Antverpiae, 1634, t. III, col. 2019.

(52) Ed. 1670, t. I, p. 309. In antiquis editionibus erronee ponitur: « *num* 7 ».

(53) IIa IIae, q. 1, a. 6, ad 3.

(54 l. c.

(55) q. 1, a. 6, ad 3.

lum non est sapida et suavis, verum etiam est insipida, afflictiva et poenalis. Ergo contemplatio perfectissima non est essentialiter sapida. Probatur antecedens: Contemplatio qua spiritus purgatur, est contemplatio infusa et perfectissima. Sed haec contemplatio admodum terribilis et amara est. Ergo. Cetera constant. Et minor nota apud mysticos est, quos inter in eius declaratione eminet Seraphicus noster Doctor D. Ioannes a Cruce toto fere libro II *Noctis* (56), ubi dolores pressurasque, quas manibus huius perfectissimae contemplationis anima perpetitur, manu succulenta proponit solitaque dexteritate, auctoritatum feraci copia rationumque adminiculis probat.

120. Nec dicas: hanc purgatricem contemplationem non esse adeo perfectam seu mysticam theologiam. Nam contra est primo quod citatus noster Parens cap. 5 (57) ait: *Esta noche oscura es una influencia de Dios en el alma, que la purga de sus ignorancias é imperfecciones habituales, naturales, y espirituales, que llaman los contemplativos contemplacion infusa, ó mystica Theologia, etc. Por quanto es sabiduria de Dios amorosa.* Hoc est: Haec nox obscura est influxus Dei in animam, ipsam purificans a suis ignorantiis et imperfectionibus habitualibus, naturalibus et spiritualibus; quam influentiam vocant contemplativi infusam contemplationem aut mysticam theologiam, etc. Pro quanto est sapientia Dei amorosa (58). Concluditque (59): *Donde la misma sabiduria amorosa, que purga los espiritus bienaventurados ilustrandolos, es la que aqui purga á el alma, y la ilumina.* Id est: Eadem sapientia amorosa, quae beatorum spiritus illustrans purgat, est quae hic animam purgat et illuminat (60). Quae omnia non nisi de perfectissima theologia intelligi valent; haec enim est absolute mystica theologia, amorosa sapientia, eaque sola potest esse idem cum sapientia, qua spiritus beati purgantur.

Secundo: quia idem Extaticus Doctor, libro citato, capite 10 (61), ait: ipsa amorosa sapientia, qua media anima unitur transformaturque, est quae prius illam purgat et disponit. Sed sapientia amorosa qua anima unitur, est theologia perfectissima. Ergo.

121. Respondetur primo solutione inter arguendum data: quia contemplatio illa non est a dono sapientiae. Ut enim vel ipsum argumentum supponit, illam contemplationem patientes non sunt purgati, atque adeo, nec intime Deo uniti, unde theologiam mysticam perfectissimam non exercent. Haec enim est notitia Dei experimentalis perfectissima et sapidissima, qua non purgati carere certum est. Unde solutione dicta admissa, ad in contrarium obiecta respondetur: contemplationem purgatricem esse quidem infusam; at non omnis contemplatio infusa theologia mystica perfectissima est. Nec obest, quod noster illuminatus Doctor hanc ipsam purgatricem contemplationem appellet mysticam theologiam; quia non omnis mystica theologia theologia perfectissima est; est etiam contemplatio haec sapientia amorosa, quia habet pro principio et fine caritatem, ut supra vidimus ex D. Thoma. Est insuper quae purgat illuminatque spiritus beatos; quia ex parte causae efficientis et moventis seu imperantis, et etiam ex parte finis conveniunt. Est denique sapientia haec illa sapientia, qua anima Deo suo intime unitur;

(56) *Noche oscura del espiritu;* ed. crít., t. II, p. 51 sqq.

(57) *ib.*, canc. I, v. 1, §. 1 (cap. 5); ed. crít., t. II, p. 58.

(58) In I ed. legitur: « Haec obtenebrata nox est quaedam Dei influentia in anima, purgans eam ab ignorantiis, et habitualibus imperfectionibus, naturalibus, spiritualibusque, quam contemplativi infusam contemplationem, seu mysticam theologiam nominant, etc. Cum sit sapientia Dei affectuosa ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: « Haec obscura nox est... sapientia Dei amorosa ».

(59) l. c.; ed. crít., l. c.: *De donde...*

(60) I ed.: « Ubi eadem, et affectuosa sapientia, qua Beatorum spiritus per illustrationem purgantur, est, quae hic animam purgat et illuminat ». — Similiter in Neapol., praeter: « Ubi eadem, et amorosa sapientia... »

(61) *ib.*, canc. I, v. 1, §. 6 (cap. 10); ed. crít., t. II, pp. 81-84.

ast dum purgat, non habet illam perfectionem, qua fulget, dum unit et transformat. Unde semper verum est, quod purgatrix contemplatio haec non est mystica theologia perfectissima, quam asserimus Deum sub ratione perfectissime degustati attingere.

122. Dices: Ergo mystica theologia minus perfecta seu haec purgatrix contemplatio non habet pro ratione *sub qua* gustum et saporem, contra ea quae diximus in prima conclusione.

Hanc obiectionem solvet secunda facti argumenti solutio. Respondetur ergo secundo ad argumentum : contemplationem hanc spiritus purgatricem perfectissimam esse et consequenter respicere Deum sub ratione degustati ac experti, et suavitatem deliciasque effundentem. Quod quidem habet talis contemplatio ex natura sua, licet anima, cui infunditur, haec non percipiat, nec percipere possit, quoadusque exuat veterem hominem cum actibus suis (62), expurgatque vetus fermentum, sitque nova conspersio et azyma (63). Aliud est enim, quod contemplatio habet ex se imprimitque subiecto idoneo; et aliud, quod subiectum non proportionatum percipit. Illa ex natura sua tendit in Deum sub dicta ratione; et si subiectum contemplativum capax est, plene percipit contemplationis delicias. Sin minus non percipit nisi prout idoneitatem habet. Quod si non solum non habet proportionem, verum et dicit repugnantiam, ut in peccato existens, poterit cognoscere theologiam mysticam perfectissimam delicias illas respicere, ab ipso neutiquam degustandas, *quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (64). Vide dicta in *Isagoge,* libro III, num. 30 et 58. Ex quibus omnibus constat posse theologiam mysticam dictam rationem formalem respicere quin anima contemplativa delicias, quas ipsa respicit, experiatur; immo et quod amaritudine amarissima crucietur.

Exemplum in ipsa contemplatione habemus, quae certe lux fulgentissima est, et tamen in subiecto non purgato tenebras offusissimas causat. Et ratio est eadem in utroque casu, videlicet ipsa animae non purgatae indispositio, ob quam in ipsa luce meridiana caecutit et in ipso deliciarum caelestium viridario torpet, languet, vapulat, cruciatur. Causae autem istae animam sic indisponentes ut lucem ac suavitatem percipiat, plurimae sunt, easque quam profundissime edisserit noster Extaticus Doctor, loco citato, per plura capita; videatur. Ac per hoc patet solutio ad obiectionem positam numero 122; quae omnia plenius elucidabuntur, cum de contemplatione ipsa egerimus.

123. Arguitur *tertio:* Experientia et gustus ex unione animae ad Deum media caritate est aliquid naturale. Ergo non est ratio *sub qua* theologiae mysticae. Patet ista : quia ratio *sub qua* habitus supernaturalis naturalis esse non potest. Probatur antecedens: quia ex hoc, quod anima media caritate Deo uniatur, sequitur naturaliter illa experientia de Deo, sicut ex unione ad quodvis aliud obiectum, sive naturale, sive supernaturale sit, talis experientia resultat.

124. Confirmatur: Nullus habitus datur, qui specificetur ab experientia et exercitio in proprium obiectum, praeter habitum tale obiectum ut proprium respicientem. Ergo mystica theologia non specificatur a dicta experientia. Antecedens patet discurrendo per omnes habitus tam naturales, quam supernaturales; non enim datur habitus aliquis ad cognoscendum ea quae sunt temperantiae, ex eius exercitio, taliter quod ipsum exercitium ut proprium specificativum respiciat. Et similiter nec ad iudicandum de exercitio fidei aut caritatis ex earum exercitio et experientia, qui a talibus experientia et exercitio speciem habeat. Hincque probatur consequentia a pari-

(62) *Coloss.*, c. III, v. 9.
(63) *I Cor.*, c. V, v. 7.
(64) *Sap.*, c. I, v. 4.

tate : quia si in aliis virtutum exercitiis non datur talis habitus, non est cur experientia resultans ex unione ad Deum, quae fit mediis fide et caritate, sit ratio formalis *sub qua* theologiae mysticae.

125. Confirmatur secundo: quia ad illam experientiam et gustum qui ex unione ad Deum resultat, percipiendum, sat est reflexa cognitio de ipsa unione. Ergo talis experientia nullum habitum specificat.

126. Respondetur argumento negando antecedens. Ad probationem dicatur, ad unionem animae cum Deo sequi quidem gustum illum *naturaliter,* hoc est, necessario; non tamen *naturaliter,* hoc est, per modum rei naturalis. Ratio utriusque ea est, quod supposita intima unione animae ad Deum, totius suavitatis centrum, non potest non ipsa anima percipere torrentem voluptatis divinae. Nihil enim est, quod huic perceptioni obsit. Obiectum quippe sapidissimum est et gustus animae bene dispositus, uti unio ipsa testatur; quid ergo obesse poterit, quominus divinus ille sapor subsequatur? Unde necessario sequitur, non tamen sequitur per modum rei naturalis. Quippe gustus ille consequitur ex amore supernaturali et cognitione supernaturali vel fidei in via, vel visionis in patria regulatur. Unde non est ratio ut supernaturalis non sit. Hincque clamat Psalmista (65) : *Accedite ad eum, et illuminamini ;* et *gustate, et videte quoniam suavis est Dominus.* Quia ex mystica unione ad Deum oritur sapor deliciosissimus; sed sapor, qui amoris fervidissimi supernaturalis legitima proles est, quippe illuminationem sublimissimam supernaturalem causat. Et observa huius suavitatis activitatem; quia non dixit David: *Gustate, et videbitis,* aut *accedite ad eum, et illuminabimini;* sed: *Gustate, et videte; accedite, et illuminamini.* Quia idem omnino est Deo uniri ac illuminari; sicut enim ex unione sequitur necessario gustus, sic ad gustum necessario illuminatio consequitur.

127. Dices: Sicut ad intimam unionem cum Deo consequitur dicta suavitas; sic ad supernaturalem gloriam animae consequuntur dotes corporis, illud disponentes iuxta exigentiam eiusdem gloriae, cum qua ex sua essentiali ratione nexum habent. Atqui tales dotes sunt entitative naturales, ut videre est apud nostros Salmanticenses, tract. IX, disp. 5, dub. 2, §. 5 (66). Ergo similiter.

Respondetur observando breviter: supernaturalitatem entitativam et simpliciter talem, de qua loquimur, desumi penes excessum ad omne ens creatum et creabile; sicque gratia et gloria supernaturales sunt. Unde illud ens, quod non superat omnem naturam creatam et creabilem, supernaturale non est entitative et simpliciter; quamvis secundum quid et quoad modum possit esse supernaturale id, quod secundum suam substantiam naturale est. Quorum maiorem explanationem a nostris Salmanticensibus petere potes loco citato et tract. II, disp. 3, dub. 2, §. 4 (67). Tuncque ens superat omnem naturam creatam et creabilem, cum participat aliquod praedicatum divinum secundum modum proprium ipsius Dei ; si autem aliter participet, hoc est, secundum modum proprium creaturae participantis, cessat excessus ille. Hincque respondetur ad factam obiectionem :

Quod ab ipsa gloria animae, ut a termino primario actionis divinae, resultat gloria corporis tanquam terminus secundarius. Ast ex hoc non sequitur quod dotes corporis gloriosi sint simpliciter supernaturales. Et ratio est: quia tales dotes nullum praedicatum divinum participant iuxta modum proprium ipsius Dei; unde non superant omnem creatam creabilemque naturam; cuius rei evidens signum est, quod claritas corporis gloriosi (idem proportionabiliter intellige de aliis dotibus) est eiusdem speciei cum claritate aliorum corporum, uti statuit

(65) *Ps.* 33, v. 6 et 9.
(66) num. 41 et sq.; t. V, pp. 357a sq.
(67) t. I, pp. 211b-212b.

D. Thomas in IV *Sent.*, d. 44, quaest. 2, art. 4, quaestiunc. 2 (68), docens illam corporis gloriosi claritatem videri naturaliter posse ab oculo non glorificato. Cum quibus incompossibilis est supernaturalitas simpliciter talis; implicat enim eandem rem esse simpliciter naturalem ac supernaturalem; similiterque implicaret posse talem claritatem videri ab oculo non glorificato, ut de se notum est. Ex his constat talem claritatem esse simpliciter naturalem et etiam suavitatem expertam a mystica theologia esse simpliciter supernaturalem; tum quia nulla alia suavitas est eiusdem speciei cum illa; immo relate ad illam omnia insipida et amara sunt; tum quia nullus gustus, nedum corporeus, verum nec spiritualis, potest saporem illum percipere naturaliter, sed debet quamplurimis examinari, ut supernaturaliter elevetur fiatque idoneus ut possit sapore illo suavissimo recreari.

Aliunde etiam qualitates eiusdem speciei cum dotibus corporis gloriosi non repugnat (69) quod a Deo ponantur in corporibus vitae expertibus; de factoque, sicut in ressurrectione universali, corpora beatorum mirissima illa claritate fulgebunt; sic caelum, aer aliaque corpora inanimata cum beatis pariter renovanda eiusdem naturae luce micabunt. Ex quo sequitur quod emanatio a gloria animae et respectus ad ipsam non competant dotibus corporis gloriosi secundum suam naturam; si namque secundum suam naturam competerent, qualitates eiusdem speciei in aliis corporibus dari nullatenus possent. Contrarium evenit in gustu illo ab unione resultante; siquidem a nullo alio provenire potest praeterquam ab ente supernaturali; nec alibi potest reperiri aut ad aliud ordinari; licet enim alii sapores deliciaeque aliae dentur, sunt tamen diversissimi generis. Videantur citati Salmanticenses, loco citato ex tract. IX (70).

Ad primam confirmationem respondetur negando consequentiam; discrimen est, quod aliae virtutes, etiam infusae, procedunt regulanturque iuxta modum illas exercentis; unde illarum exercitium nullam difficultatem habet, pro qua habitus necessarius sit; et consequenter nec elevationem aliquam dicit ut possit habitui speciem impertiri. Ast unio mystica est ultra modum et mensuram humanam, ut omnes mystici docent; atque adeo sicut in eius exercitio est specialis difficultas per habitum vincenda, sic etiam experientia ipsa est adeo extra communem cursum ut possit habitum specificare.

128. Dices : Licet data solutione dirimatur obiectio prout opposita est ultimae conclusioni, ex illa tamen impugnatur secunda; quoniam theologia mystica late sumpta seu contemplatio acquisita non est ultra modum et mensuram humanam; vel quia naturalis est, vel quia si supernaturalis asseratur, prudentiae substernitur, cui subordinatur. Ergo exercitium illius habitum specificare non potest.

Respondetur ex infra serio dicendis, concedendo consequentiam; quia theologia mystica acquisita non est specialis aliquis habitus distinctus a theologia scholastica, sed est ipsa scholastica theologia dicens specialem quemdam modum respiciendi Deum non ut cognoscibilem et ex discursu, sed ut amabilem et ex affectu, in quo convenit cum theologia mystica propriissime tali ; proptereaque diximus convenire cum ipsa in ratione *sub qua,* quamvis, quia modo humano regulatur, non requirat eius experientia habitum aliquem specialem. Quae ex dicendis infra nota fient.

129. Ad secundam confirmationem respondet piissimus ac doctissimus Magister Ioannes a Sancto Thoma I^{a} II^{ae}, quaest. 68, disp. 18, art. 3 (71), dicens :

(68) Ed. Vivès, t. XI, p. 335.
(69) « *Repugnant* » in IV ed.
(70) scil. tract. IX, disp. 5, dub. 2, §. 5, num. 41 sq.; t. V, pp. 357a sq.

(71) *Cursus Theologicus in Summam theologicam D. Thomae,* disp. 18, art. 3, num. 81; ed. Vivès (1883-1886), t. V, p. 631: *Respondetur gustum... actum gustandi, et fruendi Deo. Caeterum reflexio*

Gustum et experientiam internam divinae dulcedinis, super quam fundatur mystica cognitio rerum divinarum non dari sine aliqua reflexione super ipsum actum gustandi. Qui quidem dupliciter cognosci per illam reflexionem potest: primo entitative, physice seu quoad quidditatem; secundo quoad exercitium, et effectum quem relinquit in subiecto gustandi de Deo, et sentiendi experimentum eius. Et hoc secundo modo fundatur cognitio affectiva in illa reflexione ad actum. Hactenus auctor hic, vere Magister. Eius tamen doctrinam penitus comprehendere non potui.

130. Primo quidem, quia appellat cognitionem reflexam illum actum intellectus, quo cognoscitur actus voluntatis gustans sumensque experientiam de Deo. Quod verum esse non potest: quia reflexio est duplex, uti ex D. Thoma, *opusculo* XLVIII (72) et ex I^{a} II^{ae}, quaest. 16, art. 4, ad 3, observant nostri Complutenses in *Logica,* disp. 2, quaest, 3, num. 18 (73): et datur reflexio propria et impropria. Propria est cum potentia reflexiva per actum posteriorem cognoscit alium actum prius a se elicitum. Impropria est, cum idem actus directus seu medio illo potentia advertit ad suum actum vel ad effectum illius. Sed cognitio quam ponit praefatus Magister, est actus intellectus cognoscens actum voluntatis. Ergo non est aliquomodo reflexa.

Confirmatur: Cognitio terminata ad actum voluntatis entitative seu physice sumptum non est reflexa. Ergo nec cognitio terminata ad eundem voluntatis actum prout dicit suum exercitium effectumque. Antecedens est certum, si vera est communis doctrina, quam modo dedimus de reflexione propria et impropria; et consequentiam ratio paritatis convincit; eo enim illa prior cognitio non est reflexa, quia est actus unius potentiae terminatus ad actum alterius. Sed in hac posteriori idem evenit. Ergo.

131. Secundo displicet data solutio; quia secundum illam datur hic triplex actus, quorum primus est actus voluntatis degustans; secundus cognitio reflexiva illum primum actum cognoscens; tertius vero cognitio affectiva seu mystica super illam reflexionem fundata. Hoc enim clarissime ostendunt eius verba, quae haec sunt: *Hoc secundo modo* (scilicet prout illa reflexio respicit actum dictum voluntatis dicentem exercitium, et effectum quem relinquit in subiecto) *fundatur cognitio affectiva in illa cognitione seu reflexione ad actum, quo beatus fruitur Deo* (74) seu, quod idem est, quo contemplativus mysticam contemplationem exercet. Ex quibus priorem actum non esse mysticam theologiam, sic certum est ac quod tertius est propriisime theologia mystica, adhuc in sententia auctoris quem impugno. Modo vero inquiro: Secundus ille actus est mystica theologia vel non? Si asseras theologiam mysticam esse, fateri consequenter teneris illum actum theologiae mysticae non terminari immediate ad Deum, sed ad illum actum voluntatis, quem *quoad suum exercitium, et effectum, quem relinquit in subiecto* (75), considerat. Si autem asseras illum actum mysticam theologiam non esse, quoties illum introducis, ni fallor, sacrae scripturae adversaris. Audivimus enim supra, num. 126, Davidem dicentem (76): *Accedite ad eum, et illuminamini;* et etiam: *gustate, et videte;* ubi illuminatio et visio, quae in omnium sententia, quae est expressa Angelici Praeceptoris citati supra, numeris 91 et 92, sunt actus perfectissimae contemplationis, ponuntur immediate ad unio-

illa, seu cognitio talis actus potest dupliciter considerari. Uno modo quod sit reflexio tendens ad cognoscendum illum actum entitative, et physice, et quoad suam quidditatem; alio modo quod sit cognoscitiva illius quoad suum exercitium, et effectum quem relinquit in subiecto gustandi de Deo, et sentiendi experimentum eius. Hoc secundo modo fundatur cognitio affectiva in illa cognitione, seu reflexione ad actum quo beatus fruitur de Deo, et non primo modo.

(72) i. e. *De totius logicae Aristotelis Summa,* Tract. II, cap. 1; ed. Vivès, *Opuscul.* XLIV, t. XXVIII, p. 78-79.

(73) Ed. 1629, t. I, pp. 92b-93a.

(74) IOANNES A S. THOMA, l. c.

(75) *id.*, l. c.

(76) *Ps.* 33, v. 6 et 9.

nem et gustum quem ex ipso accessu ad Deum experitur voluntas, quin de alio illo actu reflectente supra actum voluntatis et mysticam cognitionem fundante nec levissima mentio fiat; immo nec fieri posse ipsa actuum, quos recenset, immediatio suadet.

132. Tertio denique displicet data solutio: quia est contra expressam doctrinam Seraphicae nostrae Matris D. Theresiae, libro *Vitae*, cap. 16 (77) et libro *Conceptuum*, cap. 6 (78), ad illa verba *Canticorum*, II (79): *Introduxit me Rex in cellam vinariam*. Ubi ait: *Dichosa embriaguez, que hace suplir al Esposo lo que el alma no puede, que es dar orden maravillosa, para que estando todas las potencias muertas, ó dormidas, quede el amor vivo; y que sin entender, como obra, etc.* Hoc est: Ebrietas fortunata, in qua Sponsus supplens quod anima tunc facere non potest, mire ordinat potentias omnes ita ut aliis aut emortuis, aut absorptis, solus amor ferveat, quin tamen intelligat quomodo operatur (80). Haec Sanctissima Doctrix, in quibus cognoscitur non dari talem reflexionem ; si namque daretur, intelligeret quomodo operatur. Idem docet profundissimus Doctor Parens noster D. Ioannes a Cruce, qui in *Flam.*, cant. III, vers. 3, §. 6 (81), ait: *Quando assi acaeciere que se sienta el alma ponerse en silencio, y escucha, aun la atencion amorosa, que dixe ha de ser sencilla, sin cuidado, ni reflexion alguna.* Id est: Cum anima in silentio ponitur, ut audiat quid loquatur in ipsa Dominus Deus, etiam attentio amorosa, quam dixi, debet esse prorsus simplex, sine sollicitudine aliqua aut reflexione (82).

133. Hac ergo solutione relicta, respondetur ad secundam confirmationem negando quod cognitio mystica sit vel in se, vel in suo fundamento reflexiva. Haec enim cognitio subsequitur, modo saepius dicto, ad actum voluntatis et ad Deum sub ratione experti ac degustati terminatur. Nec hoc quod est ad Deum prout sic terminari, est aliqua reflexio; alias nullus esset actus, qui reflexus non foret, cum omnis actus ad terminum vel obiectum dirigatur sub aliqua ratione et prout illi subest.

QUAESTIO SEXTA

Quod sit obiectum secundarium mysticae theologiae

Sufficienter constat ex dictis in hac disputatione quodnam sit obiectum secundarium mysticae theologiae. Ut autem omnia quae ad obiectum attinent, ut (1) possumus, discutiamus ; propterea hoc ipsum, quod sufficienter ex dictis constare potest, disquirimus.

(77) Ed. crit., t. I, pp. 117 sq.

(78) *Conceptos del amor de Dios*, cap. 6; ed. crit., t. IV, p. 259:... *que es dar orden tan maravillosa, que estando...*

(79) v. 4; Hetzenauer, p. 598, omittit « *Rex* ».

(80) In I et Neapol. ed legitur: « Foelix ebriositas, quae facit sponsum supplere id, quod ab anima non potest, hoc est, communicare mirabilem ordinem, ut stantibus omnibus potentiis mortuis, sive somno deditis, relinquatur amor vivus; et quomodo operetur non intelligens, etc ».

(81) *Llama de amor viva*, canc. III, v. 3, §. 7; ed. crit., t. II, p. 448: *Por tanto, cuando acaesciere que de esta manera se siente el alma poner en silencio y escucha aún el ejercicio de la advertencia amorosa, que dije, ha de olvidar, para que se quede libre para lo que entonces la quiere el Señor.* — Adhuc alia lectio invenitur in *Primera Llama de amor viva*, canc. III, v. 3, §. 6 ; ed. crit., t. II, p. 657: *Lo cual cuando asi acaeciere, que se sienta el alma poner en silencio y escucha, aun la advertencia amorosa, que dije, ha de olvidar, porque el alma se queda libre para lo que entonces la quieren.*

(82) In I ed. legitur: « Dum sic acciderit, quod anima se sentiat in silentio, et auscultatione poni, adhuc affectuosa attentio, quam dixi, absque cura, sive reflexione aliqua simplex debet esse ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: «... adhuc amorosa attentio... ».

(1) « *ut ut* » in IV ed.

§. 1. Proponitur sententia communis.

134. Nostra Conclusio: *Obiectum materiale et secundarium mysticae theologiae sunt omnes creaturae.* Ita communiter doctores. Probaturque conclusio ratione quam nobis offert D. Thomas, Iª p., quaest. 1, art. 7, quae sic conficitur : Theologia mystica agit de omnibus creaturis. Ergo omnes illae sunt illius obiectum. Atqui non sunt obiectum formale et specificationis. Ergo sunt obiectum materiale et extensionis. Haec ultima consequentia constat ex se. Et propositio subsumpta est D. Thomae citati (2) dicentis : *Omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium, et finem.* Unde Deitas, quae est ratio *quae* huius doctrinae sacrae, ut constat ex superioribus, invenitur in omni ente: in divino per essentiam et a se; in creato autem, cuiuscumque ordinis sit, per participationem et ab alio; atque adeo omnia sunt nostrae sacrae doctrinae obiectum; ast ens divinum, quod Divinitatem habet a se, est primarium et specificativum; creatum vero, quia Deitatem participatam habet, est secundarium et extensivum. Prima consequentia constat: quia id omne de quo agit scientia, pertinet ad eius vel primarium, vel secundarium obiectum. Antecedens autem probatur; tum ex unanimi consensu mysticorum; tum etiam, quia theologia mystica est vere sacra doctrina; unde ad ea omnia quae sacra doctrina considerat, terminatur; tum denique et maxime ex contemplativorum experientia, qui in quacumque re inveniunt quo in profundissimum Divinitatis oceanum rapiantur.

135. Roboratur dicursus hic ex sacra scriptura: quoniam non est creatura,in qua non inveniat mysticus Dei vestigium, quod contempletur. Ergo in illis omnibus invenitur ratio *quae* theologiae mysticae; atque ideo omnes sunt eius obiectum secundarium. Cetera constant ; et antecedens edocetur a *Iob,* cap. XII (3), dicente: *Interroga iumenta, et docebunt te, et volatilia Coeli, et indicabunt tibi; loquere terrae, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris.* Et quid est quod respondent ista, ad quae haec interrogatio dirigitur? Subdit patientissimus ipse dicens (4): *Quis ignorat quod haec omnia manus Domini fecerit?* Ac si diceret in omnibus his quibuscum homo sermonem texit interrogans, vestigium lucet divinum Conditorem demonstrans; unde ex eorum cognitione in Dei notitiam evehitur. Angelice D. Thomas sic explicat verba ista (5): *Tunc autem homo creaturas interrogat, quando eas diligenter considerat. Sed tunc interrogatae respondent, cum per considerationem ipsarum homo percipit, quod tanta ordinatio, et convenientia, quae invenitur in dispositione partium in ordine universi nullo modo posset esse, nisi ab aliqua superiori sapientia dispensante.* Similiter eodem libro, cap. XXXVI (6), dicitur: *Omnes homines vident eum,* Deum scilicet. Ubi D. Thomas sic loquitur (7) : *Tota hominis cognitio, et sermo est de Deo per opera eius, quae tamen neque Iob, neque aliquis alius homo perfecte cognoscere potest, et ideo subdit omnes homines vident eum, scilicet per sua opera.*

136. Eadem veritas ostenditur *Sapientiae,* XIII (8), iis verbis: *A magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Celebris est locus D. Pauli *ad Romanos,* I (9), dicentis: *Invisibilia* (Dei) *a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* In quorum verborum expositione

(2) Ia, q. 1, a. 7.
(3) v. 7 et 8.
(4) *ib.*, v. 9; Hetzenauer, p. 464,... *quod omnia haec...*
(5) *In Iob,* c. XII, lect. 1; ed. Vivès, t. XVIII, p. 82b.
(6) v. 25.
(7) l. c., lect. 2; ed. Vivès, t. XVIII, p. 188b.
(8) v. 5; Hetzenauer, p. 613: *A magnitudine enim speciei,....*
(9) v. 20; Hetzenauer, p. 1098: *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi,...*

profundissime spatiatur D. Thomas (10) ad nostrum propositum. Cum eo sentiunt omnes Patres, quorum diffusum agmen afferri poterat, sed in re adeo pervia prolixum foret. Sat sit Athanasium audire libro *Contra gentes* (11) dicentem: *Ex universitatis ordine, ac consensu Principem, et Administratorem intelligi necesse est Deum.*

137. Omnia praedicta confirmat mysta celeberrimus noster Parens D. Ioannes a Cruce pluribus in locis. Videamus tamen quid dicat cant. IV sui *Spiritualis Epithalamii* (12):

O bosques, y espesuras!
Plantadas por la mano de mi amado;
O prado de verduras!
De flores esmaltado,
Dezid si por vosotros ha passado ? (13)

Anima ergo Theologia mystica docta eiusque manibus ducta, dilectum contemplandum quaerit; quem ut inveniat, interrogat creaturas materiales, tum inferiores, tum superiores, uti exponit idem Theodidactus Doctor (14). Si autem scire cupis, quid sit interrogatio haec? Respondet idem ibidem (15): Notandum, quod, ut ait Sanctus Augustinus (16), interrogatio quam facit anima, est consideratio, quae ab ipsa fit in creaturis circa ipsarum Creatorem. Unde in hac cantione continetur consideratio elementorum et aliarum creaturarum inferiorum et consideratio caelorum et aliarum rerum materialium in ipsis caelis a Deo creatarum; et etiam consideratio animae rationalis et caelestium spirituum. Hactenus illuminatus Doctor omnino videndus, ut haec doctrina perfecte habeatur et anima superna adeo lectione delicietur.

Vidimus ergo animam creaturas omnes interrogantem, superest ut creaturas irrationales contemplemur respondentes. Earum responsio continetur in cantione V (17), quae sic est:

Mil gracias derramando
Passó por essos sotos con presura,
Y yendolos mirando,
Con sola su figura
Vestidos los dexó de su hermosura (18).

Quae sic explanare incipit citatus noster Parens (19): *En esta cancion responden las criaturas al alma. La qual respuesta, como tambien dize S. Agustin en aquel mismo lugar* (20), *es el testimonio, que dan en sí de la grandeza, y excelencia de Dios á el alma, que por la consideracion se lo pregunta.* Est dicere: In hac cantione creaturae respondent animae. Quae responsio, et etiam docet idem Sanctus Augustinus, nihil aliud est quam testimonium, quod eaedem creaturae ex seipsis exhibent animae, ipsas per suam considerationem interroganti circa sublimitatem et excellentiam Dei (21). Omnia certe, quae hic expertissimus Doctor circa haec scribit, exscribere vellem, quia propriissima sunt. Ast, quamvis omnia non possint, plura affero, quod pluribus suspicor neutiquam placiturum. Verum enimvero omnibus placere nec ambio, nec valeo, nec, quamquam valerem, ambirem. Hoc ut exsequar, motiva non contemnenda movent, quorum primum est fundare quidquid dicimus in iis quae a tanto Doctore

(10) lect. 6; ed. Vivès, t. XX, p. 399a-400b.
(11) Migne, P. G., t. 25, col. 77 (text. graec.).
(12) *Cántico espiritual,* canc. IV; ed. crít., t. II, pp. 193 y 511:... *la mano del Amado!*
(13) In ed. Neapol. additur:

« O selve dense oscure!
Piantate per la mano del mio amato
O prato di verdure!
Di bei fiori smaltato
Ditemi se per voi ei sia passato ».

(14) Ed. crít., t. II, pp. 193-195; 512-513.
(15) *ib.*, pp. 193-194; 512.
(16) *Confess.*, lib. X, cap. 6 per totum; Migne, P. L., t. 32, col. 782-783.
(17) Ed. crít., t. II, pp. 195 et 513:... *per estos sotos.... dejó de hermosura.*
(18) In ed. Neapol. additur:

« Mille grazie spargendo
Passò per queste selve con prestezza
Mentre l'andò vedendo
Col suo aspetto, e vaghezza
Vestite le lasciò di sua bellezza ».

(19) Ed. crít., l. c.
(20) Migne, l. c.
(21)In I ed. legitur: « In hoc cantu creaturae tribuunt animae responsum: quae quidem responsio, ut ait D. Augustinus in eodem loco, est testimonium, quod praebent in se circa magnitudinem, et excellentiam Dei animae, quae illi per considerationem interrogat ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: «... est testimonium, quod animae praebent in se ipsis circa magnitudinem et excellentiam Dei, quae illas per considerationem interrogat ».

discimus. Secundum motivum est (22) mendacem ostendere vocem, quae apud nonnullos invaluit de obscuritate censurabili huius profundissimae doctrinae. Obscura est, fateor; sed hoc est quia scientia mystica ex natura sua obscura est, iuxta dicta in nostra *Isagoge,* libro I, num, 8. Obscura est, non diffiteor; sed hoc est quia profundissime tractatur ab hoc expertissimo Doctore; et vel res non ita arcana, si profundo magisterio versetur, obscura pluribus est, quia subtilitas menti inidoneae est obscuritas. Obscura est, sed non censurabilis; frangat nucem quisquis illam percipere cupit et nucleum lucidissimum reperiet quo sibi et aliis proficiat. Vidisti hactenus omnia nostra asserta et dubia obiter occurentia huius illuminati Doctoris doctrina clarissime discussa. In praesenti vides quanti et qua claritate obiectum secundarium mysticae theologiae ostendat ; ut quid ergo obscuritatem in hac mirabili lectione suggillas?

Tertium motivum est hac arte alicere omnes ut huius praeclarissimi Doctoris opera evolvant, quo frugem copiosissimam comparandam in horrea Domini introducendam (23) praedivino. Haec ipsa, quae transcribo, invitant ut eorum fons exquiratur, in quo aquam salientem in vitam aeternam sibi comparent (24). Quartum denique motivum est ora eorum obtrudere, qui hac sanissima doctrina abutuntur, in eaque suis perversis dogmatibus patrocinium adesse pipiunt. Infelices isti tenebras suae perversitatis hac lucidissima luce circumornare satagunt; sed quia nulla conventio est nullumque commercium inter lucem et tenebras, propterea perspicaces mendacium agnoscentes, quasi os Domini facti, separant pretiosum a vili, et tenebras a luce segregantes comprimunt detectam caliginem. Ceterum ad hoc opus est lectione attenta et oratione devota. Sed quorsum haec ? In illa incidi inopinus, quoniam propensio incitabat. Claudo tamen dicens, doctrinis huius praeclarissimi Doctoris hoc nostrum opus vestiendum, ut illis abutentes confundantur.

Ad ea autem a quibus discessimus, regressi, dicimus quod, postquam Extaticus noster Parens quid creaturae irrationales responderent, proposuit, docet quid creaturae rationales respondent cantione VII (25), quae est huiusmodi :

Y todos quantos vagan,
De ti me van mil gracias refiriendo,
Y todos mas me llagan,
Y dexame muriendo
Un no se qué que quedan balbuciendo (26).

Quod Extaticus ipse sic explanat (27) : *En la Cancion passada ha mostrado el alma estar enferma ó herida* (28)) *de amor de su Esposo á causa de la noticia que de él le dieron las criaturas irracionales. Y en esta presente da á entender estar llagada de amor á causa de otra noticia mas alta, que de el amado recibe por medio de las criaturas racionales, que son mas nobles, que las otras, las quales son los* (29) *Angeles, y hombres.* Hoc est: Praeterita cantilena ostendit anima seipsam languere sauciamque esse amore Sponsi propter notitiam, quam ei de ipso suo Sponso dedere creaturae irrationales. In praesenti vero se pariter vulneratam praedicat cuspide alterius notitiae sublimioris, quam a suo dilecto suscipit voce creaturarum rationalium, aliis nobiliorum, quales sunt Angeli et homines (30). Ecce non est intra ambitum *entis ab alio* aliquid, in quo vestigium Dei non inveniatur; atque adeo quod non sit obiectum secundarium nostrae mysticae theologiae.

(22) I et Neapol. ed. omittunt: « *motivum est* ».
(23) *Matth.*, c. XIII, v. 30.
(24) *Ioan.*, c. IV, v. 14.
(25) Ed. crit., t. II, pp. 200 y 517.
(26) In ed. Neapol. additur:

« Tutti quei, che à te vacan
Mille grazie di te, ni van dicendo
E tutti più m'impigan
E mi lascia morendo
Un no sò che: che restan balbuziendo ».

(27) Ed. crit., l. c.

(28) Sic in *El primer Cántico espiritual;* in *El cántico espiritual* (II escritura): « *Herido ó enferma* ».
(29) « *los* » deest in *El primer Cántico.*
(30) In I et Neapolit. ed. legitur: « In praeterito cantu demonstravit anima, infirmam esse, seu percussam sui Sponsi amore ob notitiae causam, quam de illo accepit ab irrationalibus creaturis. In isto vero praesenti intelligere facit, plagatam amore esse ob alterius superioris notitiae causam, quam ab amato recipit mediis creaturis rationalibus, quae aliis nobiliores sunt; cum sint Angeli, et homines ».

§. II Respondetur argumentis.

138. Contra conclusionem arguitur *primo:* Obiectum secundarium cuiuscumque potentiae vel habitus non impedit attingentiam obiecti primarii. Sed creaturae impediunt quod theologia mystica Deum attingat. Ergo creaturae non sunt obiectum secundarium mysticae theologiae. Consequentia bona est; et maior potest inductive ostendi in omni habitu et potentia. Minor autem est doctrina omnium mysticorum, quam nervosissime docet noster Seraphicus Doctor passim in suis scriptis. Sufficiat pro nunc adducere aliquot verba capitis 4, libro I *Ascensus* (31), ubi explicans illum versum primae cantionis, nempe: *En una noche oscura.* [Quadam nocte caligine plena (32)], tradit creaturas omnes tenebras esse, *de las quales estando el alma vestida, no tiene capacidad para ser ilustrada y posseida en la pura, y sencilla luz de Dios, si primero no las desecha de sí.* [Quibus cum anima induta esset, capacitatem non habet, ut illustrata et possessa in pura simplicique Dei luce sit; si prius illas a se non aufugit (33)]. Hoc ipsum prosequitur toto illo capite et sequenti urgetque diversa sacrae Scripturae verba in hunc finem. Quomodo ergo erunt creaturae obiectum secundarium mysticae theologiae, si obsunt attingentiae obiecti primarii ?

139. Confirmatur: Quia obiectum secundarium vel attingitur ante, vel simul, vel post obiectum primarium. Sed theologia mystica nullo ex his modis potest attingere creaturas. Ergo istae non sunt obiectum secundarium mysticae theologiae. Probatur minor : quia inter lucem et tenebras nulla est societas, uti earum congenita inimicitia testatur firmatque D. Paulus, II *Corinth.* cap. VI (34), dicens: *Quae societas luci ad tenebras ?* Sed quocumque ex dictis modis mystica theologia attingeret creaturas, iam istae societatem aliquam dicerent cum obiecto primario, quod est lux, quam tenebrae non comprehenderunt (35). Ergo.

Ut huic argumento eiusque confirmationi pro meritis responderetur, plurima inculcanda forent, quae sedem opportuniorem habent aliis locis; quamobrem pro nunc respondetur argumento distinguendo minorem: *Creaturae* prout a theologia mystica attinguntur, *impediunt, etc...,* negetur minor; aliter sumptae, concedatur.Itaque creaturae omnes sumi possunt prout sunt obiectum materiale mysticae theologiae et prout sic nullatenus impediunt primarii obiecti attingentiam; immo ad illam nos conducunt, si per ascensum procedimus; et si per descensum procedamus, ad ipsas ex primarii obiecti contemplatione regredimur, ut validius in centrum revertentes, fulgidam divinitatis rotam potentius contemplemur. Si autem aliter creaturae considerentur, obsunt utique contemplationi ; et de his hoc modo sumptis loquitur noster illuminatus Doctor et alii mystici, dum asserunt creaturas contemplationem impedire. De illis vero primo illo modo acceptis non loquitur Sanctus Doctor, cum potius ubique asserat contemplationem ex earum consideratione foveri. Quod clare constat ex iis, quae ad probandam nostram conclusionem adduximus. Videatur etiam libro III *Ascensus,* cap. XIX (36), ubi idem probat et luculenter ac succulente suadet. tum ex illo *Psalmi* (37): *Divitiae si affluant, nolite cor apponere.* Ubi non damnantur divitiae, sed cordis appositio; tum ex illo Pauli II *Corinth.,* VI (38): *Tamquam nihil habentes, et omnia possidentes ;* tum pluribus aliis, quae videri possunt ; et sane hoc idem argumentum posset fieri ad probandum creaturas ipsas non esse obiectum secundarium theologiae

(31) Ed. crít., t. I, p. 44:... *para ser poseida de la pura y...*
(32) IV ed. omittit: « *Quadam nocte caligine plena* ».
(33) Sic in I ed.; similiter in ed. Neapol., praeter: «... *a se non expurget* ». — In IV ed. deest versio latina.
(34) v. 14.
(35) *Ioan.*, c. I, v. 5.
(36) Ed. crít., t. I, pp. 326-329.
(37) *Ps.* 61, v. 11.
(38) v. 10.

scholasticae; et proximum non esse obiectum secundarium caritatis. Christus Dominus non venit *pacem mittere, sed gladium* (39), *et gladium ex utraque parte acutum* (40), quo separet filium a patre, immo hominem a seipso ; quia qui vult Christum sequi, debet non solum alia, sed etiam seipsum abnegare (41). Cum quo cohaeret praeceptum seipsos et proximos diligendi (42); quia proximos, quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nescire debemus ; quos autem nostrae salutis coadiutores cernimus, diligere tenemur. Hoc ipsum dicimus in nostro casu. Ex quibus

Ad confirmationem dicas : obiectum secundarium theologiae mysticae attingi ab ea antequam primarium attingat, si per ascensum seu motu recto procedat. Attingi etiam post, si per descensum aut oblique tendit; ac denique simul attingit, quoties obiectum secundarium attingit propter primarium. Verum quidem est quod dum anima est sublimissimae contemplationi tradita, tunc nihil aliud percipere debet nisi obiectum primarium ipsius; quia tunc vel reflexio ad ipsum sublimissimum actum obest, ut numero 132 ex Parente nostro D. Ioanne dicebamus. Hoc tamen nobis non praeiudicat, quia idem invenitur in aliis habitibus et etiam in potentiis, quarum intensissimus actus consortium aliorum actuum vel obiectorum, praeter illud in quod ea intentione fertur, non permittit.

140. Arguitur *secundo:* Obiectum secundarium non potest terminare actum habitus et potentiae nisi dependenter ab obiecto primario prius ut *quod* attacto per ipsum actum. Sed multoties theologia mystica terminatur ad creaturas quin ad Deum ut *quod* cognitum terminetur. Ergo creaturae non sunt obiectum secundarium mysticae theologiae. Maior patet : tum quia habitudo habitus ad obiectum est motus in terminum implicatque motum ad terminum secundarium terminari quin prius terminetur ad primarium; tum etiam, quia ideo Deus nequit cognoscere creaturas, nisi in sua essentia ut in causa prius cognita quia sunt obiectum secundarium divinae cognitionis. Ergo vera est illa maior. Minor autem probatur: qui sicut theologia mystica respicit Deum ut amabilem, sic scholastica respicit ipsum ut cognoscibilem. Sed etiamsi theologia scholastica respiciat Deum ut cognoscibilem, multoties terminatur ad creaturas quin Deum attingat ut obiectum prius cognitum; multi enim discursus theologici fiunt in tractatibus de peccatis, de bonitate et malitia et aliis; et tamen non praecedit in singulis actibus cognitio Dei ut obiecti primarii prius cogniti. Ergo similiter theologia mystica habet plures actus, qui ad creaturas terminantur sine praevia terminatione ad Creatorem.

Respondetur actus habitus vel potentiae esse in duplici differentia ; nam alii sunt primarii et alii secundarii. Habitum habentem (43) actus secundarios permittimus posse obiectum secundarium attingere, quin ad obiectum primarium ut prius cognitum terminetur, prout illis actibus secundariis se explicat. Unde si theologia scholastica et mystica, idemque est de fide theologica et caritate, hos actus secundarios habent, posse modo dicto sua obiecta secundaria attingere non negamus. Illud autem obiectum licet sit primarium relate ad actum secundarium ipsum attingentem, respectu vero habitus est simpliciter secundarium;quia habitus sicut et potentia speciem sumit ab actu et obiecto primariis, ut multoties iam diximus cum nostris Complutensibus, *De anima,* disput. 6, quaest. 1 (44) ; eoque ab illo obiecto speciem habere non potest. Per quod patet ad id quod de motu dicebatur; si namque motus habeat aliquem conceptum absolute secundarium, qui terminum secundarium ut primarium respiciat, uti-

(39) *Matth.*, c. X, v. 34.
(40) *Apoc.*, c. I, v. 16; Hetzenauer, p. 1192 : *gladius utraque parte acutus.*
(41) *Matth.*, c. XVI, v. 14.
(42) *ib.*, c. XIX, v. 19.

(43) In antiquis editionibus legitur: « *Habitus habens* ».
(44) COMPLUT. ABBREV., *In lib. II de anima,* disp. 6, q. 1; ed. 1670, t. IV, pp. 82a-88a.

que secundum illum conceptum poterit ad terminum secundarium terminari sine dependentia a termino primario ut prius attacto. Quod si hoc non evenit, est quia talis conceptus secundarius in motu non datur. Sicut nec intellectus divinus habet actus secundarios, qui ullo modo possint respicere ut terminum primarium creaturas ; unde semper quod illas cognoscit est dependenter a sua essentia ut causa prius cognita. Haec dixerim, quia video graves thomistas, ut est noster Laurentius a Sancta Theresia, I part., controv. 2, §. XIII (45), sic discurrere, per quae certe vires argumenti dehiscunt. An autem solutio nitatur fundamento, alii viderint, dum a nobis facto argumento

Respondetur secundo negando maiorem. Non enim est de ratione obiecti primarii, quod prius ut *quod* attingatur ab habitu, sed quod ratio *sub qua* habitus specificativa inveniatur in illo per se, in aliis vero cum dependentia ab illo. Quae dependentia ostenditur in eo, quod non possit tale obiectum secundarium ab habitu attingi quin sit sub ratione illa *sub qua* tribuente habitui speciem; quiaque haec ratio invenitur in obiecto secundario dependenter a primario, propterea obiectum secundarium attingitur sine ista dependentia. Quod, utpote regula generalis, omnibus habitibus convenire debet. Ast in nostra theologia, sive scholastica, sive mystica certissimum est; quia theologia, uti ex D. Thoma vidimus numero 43, est sermo de Deo; unde semper quod ut theologia procedit, procedit ut sermo de Deo ; non autem semper procedit ut sermo de Deo per essentiam et in recto; quia multoties procedit ut sermo de Deo per participationem et in obliquo ; et hoc evenit cum terminatur ad creaturas, in quibus Deitas in obliquo invenitur ; et quia agere de creaturis seu de Deo in obliquo idem omnino est atque agere de creaturis prout dicunt habitudinem ad Deum, ideo non possunt creaturae a theologia attingi sine ista dependentia et habitudine. Quibus dependentia obiecti secundarii a primario salvatur et factum argumentum solvitur. Semper enim quod theologia mystica aliquid creatum attingit, attingit sub ratione Deo propria atque adeo cum ordine ad ipsum Deum.

141. Dices: eo modo agit nunc mystica theologia de creaturis atque ageret de ipsis, si Deus nil (46) de seipso revelasset, sed solum de suis effectibus, ut sunt gratia, fides, etc. At tunc non attingeret creaturas per ordinem ad Deum. Ergo nec modo.

Respondetur, quod in data hypothesi non daretur contemplatio quae modo datur, nempe *simplex intuitus veritatis,* videlicet primae et modo supernaturali cognitae; nequit enim Deus sine ipsius revelatione ut auctor supernaturalis cognosci; atque adeo sicut tunc casus non maneret theologia mystica in esse theologiae, quia non maneret ut sermo de Deo, sic nec maneret in esse mysticae ; tum quia destructo praedicato priori, posterius remanere non potest ; tum quia Deum ut auctorem supernaturalem non respiceret.

QUAESTIO SEPTIMA

Utrum theologia mystica sub expressione mysticae sit scientia.

Postquam de omnibus quae de obiecto mysticae theologiae sciri debent, egimus; mentem ad ipsam theologiam convertimus, ut ipsius naturam et conditionem, habita iam notitia de ipsius specificativo, exploremus.

(45) *Specilegium theologicum,...* num. 135 et 136; Romae, 1682, t. I, p. 68. Cf. infra *Appendix.*

(46) « *Nihil* » in I et Neapol. ed.

§. 1. Titulus breviter explicatus; sensus controversiae apertus; dubiumque decisum.

142. Theologiam mysticam sub conceptu theologiae esse scientiam supponere debemus ex Iª part., quaest. 1, ubi omnes thomistae communiterque alii in hanc veritatem conspirant. Unde addidimus in titulo quaestionis *sub expressione mysticae,* quia sub hac expressione de illa loquimur, ut videamus: an sacra theologia non solum ut scholastica, ut dogmatica, ut positiva et ut moralis, sed etiam ut mystica scientia sit? Non enim inauditum est, aliquem habitum entitative sumptum esse scientificum et quod sub aliqua sui expressione a scientiae conceptu recedat, quod de logica sub expressione utentis statuere Complutenses nostri, disp. 1, quaest. 5, num. 23 (1). Nec plura aut graviora motiva adesse, ut logica, quae entitative considerata scientia est, sub expressione utentis rationem scientiae non habeat, quam ut theologia *sub expressione mysticae* scientiae conceptum non participet, ex progressu huius quaestionis apparebit.

143. Praecipuum autem motivum, quo et mystica theologia sub expressione mysticae a scientiae nomine relegatur et controversiae status penitius aperitur, iam expono. Non est theologus mysticus, qui non asserat mysticam theologiam esse scientiam; insimulque mysticum theologum non invenies, qui non doceat fidem catholicam esse principium elicitivum theologiae mysticae seu contemplationis. Ex quo duplici principio, a nemine mysticorum non iacto, necessario inferuntur sequentia. *Primum:* Ergo fides catholica est theologia mystica habitualis. *Secundum :* Ergo actus fidei catholicae est theologia mystica actualis. *Tertium :* Ergo fides catholica est formaliter scientia habitualis. *Quartum* denique : Ergo actus fidei est formaliter scientia actualis. Quae illationes adeo immediatae sunt, ut nemo, quamquam tardus bardusve, non intueatur. Et hoc est, quod nostro iudicio facit difficultatem praesentem pene insuperabilem. Quia ex una parte est omnino a veritate alienum fidem esse scientiam, tum propter obscuritatem quam dicit ; tum propter motivum cui innititur. Est enim adeo naturaliter obscura ut, lumine adveniente, cesset; quod certe contra rationem scientiae est; licet enim huic non repugnet obscuritas, ut postmodum videbimus, non repugnat etiam claritas; unde obscuritas non essentialiter a scientia dicitur, sed permittitur; a fide vero non permittitur, sed essentialiter dicitur. Indidemque fides innititur etiam essentialiter extrinseco testimonio dicentis, quod opponitur absdubio cum scientia, quae necessario petit motivum sibi intrinsecum, nec aliter dari potest. Tam longe abest fides a ratione scientiae, ut scientia fidesque compatibiles non sint in eodem circa idem, uti tenent nostri Complutenses in *Logica,* quaest. ultima (2) et Salmanticenses, tract. XVII, disp. 3, dub. 2 (3), cum D. Thoma, IIª IIªe, quaest. 1, art. 5, quem omnes thomistae pluresque alii sequuntur. Si ergo incompatibiles sunt fides et scientia propter repugnantiam quam ex suis intrinsecis dicunt, quomodo vel scientia erit formaliter fides, vel fides erit formaliter scientia?

Ex alia autem parte falsum reputare quod tot tam gravesque doctores unanimiter adstruunt, nimis onerosum nobis est debitaeque reverentiae gravissimum. Cui ex his adeo dissitis extremis adhaerendum? Seu qua via, ne in eorum aliquod impingamus, adeundum? Hoc istius quaestionis processus ostendet.

(1) COMPLUTENSES ABBREV., *Logica,* disp. I, quaest. 5, §. 1, num. 23; ed. 1670, t. I, p. 88b. — COMPLUTENSES, *Logica,* disp. I prooemial., q. 5, num. 49: ed. 1629, t. I, p. 73a.

(2) COMPLUTENSES, *Logica,* disp. XX, q. ultima (scil. 4), §. 4, num. 48 sq.; ed. 1629, t. I, pp. 437b-438b. — COMPLUT. ABBREV., *Logica,* disp. XX, q. 4, §. 2, num. 23; ed. 1670, t. I, pp. 484b-485b.

(3) t. XI, pp. 205a-230b; cf. etiam *ib.*, dub. 3, pp. 231b-241b.

144. Sit nostra conclusio: *Theologia mystica est proprie scientia.* Sic docent mystae omnes, ut iam diximus; atque adeo superfluum est aliquem in particulari referre. Probatur primo conclusio ex sacra Scriptura: nam libro *Sapientiae,* cap. X, v. 10, dicitur de Iacob fratris iram recusante, quod eum Dominus *deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum.* Ubi per *scientiam Sanctorum* communiter interpretes theologiam mysticam intelligunt, uti observat Menochius apud Bibliam maximam (4): *Scientiam Sanctorum,* id est, ait, *scientiam, quae convenit Angelis, Sanctosque facit, qualis est donum Spiritus Sancti.* Nec datur alia scientia, quae sanctos faciat sitque donum Spiritus Sancti, nisi theologia mystica, ut de se notum est; unde ista sublimissima theologia scientia est et sanctorum scientia.

145. Nec dicas: Haec posse intelligi de theologia mystica sumpta pro habitu, ex quo non habetur ipsam sub expressione mysticae scientiam esse.

Nam contra hoc facit *primo:* quod, ut theologia mystica sub expressione mysticae excluderetur a ratione scientiae, aliquod fundamentum assignari debet ne imprudenter procedatur. Nullum autem fundamentum assignatur pro huiusmodi exclusione; immo omnia contrarium suadent, ut videbimus. Ergo. *Secundo* facit, quod si a theologia mystica auferatur expressio et munus mysticae, iam non remanet scientia sanctorum, sed scientia mundanorum respicientium alia praeter Deum; vel si de Deo ipso agunt, illum ut cognoscibilem respiciunt; agere autem de Deo ut amabile est proprium theologiae mysticae, ut vidimus quaest. 5 (5). Sed theologia, quae est scientia sanctorum, non respicit Deum praecise ut cognoscibilem, sed ut amabilem. Ergo tam longe abest, ut theologia mystica sub expressione mysticae non sit scientia sanctorum, quod potius, si mysticae expressio auferatur, sanctorum scientia non remanet. *Tertio* facit illa veluti definitio scientiae sanctorum, quam tradit D. Bernardus in textum, quem prae manibus habemus; ait enim mellifluus Doctor (6): *Scientia sanctorum est hic temporaliter cruciari, et delectari in aeternum.* Sed scientia, quae hic cruciat et in aeternum delectat non est alia quam theologia mystica sub expressione mysticae vel, ut minus, ipsa sub dicta expressione hoc habet. Ergo. Probatur minor pro secunda parte (pro prima ergo eius veritate non egemus, tametsi verissimam censeamus): quia theologia mystica est, quae suis rigorosissimis purgationibus animam vehementissime cruciat, sed etiam suis aromatibus suavissime recreat; cum hoc tamen discrimine, quod cruciatus metam praesentis vitae neutiquam transgrediuntur, sed deliciae in futura vita feliciter consummantur. Ergo theologia sub munere et expressione mysticae est *hic temporaliter cruciari, et delectari in aeternum. Quarto* denique facit, quod illa ipsa verba sic vertit Syrus (7): *Dedit illi scientiam veritatis.* Atqui theologia mystica sub munere mysticae est scientia veritatis. Ergo sub munere mysticae scientia est. Probatur minor dupliciter. *Primo* sic: Theologia mystica sumpta pro contemplatione dicit munus mysticae. Prout sic *est simplex intuitus veritatis.* Ergo. *Secundo* probatur illa minor: quia illa scientia veritatis idem est, ait Cornelius hic (8), ac scientia *verae iustitiae, religionis, et sanctitatis.* Sed scientia *verae iustitiae, religionis, et sanctitatis* est sola theologia mystica sub expressione mysticae; aliae enim scientiae et

(4) *Bibla Sacra Vulgatae editionis cum commentariis, Sap.,* c. X, v. 10; ed. Gandae, 1830, t. VI, p. 38a: *Scientiam sanctorum... vel scientiam quae convenit sanctis, sanctosque facit, ut est peculiare donum Spiritus Sancti.*

(5) num. 91 sqq.

(6) *Sermo XXI* (de diversis), num. 2; Migne, P. L., t. 183, col. 594.

(7) cf. CORNELIUS A LAPIDE, *Commentaria in Scripturam Sacram, Sap.,* c. X, v. 10; ed. Vivès, t. VIII, p. 507a: « Hinc Syrus vertit, *dedit illi scientiam veritatis,* id est verae iustitiae, religionis et sanctitatis ».

(8) l. c.

ipsa secundum entitatem considerata dari possunt sine vera iustitia, religione et sanctitate. Ergo theologia mystica sub expressione mysticae est scientia veritatis et sanctorum scientia.

146. Probatur secundo conclusio ex *Psalmo* 33 iam non semel in superioribus adducto, ubi versu 6 dicitur: *Accedite ad eum, et illuminamini,* et versu 9 asseritur: *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus,* in quibus sermonem esse de mystica theologia sub expressione mysticae concors est sententia mysticorum. Sed ibi per ly *videte* designatur certitudo omnimoda cognitionis iuxta Angelicum Doctorem dicentem inibi (9): *Effectus autem experientiae ponitur duplex: unus est certitudo intellectus: alius securitas affectus. Quantum ad primum dicit, « Et videte, etc... » Quantum ad secundum dicit, « Quoniam suavis est Dominus ».* In alio autem versu per ly *illuminamini* cognitio etiam scientifica promittitur ad Deum toto corde accedentibus, teste D. Thoma sic dicta verba exponente (10): *Illuminamini. Deus lumen est; et qui accedit ad lumen illuminatur.* Quod amplius exprimit (11) probans hanc illuminationem ex verbis *Deutoron.,* XXXIII (12), ubi dicitur: *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Ergo ex dictis textibus constat mysticam theologiam sub munere et expressione mysticae doctrinam et scientiam esse.

147. Probatur tertio conclusio ex theologiae mysticae Parente D. Dionysio, qui passim in suis divinis scriptis hoc ipsum docet et totum librum *De Mystica Theologia* praesertim in huius veritatis comprobationem citamus. Ibi enim multoties mysticam theologiam scientiam esse vel dicit, vel supponit, ut illum legenti constabit. Et certe in illo libro de mystica theologia sub expressione mysticae locutus fuit Dionysius, aliter vel titulus ipse falleret. Et insuper, quia de theologia sub aliis expressionibus agit in aliis libris, ut de Deo uno et trino in libro *De divinis hypotyposibus,* qui liber apud nos non exstat, ut ait Angelicus Doctor initio libri *De divinis Nominibus* (13). In aliis autem libris agit de aliis muneribus eiusdem theologici habitus. Unde sicut vane procederet, qui Dionysium in libro *De Theologia symbolica* non locutum fuisse de ipsa sub expressione symbolicae autumaret; sic deridicule faceret, qui in libro *De Mystica Theologia* de illa non sub expressione mysticae ipsum sanctissimum Doctorem agere opinaretur.

In hoc ergo profundissimo libro De *Mystica Theologia* passim, ut diximus, appellat Dionysius mysticam theologiam scientiam. Sed ne aliqua eius verba non afferamus, illa, quibus librum incipit, promimus; sic enim ait (14): *Trinitas supersubstantialis, et superdea, et superbona inspectrix divinae sapientiae Christianorum, dirige nos ad mysticorum eloquiorum superignotum, et supersplendentem summum verticem, ubi simplicia, et absoluta, et inconvertibilia Theologiae mysteria cooperta sunt secundum supersplendentem occulte docti silentii caliginem, in obscurissimo superclarissimum supersplendere facientem, et in omnino impalpabili, et invisibili superpulchris claritatibus superimplentem non habentes oculos mentes* (15). Ubi ponderandum venit primo, quod Dionysius confugit ad Divinam Trinitatem petens mysticam theologiam, ut constat ex illis verbis: *Dirige nos ad mysticorum eloquiorum superignotum;* hoc enim *superignotum* est obiectum mysticae theologiae, per ordinem ad quod definitur, ut saepius in superioribus dictum est; ut autem hoc, quod exoptat, obtineat, voluntatem Sanctissimae Trinitatis captaturus, illam appellat huius sapientiae,

(9) *In psalm.* 33, v. 9; ed. Vivès, t. XVIII, p. 419b.
(10) *ib.*, v. 6; p. 419a.
(11) l. c.
(12) v. 3.
(13) prolog.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 374a.
(14) Textus est iuxta antiquam translationem quae invenitur in *Operibus omnibus B. Alberti Magni;* ed. Vivès, t. XIV, p. 817a. Textus graec. Migne, P. G., t. 3, col. 997
(15) Sic in I et Neapol. ed.; « *menils* » in IV. ed.

quam precatur, inspectricem : *Inspectrix divinae sapientiae Christianorum.* Ubi, ut vides et debes ponderare secundo : illam mysticam theologiam, cui inhiat, divinam sapientiam christianorum vocat, quo et nostrum assertum probat, et divisionem contemplationis, qua multoties usi sumus in superioribus, approbat. Multoties enim divisimus contemplationem in eam, quae est philosophorum et in eam, quae est propria christianorum; sub prima omnem et solam contemplationem mere speculativam accensentes, sub secunda autem contemplationem affectivam collocantes. Haec ergo affectiva contemplatio est iuxta Dionysium sapientia divina. Quo nil clarius pro nobis adduci potest. Pergamus tamen ultra et

Pondera tertio: mysteria huius mysticae theologiae cooperta esse secundum caliginem *docti silentii.* Ubi silentium, quo mystica theologia procedit, doctum dicitur. Additque *ipsum superignotum verticem* vel ipsam lucidissimam *caliginem* facere *supersplendere in obscurissimo* sui processu *superclarissimum* divinum lumen in mentibus nostris, quae illo *superclarissimo* divino lumine ita irradiantur, ut ipsum *superignotum verticem* aliquando veluti facialiter contemplentur. *Superimplet* quippe *mentes* nostras *non habentes oculos,* hoc est, non procedentes modo naturali et humano *superpulchris claritatibus* in illo *omnino impalpabili et invisibili* lucis ac bonitatis centro. Quod omne clarissime ostendit mysticam nostram theologiam secundum Dionysii mentem esse propriissime scientiam.

148. Probatur quarto conclusio ex nostro Parente D. Ioanne a Cruce, qui pluribus locis hoc etiam docet, sed ne plus iusto in hac materia immoremur, solum verba, quae supra num. 98. ex cantione nona retulimus, damus nunc. Sic enim ait:

Alli me dió su pecho,
Alli me enseño ciencia muy sabrosa (16).

Quae scientia, exponente eodem, nulla alia est, quam theologia mystica. Videantur quae loco citato diximus.

§. II. Fundamenta alia ex D. Thoma adducuntur.

149. Nostrum Angelicum Praeceptorem reservavimus usque adhuc, ut sic eius auctoritate et rationibus inde deductis conclusio nostra firmetur. Probatur ergo adhuc assertio ex D. Thoma, qui perpetuus est in docendo nostram mysticam theologiam proprie scientiam esse. Sic enim docet I *Ad Anibaldum,* quaest. 1, art. 1 (17) et quaest. 1 prologi *super I Sentent.,* art. 3, quaestiunc. 2 et 3 (18) et I[a] part., quaest. 1, art. 2, ubi resolvit : *Dicendum sacram doctrinam esse scientiam.* Pluribus huius auctoritatis aliarumque similium pondus debilitare conantur Vazquez (19) aliique neoterici; ast quia ipsorum impugnatio mere scholastica est, nostra non refert; sufficiat volentem eos impugnatos videre remittere ad nostros thomistas. Videat ergo Magistrum Ioannem a Sancto Thoma (20), Ferre (21), Gonetum (22) et Palanco (23), et quidquid circa haec desiderare potest, inveniet.

150. Dices tamen: D. Thomam in dicta aucoritate locutum de theologia spe-

(16) *Cántico espiritual* (II escrit.), canc. XXVII, v. 1 et 2; ed. crit., t. II, p. 305. — *El primer Cántico espiritual,* canc. XVIII, v. 1 et 2; ed. crit., t. II, p. 555. — In ed. Neapol. additur :

« Ivi suo petto diemmi.
Ivi scienza insegnommi assai gustosa. »

(17) *Ad Hannibaldum,* prolog., q. 1, a. 1; ed. Vivès, t. XXX, pp. 3a-4a. cf. supra p. 118, nota (12).

(18) Ed. Vivès, t. VII, pp.7a-8b.

(19) *Commentaria ac Disputationes in primam partem Sancti Thomae,* q. 1, a. 2, disp. 4; ed. Lugduni, 1631, t. I, pp. 9-13.

(20) *Cursus theologicus in Summam theologicam D. Thomae,* In Iam, q. 1, disp. 2, art. 3; ed. Vivès, t. I, pp. 449-455.

(21) *Tractatus Theologici,* t. I, *In Iam D. Thomae,* q. 1, art. 2; Salmanticae, 1675, p. 4.

(22) *Clypeus Theologiae Thomisticae, disp.* prooem., art. 1; ed. Vivès, 1875-1876, t. I, p. 35 sq.

(23) *Opera omnia,* t. I (Tract. *De Deo uno*), disp. I prooemial., q. 3; pp. 12-16; Matriti, 1706.

culativa seu scholastica non autem de mystica, de qua tunc non agebat. Ergo ex data auctoritate non habetur mysticam theologiam esse scientiam.

Respondetur ex Magistro Vallgornera, quaest. 1, num. 2 (24), ubi ait: *Non est certum, utrum loquatur D. Thomas in hoc loco de doctrina sacra prout solum dicit theologiam speculativam, vel ut principaliter dicit theologiam mysticam, pro certo tamen habetur, quod omne, quod dicit de doctrina sacra, convenit theologiae mysticae.* Ut autem haec perfectius apprehendas, scias locum, quem ex D. Thoma citat, esse lectionem secundam capitis V ex *Epist. ad Hebraeos* (25), ubi ait Sanctus Doctor loquens de sacra doctrina: *Aliae scientiae tantum illuminant intellectum, haec autem illuminat animam, Palm. 18. praeceptum Domini lucidum illuminans oculos. Nutrit etiam, et roborat animam. In aliis scientiis sufficit, quod homo sit perfectus secundum intellectum, in ista secundum intellectum, et secundum affectum.* Ubi vides ex modo loquendi Angelici Doctoris theologiam mysticam scientiam esse ineluctabiliter ostendi. Ait enim: *Aliae scientiae, etc...,* et subdit: *Haec autem,* utique scientia. Similiter *in aliis scientiis* et addit: *in ista,* scilicet scientia.

Nec hoc solum observare licet in praesenti, sed etiam quod eosdem pene effectus, quos hic asserit D. Thomas esse proprios sacrae doctrinae, tribuit etiam ipsi doctrinae sacrae ex D. Augustino in articulo 2 citato ex I^a p. (26), ut videre est in argumento *sed contra.* Ergo utrobique loquitur de eadem doctrina sacra. Ergo ex utroque loco habetur theologiam mysticam scientiam esse; vel quia loquitur de illa nomine sacrae doctrinae; vel quia si non loquitur, *pro certo tamen habetur, quod omne quod dicit de doctrina sacra convenit theologiae mysticae* (27).

151. Iam vero probemus conclusionem hac brevi, sed efficaci ratione ex doctrina Angelici Praeceptoris deducta: Cognitio certa et constans, contra quam nulla argumenta praevalere possunt, est cognitio proprie scientifica. Sed theologia mystica sub expressione mysticae sic est. Ergo est proprie scientifica. Consequentia bona est. Et maior continet definitionem scientiae traditam a Clemente Alexandrino, lib. II *Stromat.* (28), ubi ait: *Philosophi scientiam definiunt, ut sit habitus constans, qui ratione moveri, ac labefactari non potest.* Minor autem probatur ex dictis num. 145 ex D. Thoma docente (29) experientiam theologiae mysticae duplicem effectum secum adducere. Quorum primus est *certitudo intellectus,* secundus autem *securitas affectus.* Ergo theologia mystica habet certitudinem ac securitatem, quibus proprie dicatur et sit scientia.

152. Confirmatur primo: quia theologia mystica est propriissime lumen seu virtus intellectualis. Ergo sub expressione mysticae scientia est. Antecedens constat ex auctoritatibus sacrae Scripturae, et D. Thomae ac D. Dionysii in hac quaestione citatis; et consequentia probatur. Quia, iuxta Aristot. VI *Ethic.* cap. 4 (30) et Angelicum Praeceptorem, I^a II^{ae}, quaest. 57, virtutes intellectuales sunt quinque, videlicet: habitus principiorum, sapientia, scientia, prudentia et ars. Atqui mystica theologia sub expressione mysticae non est habitus principiorum, non est prudentia, nec ars. Ergo est scientia, prout scientia superior est ad scientiam et sapientiam. Probatur minor pro prima parte: habitus principiorum mysticae theologiae est fides, ut

(24) *Mystica Theologia Divi Thomae,* q. I, disp. prooem., art. 1, num. 2; ed. 1911, t. I, p. 2.

(25) Ed. Vivès, t. XXI, pp. 625a et 626a: *Aliae enim scientiae tantum illuminant intellectum; haec autem illuminat* (Al. additur « animam »), Ps. XVIII, 9: « *Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos* »; *et etiam nutrit et roborat animam... In aliis ergo scientiis sufficit quod homo sit perfectus secundum intellectum; in istis vero requiritur quod sit perfectus secundum intellectum et affectum.*

(26) scil. Ia, q. 1, a. 2. cf. S. AUGUSTINUS, *De Trinitate,* lib. XIV, cap. 1; Migne, P. L., t. 42, col. 1037.

(27) VALLGORNERA, l. c.

(28) *Stromata,* lib. II, cap. 4, 11 et 17; Migne, P. G., t. 8, col. 945, 984 et 1013 (quoad sensum).

(29) cf. supra, num. 150.

(30) Ed. Didot, t. II, p. 67; Bekk., 1139b, 16.

multoties asserit D. Thomas et communiter theologi. Sed theologia mystica nec sub expressione mysticae, nec entitative est fides, ut de se patet. Ergo. Pro secunda et tertia parte probatur eadem minor: quia prudentia est recta ratio agibilium et ars est recta ratio factibilium. Sed theologiae mysticae haec nullatenus competunt; ipsa quippe ab omni agibilium et factibilium tumultu segregata Deum suum otiosa operositate degustat. Ergo solum remanet quod sit scientia, prout scientia est divisum ad scientiam particulariter dictam et ad sapientiam.

153. Confirmatur secundo: Ideo theologia scholastica est vere scientia, quia ex principiis fidei deducit infallibiliter suas conclusiones. Sed etiam theologia mystica procedit processu infallibili ex ipsis principiis fidei. Ergo est scientia. Et certe si theologia mystica attingens ex principiis fidei experimentaliter et affective suum obiectum non esset scientia, pariter theologia scholastica attingens ex principiis fidei per discursum suum obiectum scientia non esset. Nec enim est ratio cur actus attingens Deum medio discursu fidei innixo scientificus sit, et non sit scientificus actus ex ipsis fidei principiis procedens et Deum ipsum affective seu experimentaliter attingens; cum non detur aliud discrimen inter utrumque actum, nisi quod primus per discursum, secundus autem experimentaliter et per quandam connaturalitatem, ut supra num. 93 nobis dixit D. Thomas, procedat. Quod rationem scientiae in mystica theologia non destruit; sed eam non esse argumentativam, quod fatemur ultronei, adstruit.

§. III. Solvuntur argumenta.

Sicut paritas theologiae scholasticae convincit mysticam theologiam sub expressione mysticae esse scientiam; sic omnia argumenta, quibus adversarii scholasticam theologiam non esse scientiam suadere conantur, pariter contra mysticam theologiam procedunt. Diversissimis viis utuntur ut primum illud ostendant, nec nobis licet tot ipsorum placita afferre, quae apud nostrates videri possunt; aliqua tamen ipsorum argumenta proponemus in gratiam veritatis soluturi. Prius autem nos vocat ratio dubitandi numero 143 adducta, quam sub hac brevi forma proponimus.

154. Arguitur *primo:* principium elicitivum theologiae mysticae actualis est fides. Ergo theologia habitualis aut actualis non est scientia. Patet antecedens ex omnium mysticorum consensu; et consequentia est evidens: quia evidens est nec fidem, nec actum fidei rationem scientiae habere posse.

Ut hoc argumentum, prout petit, solveretur, plura a propriiis sedibus aberuncare opus erat, et non sine molestia et forsan inutiliter adducere. Unde ipsius plenam solutionem ad disputationem de principio elicitivo contemplationis in secundo praedicabili tractandam remittimus. Ibi enim inquiritur (31): An fides sit principium elicitivum contemplationis? Atque adeo tunc sese offert occasio propriissima ut hoc argumentum plena manu solvatur. Pro nunc autem dicimus: mystas dicentes fidem theologiam mysticam actualem elicere, non elicientiam propriam seu formalem introducere; sed connexionem et intimam dependentiam, quam a fide dicit habitus theologicus, suadere ; et insuper magnam similitudinem inter utramque versantem demonstrare. Exemplo huius materiae propriissimo rem illustro. Initio suae mirabilis *Summae Theologicae* (32) agit D. Thomas de sacra doctrina. Et licet de sacra doctrina adeo perspicue loquatur, non est adhuc definitum, si nomine sacrae doctrinae fidem nominet

(31) cf. t. II, praedicabile II, disp. 13, quaest. 1 et 2.

(32) scil. q. 1.

aut theologiam. Dubium statim occurit, ait Caietanus (33), *quid intelligitur hic nomine sacrae doctrinae, seu disciplinae. An enim intelligitur fides, aut Theologia?* Et pro utraque parte et in utramque etiam argumenta sunt, quae rem non certo definibilem faciunt. Videntes enim D. Thomae interpretes ea, quae Sanctus Doctor hic docet, dixere, stare haec non posse quin fides theologiaque sint idem omnino habitus, cui plura, quae hic docentur, attribuantur, iam ipsi prout fides est, iam eidem ut theologia est; omnia enim, quae hic traduntur, eundem habitum exposcunt, licet munerice diversum. Sic discurrit Silvester in *Conflato,* I part., quaest. 1, art. 10, §. 1 (34). Alii autem opinantur D. Thomam loqui de cognitione abstrahenti a revelatione formali et immediata, et a revelatione mediata et virtuali. Sic Caietanus in praesenti (35), quem alii nobiles thomistae sequuntur. Alii vero aliis diversissimis viis procedunt, quae videri apud nostrates possunt. Sed unde in hac re tanta opinionum diversitas? Haec non aliunde provenit, nisi ex his, quae nomine sacrae doctrinae asserit D. Thomas; alia enim ita fidei propria sunt, ut theologiae convenire non valeant; alia autem ita sunt propria theologiae, ut fidei convenire haud possint. Sed pergo et ulterius rogo: Quare D. Thomas dono claritatis fulgidus tam diversimode ac veluti aequivoce de sacra doctrina loquitur, ut iam quae fidei sunt et repugnant theologiae, dictet; iam fidei propria et cum fide pugnantia suggerat? Ad hoc nihil respondendum occurrit, nisi quod huius diversitatis causa est affinitas ipsa inter theologiam et fidem; intima dependentia quam a fide dicit theologia; ac similitudo utriusque. Ob haec enim vel cum sermo est de theologia, talia dicuntur ut de fide sermonem esse videatur.

Si vera sunt, ut putamus, modo dicta, detegitur motivum, quo ducti asserant mystae theologiam mysticam seu contemplationem elici a fide. Non est enim fides principium elicitivum theologiae mysticae; sed est tanta affinitas, tanta dependentia tantaque similitudo inter theologiam mysticam et eius principia, dona videlicet Spiritus Sancti et fidem, ut hinc occasionem sumere potuissent ad docendum fidem esse principium elicitivum.

Accedit primo: quod mystici haec dicentes non utuntur spongia disputationum et argumentorum, quibus res omnino serio ac cum omni rigorosa formalitate tractantur. Unde mirum non est quod aliquando loquantur minus proprie; et maxime cum ex sua ipsorum doctrina constare non ardue possit sensus (36), in quo loquuntur. Unde si dicunt fidem esse principium theologiae mysticae et hanc asserunt esse scientiam; ex hoc secundo, quod asserunt, constat sensus illius quod primo dicunt. Non enim potest fides scientiam elicere. Ergo cum dicunt fidem elicere mysticam theologiam, intelligi debent vel de principio procedente ex iis, quae sunt fidei; vel de fide praevie aut concomitanter concurrente; vel denique loquuntur de fide prout nomen fidei potest applicari theologiae mysticae habituali, sicut et nomen doctrinae sacrae convenit ipsi fidei, ut patet ex dictis. Nec enim videtur esse aliquod fundamentum, ut nomen *theologia,* seu *doctrina sacra* possit significare fidem et nomen *fides* non possit significare theologiam. Scio plures e nostratibus ista negaturos. Sed quid inde? Etiam Silvester (37), Caietanus (38) et alii nobilissimi thomistae nolunt fateri D. Thomam nomine *sacrae doctrinae* locutum de theologia fuisse. Unde sicut tenemus nomine *sacrae doctrinae* intellexisse D. Thomam theologiam sacram, licet non negemus nomen illud posse etiam fidei convenire; sic etiam dicimus nomen fidei, quod etiam potest applicari theologiae, ipsam theologiam significare, dum dicitur fidem

(33) *In Primam,* q. 1, a. 1, num. V; ed. Leonina *operum omnium D. Thomae,* t. IV, p. 7a:... *quid intelligatur... aut enim...*

(34) i. e. SILVESTER MAZULENSIS sive MAZOLINUS DE PRIERO, O. P., *Conflatum,* I Part., quaest. 1, art. 11, §. 1; Romae, 1516, p. 11.

(35) l. c., num. VI; p. 7b.

(36) « *sensum* » in antiquis editionibus

(37) l. c.

(38) l. c.

elicere mysticam theologiam. Vel quod si pro ipsa virtute fidei intelligatur, tunc non signat principium formaliter eliciens, sed principium praevie, concomitanter aut alio modo ad theologiae mysticae elicientiam concurrens. Quod si illis nostratibus displiceat; plus displicet nobis affirmare quae evidentem repugnantiam involvunt, uti est dicere fidem eiusque proprium actum scientiam esse.

Accedit secundo: quod affinitas illa, intima dependentia ac similitudo quam fidem inter ac habitum theologiae adesse diximus, vividius fulget in theologia mystica sub expressione mysticae. Principia enim istius, sive sit ipse habitus theologiae, sive dona Spiritus Sancti, dicunt traditam affinitatem et similitudinem cum fide et dependentiam a fide. Et ulterius addit quod sub expressione mysticae debet in omni suo progressu adniti fidei: *Porque á la verdad no ay otro medio por donde se venga á la verdadera union, y desposorio espiritual con Dios, segun que por Oseas* (39) *lo da á entender diciendo: Sponsabo te mihi in fide.* Hoc est: Enimvero non est aliud medium, per quod ad veram sponsalitiam unionem cum Deo anima elevetur, iuxta illud Oseae : *Sponsabo te mihi in fide* (40). Ait Extaticus Parens noster D. Ioannes a Cruce in declaratione dulcissimae illius cantionis, quae est 12 sui *Spiritualis cantici* (41), et sic se habet :

O cristalina fuente,
Si en essos tus semblantes plateados
Formases de repente
Los ojos deseados,
Que tengo en mis entrañas dibujados! (42).

Videatur inibi Sanctus Doctor, qui hanc intimitatem fidei cum theologia mystica profundissime edisserit.

Ex quibus omnibus ad argumentum factum in forma respondetur distinguendo antecedens: *est fidei,* prout hoc nomen dicit habitum theologiae vel dona Spiritus Sancti, concedo; prout dicit ipsam virtutem fidei, subdistinguitur (43) : *principium elicitivum* praevie vel concomitanter conceditur; *elicitivum* formaliter, negatur antecedens. Nec amplius hic dicere oportet, alia ad locum citatum remittimus.

155. Arguitur *secundo:* Scientia est habitus certus, evidens et per demonstrationem acquisitus, ut omnes docent ex Philosopho, libro I *Posteriorum,* cap. 2 (44). Sed theologia mystica non est habitus certus, nec evidens, nec per demonstrationem acquisitus. Ergo non est scientia. Probatur minor pro prima parte ex D. Thoma, quaest. 14 *De veritate,* art. 9 in corpore (45), ubi ait: *Quaecumque sciuntur proprie, ac certa scientia, cognoscuntur per resolutionem in prima principia, quae per se praesto sunt intellectui.* Sed theologia mystica hanc resolutionem facere non potest in prima principia. Ergo non est habitus certus.

Probatur eadem minor pro secunda parte: Habitus innixus fidei non potest esse evidens. Habitus theologiae mysticae sic est, ut patet ex dictis numero praecedenti. Ergo. Probatur quoad tertiam partem: quia theologia mystica est habitus infusus. Ergo non est per demonstrationem acquisitus.

156. Confirmatur: Actus scientificus est actus discursus. Theologia mystica actualis non est actus discursus. Ergo non est actus scientificus. Consequentia

(39) c. II, v. 20.

(40) In I ed. legitur: « Quia vere non est aliud medium, qua (sic) ad veram unionem, desponsationemque spiritualem cum Deo deveniatur; secundum quod intelligere facit per Oseas (sic) dicendo : Sponsabo te mihi in fide ». — Similiter in Neapol., praeter: «... per Oseam dicendo:... »

(41) *Cántico espiritual* (II escrit.), canc. XII; ed. crit., t. II, p. 221:..., *según por Oseas lo da á entender diciendo: Yo te desposaré conmigo en Fe.* — *El primer Cántico espiritual,* canc, XI, ed. crit., t. II, p. 525:... *unión de Dios, según por Oseas lo da á entender el Esposo, diciendo : Yo te desposaré conmigo en Fe.*

(42) Ed. crit., locis citatis. — In ed. Neapol. additur:

« O Cristallino fonte;
Se in questi tuoi sembianti inargentati
Formassi de repente
Gli occhi desiderati;
Che tengo nelle viscere abbozzati ».

(43) In I et Neapolit. ed.: « *subdistinguo* ».

(44) Ed. Didot, t. I, p. 122; Bekk., 71b, 9 sq.

(45) Ed. Vivès, t. XV, p. 33a: *Quaecumque autem sciuntur, proprie accepta scientia, cognoscuntur per resolutionem in prima principia, quae se praesto sunt intellectui.*

bona est. Probemus praemissas. Et primo probatur maior ex Aristotele, ubi supra (46), dicente: *Omnis doctrina, omnisque disciplina intellectiva ex praeexistenti fit cognitione.* Sed cognitio quae fit ex alia, est discursiva; in hoc enim sita est propria natura discursus, ut vidimus in *Isagoge,* libro IV, num 6 et videri possunt nostri Complutenses in libro *Posteriorum,* disp. 17, quaest. 1 (47) et nostri Salmanticenses, tract. VII, disput. 8, dub. 2, §. 1 (48) et tract. XXI, disp. 20, dub. 2, num. 15 (49). Ergo actus scientificus discursivus est. Deinde probatur minor primi syllogismi: quia theologia mystica actualis est *simplex intuitus veritatis.* Ergo non est actus discursus. Patet ista: quia discursus, ut constat ex dictis, dicit actuum pluralitatem, unde non potest esse simplex intuitus. Etiamque: quia discursus explorat veritatem, quam speculetur; simplex autem veritatis intuitus veritatem iam inventam contemplatur.

157. Ut huic argumento pluribusque aliis, quae hic accumulari possent quaeque non solum a theologia mystica conceptum scientiae relegare student, verum etiam ab habitu theologico, occurrere possis, memento ex iis quae didicisti apud *Logicam* Complutensium, disp. 19, quaest. 3 (50), scientiam aliam esse naturalem, hoc est, deducentem ex principiis naturalibus suas conclusiones; aliam vero inniti principiis supernaturalibus fidei infusae. Rursus scientiam proprie dictam aliam esse talem quoad substantiam, aliam vero quoad statum. Insuper evidentiam quam scientia habere dicitur, aliam esse exercitam seu actu habitam; aliam esse petitam seu in quam ipsa scientia inclinat; illam tamen non habet ob aliquod impedimentum contingenter auferens exercitium talis evidentiae. Denique evidentiam ipsam actu habitam vel exactam aliam esse evidentiam consequentiae et aliam consequentis. Evidentia consequentiae tunc datur, quando ex legitima dispositione praemissarum infertur evidenter consequentia. Evidentia consequentis est, cum de consequenti constat evidenter; quia procedit ex principiis evidenter cognitis. Ex his ergo, quorum fere omnia explanant laudati Complutenses,

Respondetur argumento negando maiorem quoad tertiam partem; scientia enim infusa est vere scientia et tamen non est per demonstrationem acquisita; quare si theologia mystica fuerit per se infusa, de quo quaestione sequenti agemus, erit utique scientia quin per demonstrationem acquiratur. Nec auctoritas Philosophi movere debet in hac parte; ipse enim, utpote lumine fidei destitutus, de scientia per se infusa nihil novit.

Ad ipsam maiorem quoad primam et secundam partem respondetur: de ratione cuiuscumque scientiae esse quod sit certa et evidens, aliter tamen et aliter; nam certitudinem debet reapse habere quaevis scientia, sive statum perfectum habeat, sive non. Evidentiam autem habere debet, si sit scientia in statu perfecto; scientia autem quae est in statu imperfecto, solum dicit evidentiam exactam, si de evidentia consequentis sermo sit; si autem sermo sit de evidentia consequentiae seu bonitate illationis, dicimus debere dici ab illo habitu, qui proprie habet rationem scientiae; sine hac enim evidentia, ad minus, non est dabilis ratio scientiae. Deinde ad minorem illius syllogismi respondetur: falsam esse pro prima parte; theologia quippe mystica certitudinem habet, quam mutuat a fide; unde perfectiorem certitudinem dicit quam habitus scientifici naturales. Ad probationem dicas: D. Thomam loqui de scientiis naturalibus et quoad statum; hae enim cognoscunt per resolutionem in prima principia ab ipsis evidenter cognita. Theologia

(46) *I Posteriorum,* cap. 1, num. 1; ed. Didot, t. I, p. 121; Bekk., 71a, 1.

(47) i. e. *Logica,* Part. III; ed. 1629, t. I, p. 370a sq.; cf. praesertim num. 14 sq., p. 371b. — COMPLUT. ABBREV., *Logica,* disp. 17, q. 1, num. 4 et 5; ed. 1670, t. I, pp. 416b-418b.

(48) t. IV, p. 479a.

(49) t. XV, pp. 223b-224a.

(50) Ed. 1629, t. I, pp. 405a-408a. — COMPLUT. ABBREV., *Logica,* disp. 19, q. 3; ed. 1670, t. I, pp. 453-457a.

autem cum procedat ex principiis revelatis, ex ipsis habet omnimodam certitudinem, quin opus sit recurrere ad evidentiam principiorum, quam habet in patria, ubi est in statu perfecto.

Ad secundam probationem respondetur: Theologiam mysticam dicere exercite evidentiam consequentiae; evidentiam autem consequentis dicit etiam, sed non habitam, sed petitam; quod sufficere ad scientiam pro statu imperfecto, constat ex dictis. Hanc autem perfectam evidentiam dicit, cum statum perfectum habet, videlicet in patria, ubi mansuram esse postmodum discutiemus.

158. Dices: In definitione scientiae eodem modo ingreditur evidentia ac certitudo. Ergo utraque requiritur ut habita vel ut exacta.

Respondetur primo distinguendo antecedens: in *definitione scientiae* perfectae, concedo; *scientiae* imperfectae, nego antecedens. Scientia enim perfecta actu dicit certitudinem evidentiamque ; ast scientia imperfecta licet dicat actu certitudinem, evidentiam vero solummodo dicit exactive.

Respondetur secundo seu potius solutio tradita declaratur: Etenim Philosophus primo *Posteriorum,* cap. 2, sic scientiam actualem definit, prout refert nostra *Logica* Complutensium, disp. 1, quaest. 5, num 21 (51): *Scire autem putamus unamquamque rem simpliciter, et non sophistico modo, cum putamus causam cognoscere propter quam res est, eius rei causam esse, neque posse eam aliter se habere.* Ubi, ut evidenter patet, petit Aristoteles ad veram rationem scientiae, cognoscere *causam propter quam res est, eius rei causam esse,* ita certo ut cognoscat non *posse eam aliter se habere.* Quod ex duplici capite provenire potest. Primum est evidentia, qua cognoscitur causa; atque adeo effectus per ipsam. Secundum est infallibilitas principii, cui cognitio innititur ; ex quo enim principium hoc sit infallibile, optime cognoscitur rem ex illo principio deductam *non posse aliter se habere;* atque adeo cognoscimus illam cognitione scientifica, licet non evidenter. Quare in definitione Aristotelis nec verbum est, quod evidentiam signet ; cum totus sit ipse Philosophus in adstruendo necessariam esse certitudinem. Quod notavere dicti PP. Complutenses abbreviati, disp. 19, quaest. 3, num 12 (52), dicentes: *Aristoteles non definivit scientiam per evidentiam, sed per certitudinem, dum dixit, quod scire est cognoscere causam propter quam res est, etc...*

Cuius doctrinae radicem pulchre detegunt inibi laudati Patres addentes (53): *Perfectio propria intellectus sumitur per ordinem ad verum sub ratione veri. Ergo firma adhaesio intellectus ad verum, in qua consistit certitudo, est proprius finis intellectus, et habituum eius. Evidentia autem, vel claritas deserviunt ipsi certitudini, quatenus obiectum sub claritate propositum aptius est ad causandum firmiorem et certiorem assensum. Quare certitudo, et non claritas pertinet per se primo ad substantialem perfectionem scientiae.* Unde ad obiectionem negetur antecedens; non enim eodem modo dicit scientia certitudinem et evidentiam; sed certitudinem dicit per se primo, evidentiam vero dicit prout deservit ipsi certitudini.

159. Ad confirmationem ex numero 156 distinguatur maior: *est actus discursus,* sive formaliter, sive terminative, conceditur; formaliter praecise, negatur. Itaque scientia etiam naturalis habetur, cum intellectus iudicio resolutivo veritatem discursibus obtentam contemplatur. Hic autem actus iudicii resolutivi discursus est, quia ad illum totus motus discursivus terminatur ; unde licet sit actus omnino simplex et quietus, dicitur ob hoc discursus. Nec modo decernimus, an hic actus sit sub secunda, an sub

(51) COMPLUTENSES ABBREV., *Logica,* disp. 1 prooemial., q. 5, num. 21; ed. 1670, t. I, p. 88a. — COMPLUTENSES, *Logica,* disp. 1 prooemial., q. 5, num. 40; ed. 1629, t. I, p. 72a. — ARISTOTELES, I *Posteriorum,* cap. 2, num. 1; ed. Didot, t. I, p. 122; Bekk., 71b, 9.

(52) Ed. 1670, t. I, p. 454a.

(53) COMPLUT ABBREV., l. c.

tertia operatione intellectus (54). Cuiuscumque enim operationis sit actus, verificantur quae diximus. Deinde distinguatur eodem modo minor dicti syllogismi: *Non est actus discursus,* formalis, concedo; terminative talis, nego minorem et consequentiam. Ad probationem maioris eadem distinctio applicetur; et similiter ad primam probationem minoris dicatur, implicare quod simplex intuitus veritatis sit discursus formalis ; non autem implicat quod sit terminus discursus praecedentis. Et licet discursus formalis veritatem exquirat, discursus tamen terminative talis seu, quod idem est, terminus discursuum antecedentium non inquirit veritatem, sed iam inquisitam contemplatur. Et hoc est, quod in nostra theologia mystica invenitur. Omnes discursus, quos format ascendens de creatura in creaturam ac ultimo deveniens in Creatorem; itidem discursus, quos assumit de Creatore in creaturam; illos omnes dirigit ut assequatur actum simplicissimum et quietissimum, quo ipsum Creatorem contempletur, qui actus, utpote terminus omnis anteeuntis sollicitudinis discursivae, discursus terminative est.

160. Arguitur *tertio:* Theologia mystica est habitus experimentalis, ut patet ex iis, quae multoties in superioribus dicta sunt. Ergo non est scientia. Probatur consequentia: quoniam scientia experimentalis repugnat iuxta D. Thomam, iuxta nostros Salmanticenses (55) et iuxta rationem ipsam. Ergo theologia mystica non est scientia experimentalis atque adeo nec scientia. Probatur antecedens quoad primam partem; quia in II *Sent.,* d. 23, q. 2, art. 2, ad 2 (56), locutus de Adamo (idem omnino est de quolibet alio rerum scientiam naturalem habente) ait Angelicus Doctor: *Aliquis experitur aliquid dupliciter: vel ut ex sensibilibus, quorum experientia habitum cognitionis acquirit; sicut in nobis fit, qui ex multis experimentis unum universale colligimus, quod est principium artis, vel scientiae ; et sic Adam experimentis non indigebat. Alio modo, ut illud, quod quis per habitum cognitionis tenet, etiam in rebus videat; hoc enim scienti delectabile est: et sic Adam experimenta de naturis sumpsit.* Quibus ostenditur theologiam mysticam scientiam non esse, quia vel causaretur experientia primo modo sumpta, et sic causari non potest ; quia per habitum fidei ac theologiae habetur quidquid illis experimentis haberi potest. Si autem experientia sumatur secundo modo, qualiter fuit in Adamo habetque quod nos pro theologia mystica desideramus, constatque ex illis verbis Angelici Praeceptoris: *hoc enim scienti delectabile est;* verum non generat experientia haec scientiam aliquam distinctam ab illa, media qua habetur illa experientia.

Secunda et tertia pars eiusdem antecedentis constat ex ipsis Salmanticensibus, qui data D. Thomae auctoritate et a ratione probant loco citato contra Suarez (57) Christum Dominum non habuisse praeter scientias naturales scientiam experimentalem. Haec apud ipsos videri possunt, nos autem ea non exscribimus, quia omnium eorum eadem solutio est.

Respondetur negando consequentiam ; ad probationem dicas: totum hoc argumentum non tam conceptum scientiae a mystica theologia auferre, quam ipsam mysticam theologiam e medio tollere. Etenim D. Thomas, Patres Salmanticenses et rationes ab ipsis adductae non negant scientiam illam experimentalem ex conceptu scientiae, sed ex conceptu habitus. Negant enim iis experientiis habitum aliquem generari diversum ab habitu, cuius experientiae sunt. Verum quidquid sit de hoc, dicimus D. Thomam et Patres Salmanticenses loqui, ut ex

(54) cf. t. II, Praedicabile II, disp. 12, quaest. 5, §. 1, num. 71.

(55) Tract. XXI, disp. 17, dub. 4, num. 62; t. XV, pp. 62b-63b.

(56) Ed. Vivès, t. VIII, p. 302a:... *et sic Adam experimento... de naturis rerum sumpsit.*

(57) *In III Partem Summae S. Thomae,* disp. 30, §. 2; *Opera omnia,* ed. Vivès, t. XVIII, pp. 78-84; cf. praesertim num. 9; p. 82.

eorum verbis constat, de scientiis et habitibus naturalibus, per quorum experientiam nullum novum habitum sive scientificum, sive non scientificum acquisivit Adamus, nec Christus Dominus, nec nos, ut experientia convincit. Per hoc enim, quod quis logicam habens, experimentaliter quae logicae sunt, cognoscat, non acquirit novum aliquem habitum a logica distinctum. Quid autem dicendum sit de nostra theologia mystica, quae absdubio scientia experimentalis est, iam vidimus in responsione ad confirmationem positam num. 124 et etiam ex dictis num. 128, ubi diximus theologiam mysticam acquisitam esse eundem habitum cum habitu theologico; unde ex hac parte nihil contra nos concludit argumentum. Theologia autem mystica infusa est diversus habitus a theologico ; quia experientia, quam anima habet de obiecto ipsius, est ultra modum et mensuram humanam; unde habitum specialem requirit. Per quae solvitur totum argumentum; pleniusque dissolvetur ex dicendis quaestione sequenti.

§. IV. Consectarium pro quaestionis complemento.

161. Ex dictis in hac quaestione et in pluribus supra positis colliges : Theologiam mysticam non solum esse proprie scientiam, quod hactenus ostendere conati sumus; verum etiam esse simpliciter ac perfectissime sapientiam. Sic D. Thomas, I[a] part., quaest. 1, art. 6, ubi resolvit : *Respondeo dicendum, quod haec doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter.* Angelicum Doctorem sequuntur omnes eius discipuli et alii communiter.

Hoc ipsum docet Seraphicus N. Parens D. Ioannes a Cruce, qui frequenter in suis scriptis nostram mysticam theologiam appellat scientiam, quo assertum principale suadet; et etiam nominat sapientiam, quo veritatem huius nostri corollarii ostendit. Inter plurima alia loca, ubi hoc secundum docet, eminet cantio II *Flammae* (58), quae sic se habet :

O cauterio suave !
O regalada llaga !
O mano blanda! O toque delicado !
Que á vida eterna sabe,
Y toda deuda paga,
Matando, muerte en vida la has trocado (59).

In cuius explanatione dulcissime spatiatur Theodidactus Parens dignissimus, quod ab omnibus videretur, ut sibi copiosissimam frugem ex lectione adeo proficua compararent. Quod ad nos in praesenti attinet, est versus quartus, quem ut explicet, ait (60): *Gusta aqui el alma por una admirable manera, y participacion de todas las cosas de Dios, communicandosele fortaleza, sabiduria y amor, hermosura, gracia, y bondad. Que como Dios sea todas estas cosas, gustalas todas el alma en un solo toque de Dios con cierta eminencia.* Id est: Admirabili modo et participatione gustat hic anima omnia, quae Dei sunt; siquidem illi fortitudo, sapientia, amor, venustas, gratia et bonitas conferuntur. Quandoquidem, cum Deus sit omnia haec, illa omnia gustat anima quadam eminentia unico Dei contactu (61). Ubi perspicue theologiam mysticam, qua anima proportionatur, ut sic a Deo hono-

(58) *Llama de amor viva,* canc. II; ed. crit., t. II, pp. 409 y 634.

(59) In ed. Neapol. additur:

« O cauterio soave !
O favorita piaga!
O'dolce mano! O tocco delicato!
Di vita eterna save,
Ogni debito paga,
Morte in vita: Uccidendo: hai tu cangiato ».

(60) Ed. crit., t. II, pp. 419-420: *Y asi gusta el alma aqui de todas las cosas de Dios, comunicándosele la fortaleza, sabiduria y amor, hermosura, gracia y bondad, etc. Que como Dios sea todas estas cosas, gústalas el alma en un sólo toque de Dios, y asi el alma, según sus potencias y su sustancia goza.* — Similiter *Primera Llama de amor viva,* 1. c. p. 639, praeter: ... *comunicándosele fortaleza, sabiduria, amor;... sus potencias, y sustancia goza.*

(61) In I ed. legitur: « Itaque mirabili modo, atque participatione omnia, quae in Deo sunt, anima hic degustat, illique per communicationem tribuuntur fortitudo, sapientia, amor, pulchritudo, bonitas, et gratia. Nam cum Deus sit haec omnia, unico Dei tactu ab anima cum quadam eminentia degustantur ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: «... Nam cum Deus sit haec omnia, Haec omnia simul unico Dei contactu, cum quadam eminentia anima degustat ».

retur, nominat sapientiam. Hac igitur ineffabili sapientia idonea fit anima, ut a Deo suo dilectissimo Sponso decoretur, quae sapientia, licet ad favorem, quem nunc de novo respicit, praesupponatur, denuo tamen communicata videtur; siquidem in ipso favore perficitur, sicut fortitudo, amor et alia, quae ibi Sanctus Doctor recenset, perficiuntur.

162. Nec solum dicta habemus in data expertissimi huius Doctoris auctoritate ; sed etiam solidam rationem, qua statutam veritatem nostri consectarii probemus. Etenim, iuxta D. Thomam citatum, *qui considerat simpliciter altissimam causam totius universi, quae Deus est, maxime sapiens dicitur;* atque ideo ille habitus, medio quo haec considerat, simpliciter et maxime sapientia est. Sed media theologia mystica consideratur simpliciter causa altissima totius universi, quae est Deus, et omnia quae Dei sunt, degustantur, ut dicitur in data Extatici nostri Doctoris auctoritate. Ergo theologia mystica est simpliciter et maxime sapientia.

163. Confirmatur primo: quia sapientia simpliciter talis, iuxta Augustinum (62) relatum a D. Thoma ibidem, est *divinorum cognitio.* At iuxta traditam doctrinam Parentis nostri D. Ioannis theologia mystica est divinorum cognitio, siquidem unico Dei tactu cognoscit Deum ipsum et omnia quae sunt Dei, et adeo perfecte cognoscit, ut eius delicias degustet. Ergo est simpliciter sapientia.

164. Confirmatur secundo ex D. Thoma, II^{a} II^{ae}, quaest. 9, art. 2 (63), ubi ait: *Simpliciter autem sapiens dicitur, qui novit altissimam causam simplicem, scilicet Deum. Et ideo cognitio divinarum rerum vocatur sapientia.* Sed, ut patet ex nostro Seraphico Patre, theologia mystica cognoscit intimeque unitur cum Deo, qui est altissima causa. Ergo ex mente utriusque Doctoris theologia mystica est simpliciter sapientia.

165. Obiicies: Theologia mystica, ut asseruimus in conclusione, est proprie scientia. Ergo non est sapientia. Patet ista, quia sapientia et scientia sunt membra dividentia; atque adeo sunt opposita mutuoque sese excludentia.

Respondetur ex D. Thoma, *opusc.* LXX, quaest. 2, art. 2, ad 1 (64), ubi ait: *Sapientia non dividitur contra scientiam sicut oppositum contra oppositum ; sed quia se habet ex additione ad scientiam. Est enim sapientia, ut dicit Philosophus VI Ethicorum, caput omnium scientiarum regulans omnes alias, etc... Scientiae vero nomen aliis inferioribus relinquitur.* Est dicere : quod scientia in communi dividitur in duas species, quarum una eaque perfectissima est sapientia; quae non est opposita diviso, sed addit ad ipsum; quia scientia communiter dicta est cognitio certissima rei per causam. Si autem haec causa, per quam illa cognitio habetur, fuerit altissima in omni genere, ex hac differentia et illa ratione communi exsurgit sapientia simpliciter et in omni genere, qualis est nostra theologia. Si autem praedicta causa fuerit altissima in genere determinato, resultat sapientia in determinato genere. Ac denique si causa, per quam dicta cognitio habetur, fuerit inferior ; tunc ex hac differentia et illa ratione communi consurgit scientia particulariter dicta, quae dividitur contra sapientiam ; conservatque nomen divisi, quod in univocis fieri solet, ut docet D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 9, art. 2 (65) hisce verbis : *In his, in quibus aliquid est perfectissimum, nomen commune generis appropriatur his quae deficiunt a perfectissimo: ipsi autem perfectissimo adaptatur aliud speciale nomen... Quia ergo nomen*

(62) XII *De Trinitate,* cap. 14; Migne, P. L., t. 42, col. 1009.

(63) Ed. Leonina, t. VIII, p. 75b:... *causam simpliciter,...*

(64) i. e. *In librum Boetii De Trinitate expositio;* ed. Vivès, t. XXVIII, opusc. LXIII, p. 498.

(65) Ed. Leonina, t. VIII, p. 75a: *In his autem in... Quia igitur nomen... fit per altissimam causam, habet speciale...* (ed. Piana et ed. 1467 post « *causam* » addunt: *illius generis per quam potest de omnibus iudicare*).

scientiae importat quandam certitudinem iudicii, ut dictum est; siquidem certitudo iudicii fit per altissimam causam illius generis, per quam potest de omnibus iudicare, habet speciale nomen, quod est sapientia... Cognitio vero rerum humanarum vocatur scientia, quasi communi nomine importante certitudinem iudicii appropriato ad iudicium, quod fit per causas secundas.

QUAESTIO OCTAVA

Utrum theologia mystica sit idem habitus cum theologia scholastica?

166. Habitum theologicum comprehendere theologiam scholasticam, dogmaticam, symbolicam, positivam et moralem pluries in superioribus dictum est. An etiam theologiam mysticam comprehendat, dubitamus? In quo confusione praecedenti simillima obruimur. Non est enim theologus mysticus, qui non asserat theologiam mysticam scholasticamque esse eundem habitum. Quam communissimam positionem explicat nostra *Medulla mystica*, a nobis citata num. 96, illo lucidissimo simili favi mellei, in quem omnes dictae theologiae tendunt, sub diversa tamen ratione formali aut quasi formali; non enim speciem refundit, sed munera diversa signat.

Hoc ex una parte veluti inconcussum habetur. Ex alia vero mystam non invenies, qui disputans agensve de principio elicitivo theologiae mysticae actualis seu contemplationis non doceat principium hoc esse habitum theologicum, habitum fidei, donum sapientiae, intellectus, scientiae aut aliud donum superius. Quomodo autem haec cohaerere possint, aegre percipio. Disputo enim sic: Theologia mystica est idem habitus cum scholastica, dogmatica et aliis iam recensitis. Sed habitus theologiae mysticae est habitus fidei aut donum sapientiae, etc. Ergo habitus theologiae scholasticae, dogmaticae, etc. est idem habitus cum habitu fidei, cum dono sapientiae et aliis habitibus, qui principia elicitiva mysticae theologiae asseruntur. Illatio sine crimine est. Praemissae vero sunt unanimi mysticorum calculo firmae. Unde in quo sensu accipiendi sint, expedit aperire. In quo quantum laboris sudorisque propriae tarditati opus sit, cordati iudicent; si forte ex hoc capite venia dignus appaream ob defectus, in quos saepissime impingam, dum hanc indigestam provinciam methodo perlustro, nec minimum limis oculis inspicere sustinente.

§. I. Brevis admonitio et prima pro veritate stabilienda conclusio.

167. Ante quaestionis resolutionem monemus, prae oculis habendam esse divisionem illam theologiae mysticae in acquisitam et infusam, de qua tam in *Isagoge*, quam in hac disputatione locuti non semel fuimus. Insuperque, ut titulus quaestionis clarius adhuc percipiatur, advertere debes, habitum theologicum prout illa omnia, quorum in principio meminimus, comprehendit, esse eundem omnino habitum sine omni prorsus essentiali differentia, ut adstruit D. Thomas, I[a] part., quaest. 1, art. 3, quem eius discipuli sequuntur. Unde inquirimus, an iste habitus eodem etiam modo mysticam theologiam comprehendat? Signamus tamen theologiam scholasticam, non quia relate ad illam sit specialis aliqua difficultas, quae respectu theologiae moralis, symbolicae et aliarum pariter urgens non sit; sed ut morem mysticis doctoribus geramus, solam theologiam scholasticam nominantibus, dum praesentem materiam versant. Quibus praemonitis,

168. Sit nostra prima conclusio: *Theologia mystica acquisita est idem habitus cum theologia scholastica.* Conclusio haec est omnium mysticorum, quorum concors animus hoc ad minus probat. Si namque hoc verum non esset, eorum

opinio stare nequaquam posset. Unde haec est pro nostro asserto suadendo probatio urgens. Non enim fas est tantos viros a veritate alienos suspicari.

169. Probatur secundo conclusio ratione D. Thomae sub hac tamen forma proposita. Etenim theologia mystica acquisita est scientia experimentalis, media qua videtur in rebus idipsum, quod per habitum cognitionis tenetur. Ergo non est habitus distinctus a theologia scholastica. Utraque propositio probanda est; et primo probatur antecedens: Theologia mystica acquisita nihil attingit in Deo, nisi id, quod tenetur per habitum theologicum; sive sit obiectum, sive obiecti attributa, sive deliciae ex eorum attingentia resultantes, omnia haec per theologiam scholasticam supponuntur cognita. Ergo media theologia acquisita idipsum experitur in rebus, quod per habitum cognitionis tenetur.

Deinde principalis consequentia probatur etiam auctoritate D. Thomae adducta num. 160. Haec tamen vel semel iterare liceat. *Aliquis,* ait Angelicus Doctor (1), *experitur aliquid dupliciter: vel ut ex sensibilibus, quorum experientia habitum cognitionis acquirit; sicut in nobis fit, qui ex multis experimentis unum universale colligimus, quod est principium artis, vel scientiae; et sic Adam experimentis non indigebat. Alio modo, ut illud, quod quis per habitum cognitionis tenet, etiam in rebus videat ; hoc enim scienti delectabile est: et sic Adam experimenta de naturis sumpsit.* Ex quibus urgentissime roboratur, si sic

170. Expenditur ac aperitur ratio facta: Etenim quia in Adam praesupponebatur habitus cognitionis, ideo ex obiectorum experientia novum habitum non acquirebat, licet eorum experimentalis attingentia foret ipsi maxime delectabilis. Ergo quia in catholico mystice procedenti supponitur habitus cognitionis circa omnia, quae per mysticam theologiam seu per theologiam experimentalem attingi possunt, ex eorum experimentali attingentia nullus habitus denuo generatur.

171. Vel sic: si in Adam non supponeretur habitus cognitionis circa obiecta, ex eorum experimentali attingentia unum universale colligeret, quod esset principium scientiae. Ergo, quia in catholico mystico praesupponitur habitus cognitionis circa obiecta a theologia experimentali attingibilia, ex eorum experientia nullus habitus, qui sit illius scientiae principium, habetur.

172. Vel sic: quia in Adam supponebatur habitus cognitionis circa obiecta, ideo per ipsum habitum cognitionis attingebantur ipsa obiecta, nedum ut cognita aut in esse cognoscibilium, verum etiam ut experta ac in esse delectabilium. Ergo, quia in catholico mystico praesupponitur habitus cognitionis circa obiectum theologiae experimentalis, ideo per illum habitum cognitionis attingitur illud obiectum non solum ut cognoscibile, qualiter theologiae scholasticae obiectum est; sed etiam ut expertum et delectabile, qualiter attinet ad mysticam theologiam. Consequentiam convincit paritas; et antecedens est expressum D. Thomae in allata auctoritate (2), ibi : *Alio modo, ut illud, quod quis per habitum cognitionis tenet, etiam in rebus videat; hoc enim scienti delectabile est.*

173. Confirmatur primo: In Christo Domino non fuit scientia experimentalis orta ex experientia circa obiecta scientiarum naturalium, quae fuisset distincta ab ipsis scientiis naturalibus. Ergo in catholico mystico non datur theologia orta ex experientia circa Deum, qui est obiectum theologiae scholasticae, quae ab ipsa scholastica theologia sit diversa. Antecedens nervose probant nostri Salmanticenses, tract. XXI, disp. 17, dub. 4, §. 4 (3), contrariam opinionem reiectu dignam censentes ut valde singularem ac veritati et D. Thomae contrariam.

(1) cf. supra, p. 182, num. 160, nota (56).
(2) cf. supra, num. 169.
(3) num. 62; t. XV, pp. 62b-63b.

Consequentia autem probatur: quia si scientia naturalis in Christo Domino et in quolibet alio potest attingere obiecta ut experta; etiam theologia scholastica, quae sapientia simpliciter est atque adeo *caput omnium scientiarum,* ut ait Aristoteles, VI *Ethicor.* (4) *et scientiarum Dea,* ut ait D. Thomas, *opusc.* LXX, quaest. 2, art. 2, ad 1 (5), potest suum obiectum ut expertum cognoscere; consequenterque non requiritur aliquis alius habitus, qui ex experientiis circa tale obiectum habitis consurgat.

174. Confirmatur secundo : quoniam scientia experimentalis attingit pure sensibiliter et experimentaliter idipsum, quod prius scientifice et intelligibiliter cognoscebatur. Sed theologia mystica acquisita est scientia experimentalis, ut nemo negat. Ergo attingit sensibiliter et experimentaliter idipsum, quod per habitum cognitionis scientifice et intelligibiliter cognoscebatur. Ergo non est habitus diversus a theologia scholastica. Maior est expressa nostrorum Salmanticensium, ubi supra num. 62 (6) et ultima consequentia, in qua difficultas stare poterat, probatur: quia cum identitate obiecti non stat habituum diversitas.

175. Confirmatur tertio et simul hactenus dicta lucem roburque recipiunt : quia theologia experimentalis vel attingit idem obiectum, quod attingitur ab habitu cognitionis, vel diversum. Atqui non est diversum. Ergo idem. Ergo cum non stet diversitas specifica habituum cum unitate obiecti, sicut nec cum subiecti unitate stat diversitas numerica eorumdem, sequitur quod theologia experimentalis non sit diversus habitus ab habitu theologiae scholasticae. Cetera omnia nota sunt; et minor probatur: quia si illud obiectum est diversum, sequitur theologiam mysticam non attingere suum obiectum ut expertum. Consequens est falsum, ut vidimus quaestione 5 (7), ubi rationem *sub qua* mysticae theologiae vidimus esse rationem experti ac degustati. Ergo. Probatur sequela: quia obiectum ut expertum supponit seipsum ut prius attactum. Sed si obiectum est diversum, non potest seipsum ut prius attactum supponere; cum illud quod attactum supponitur, sit aliud ab eo, quod postmodum degustatur. Ergo si theologia mystica attingeret diversum obiectum, non posset obiectum ut expertum attingere (8).

176. Quia autem haec sunt omnino necessaria pro hac doctrina pluribusque aliis percipiendis, non te taedeat, amabo te, iterum illa legere, quamvis in superioribus et praecipue in praelibatis ad primam quaestionem dicta sint. Igitur fidelis mystici mens habitu cognitionis decora Deum centrum amabilitatis cognoscit, qua cognitione delicias percipit, quod commune esse cuicumque potentiae suum obiectum attingenti non diffitemur. Verum has omnes quascumque superare vel ex ipso Philosopho audivimus numero 106. Unde solum istae vere deliciae sunt. In has ergo delicias ut sibi prae omnibus amabiles fertur voluntas, illas degustat, percipit, experitur. Et actum, quo has delicias gustat voluntas, nominant mystae notitiam experimentalem. Hac experimentali notitia invitatus intellectus doctiorque seipso factus, regreditur ad cognoscendum illud obiectum prius a se cognitum et a voluntate degustatum. Et hic actus est, qui tendit in obiectum ut expertum et in quo mystica et experimentalis theologia consistit. Quae theologia est acquisita vel infusa; magis vel minus perfecta pro statu et merito contemplantis. Et in dicto sensu admitti potest sententia, quam ut minus propriam reiecimus a numero 130, Magistri Ioannis a Sancto Thoma dicentis, hunc theologiae mysticae actum

(4) cap. 7, num. 3; Didot, t. II, p. 70: Bekk., 1141a, 19.

(5) i. e. *In librum Boetii De Trinitate expositio ;* ed. Vivès, t. XXVIII, opusc. LXIII, p. 498b.

(6) t. XV, pp. 62b-63b.

(7) §. 1, num. 91 sqq., 2a conclus., p. 149.

(8) Sic in Neapol. editione ; in 1 vero legitur : « Ergo si Theologia mystica attingere diversum obiectum non posset obiectum, ut expertum attingere ». — In IV ed. vero: « Ergo si Theologia mystica attingere diversum obiectum non posset, nec obiectum, ut expertum attingeret ».

esse reflexivum; nam licet vere reflexivus non sit ob ea, quae ibi diximus ; aliqua tamen reflexione gaudere non negamus, cum terminetur ad cognoscendum obiectum prout prius a voluntate degustatum.

Haec omnia refricare voluimus, ut noscas quod sicut voluntas non amat, nisi illud obiectum, quod prius intellectus cognovit; sic intellectus per illum secundum actum non terminatur, nisi ad illud obiectum, quod a voluntate degustatum est; quia sicut voluntas absolute non amat, nisi obiectum prius cognitum; sic intellectus theologia mystica ductus non cognoscit, nisi obiectum prout expertum. Atque adeo sicut, si voluntas amaret aliud obiectum diversum ab eo, quod prius cognitum fuit, non verificaretur quod in obiectum prius cognitum tenderet ; sic, si theologia mystica aliud obiectum cognosceret diversum ab eo, quod voluntas experta fuit, verum non esset quod in obiectum ut expertum tenderet. Unde ergo est illa obiecti diversitas, quae omnino necessaria erat, ut habitum diversum terminaret ?

177. Dicis: Diversitas stat ex parte rationis *sub qua ;* quia primus actus intellectus non attingit obiectum ut degustatum; secundus vero ut degustatum attingit. Unde licet uterque actus agat de eodem obiecto *quod,* non autem sub eadem ratione formali; quod sat esse ad refundendam distinctionem habituum nemo ignorat. Et hoc ostendere conaris duplici motivo, quorum *primum* est, quod non omnis actus habitus theologici est theologia mystica. Ergo dum datur theologia mystica aliquid datur ex parte obiecti, quod pro aliis actibus non datur. Hoc autem non se tenet ex parte rationis *quae,* quia ex parte huius nihil attingitur a theologia mystica, quod scholastica non attingat, ut in hac ipsa quaestione non semel diximus. Ergo se habet ut ratio *sub qua.* Ergo theologia mystica et scholastica tendunt in obiectum sub diversa ratione formali. *Secundum* motivum est, quia illud obiectum, quod theologia mystica attingit, est quod voluntas degustat. At non est sub eadem ratione formali, ut patet. Ergo stat quod theologia mystica et scholastica in idem obiectum tendant et sub diversa ratione formali.

Respondetur rationem experti esse quidem rationem *sub qua* non quae refundat speciem, sed quae muneris diversitatem refundat. Habitus enim theologicus habet diversa munera et unumquodque suam rationem formalem habet ; quae ratio, licet sit adaequata relate ad munus, respectu tamen habitus inadaequata est. Quod in ipsa theologia morali et scholastica et etiam mystica cernere est; siquidem habent diversos tractatus, et singuli habent suam rationem formalem adaequatam sibi, inadaequatam habitui, ut de mystica theologia vidimus quaestione 5 (9). Unde haec diversa ratio habitus diversitatem non arguit.

Ad motiva opposita, prout huic doctrinae obstare possunt, respondetur : ad primum quidem distinguendo antecedens : *Est theologia mystica,* sumpta hac pro munere, concedatur ; sumpta pro entitate vel habitu, negetur. Deinde distinguatur consequens : *Ergo dum datur theologia mystica, etc...* sumpta pro munere, concedatur; pro entitate vel habitu, negetur; sicque resolvatur totum, quod ibi additur. Termini ex dictis noti sunt. Ad secundum distinguatur similiter consequens: *Et sub diversa ratione formali,* diversitate muneris, conceditur; diversitate entitatis, negatur. Unde licet intellectus voluntasque idem obiectum *quod* attingant sub illis diversis rationibus sibi propriis; theologia mystica et scholastica eandem rationem formalem *sub qua* habent; et sane, si illae tam differentes potentiae solum ex parte rationis *sub qua* differunt, theologiam mysticam scholasticamque, quae adeo germanae sunt, mirum non est in ipsa etiam ratione *sub qua* convenire.

(9) §. 1.

§. II. Opposita nostrae conclusioni et dictis rationibus diruuntur.

Plura sunt, quibus assertum nostrum et rationes, quibus illud firmavimus, impugnari possint; aliqua ex illis promiscue proponimus, ut sibi invicem robur adiiciant obiecta et lucem recipiant soluta.

178. Obiicies *primo:* Dantur plures, qui sunt in mystica theologia excellentes, cum tamen de theologia scholastica nihil sciant; et e contra sunt plures in theologia scholastica iure optimo candidati, qui mysticam theologiam nec a primo limine salutaverunt. Ergo signum est quod theologia mystica et scholastica diversi habitus sunt.

179. Confirmatur primo: Habitus est facilitas potentiae ut delectabiliter possit in actum procedere. Sed plurimi mystici expertissimi nec faciliter, nec delectabiliter possunt theologiam scholasticam exercere ; et e contra. Ergo habitus theologiae mysticae diversus est ab habitu theologiae scholasticae.

180. Confirmatur secundo et simul debilitatur ratio, cui nostrae resolutionis praecipuum robur commisimus: ideo habens habitum cognitionis non acquirit novum habitum per experientiam, quia id, *quod per habitum cognitionis tenet, etiam in rebus videt,* uti supra num. 169 ex D. Thoma didiscimus; et similiter ideo non habens habitum cognitionis acquirit per experientiam habitum cognitionis, quia talis habitus non praesupponitur in illo. Sed qui carens theologia scholastica exercet mysticam seu experimentalem, non habet habitum cognitionis. Ergo hic per mysticam experientiam novum habitum acquirit.

Respondetur obiectioni negando antecedens pro utraque parte. Quod insolens tibi apparebit; sed apage irae concitatae fervorem, dum fundamentum auscultas. Dico iterum quod debet negari antecedens pro utraque parte; ac de secunda, in qua maior difficultas esse poterat, nullam habeo, dicente egregio theologo Bancel, sermonem faciente de theologia scholastica in prooemialibus ad sacram theologiam, art. 7, in fine (10): *Ob excellentiam, et nobilitatem theologiae quilibet actus eius est simul speculativus, et practicus, quia finis, quem theologus habere debet in quolibet actu theologiae est, ut ex hoc inducatur ad maiorem Dei admirationem, simul et amorem... Quod si quis in quolibet actu utrumque finem non habet, quantum ad hoc theologi nomen non meretur.* Et a titulo illius articuli haec dixerat: iste enim est titulus illius articuli septimi (11): *An theologia sit formaliter eminenter speculativa simul, et practica? Non meretur nomen theologi, qui ex quolibet actu theologiae non excitat se ad maiorem Dei admirationem, simul et amorem.* Audiant hanc censuram et considerent quotquot sacrae theologiae candidati volunt ab omnibus doctores appellari. Nos autem a censura abstrahentes, miramur eruditissimos scholasticos, qui suis eximiis disputationibus communem utilitatem fovent, ita a mystica theologia peregrinari, ut vel eius confusa notitia eorum aliquos videatur latere. Invenio enim habitum theologicum sic ab aliquibus divisum in prooemialibus ad theologiam sacram, quam, et quidem subtilissime, docent : *Theologia dividitur in scholasticam, positivam et moralem seu mysticam.* Ubi aperte constat pro eodem ab istis reputari theologia moralis et mystica, cum certe diversissimae sint. Verum quidquid sit de hoc, ne rigidus censor appaream, aliter

Respondetur eidem obiectioni distinguendo antecedens pro secunda parte : *qui mysticam theologiam,* quoad munus mysticae, transeat; quoad habitum, nego antecedens quoad hanc partem secundam. Quoad primam autem negetur absolute idem antecedens; nullus enim da-

(10) *Brevis universae theologiae tam moralis quam scholasticae cursus;* Avenione, 1684, t. I, p. 64.

(11) *ib.*

tur fidelis, qui theologus non sit ea sufficientia, qua possit mysticam theologiam exercere. Nec durum hoc existimabit, qui cognoverit quemvis fidelem, quantumvis tardus bardusve sit, mysteria nostrae fidei ad salutem necessaria credere. Ut autem habeat actum, quo haec mysteria credat, debet prius alium actum habere, quo iudicet mysteria illa esse credibilia; nec poterit in assensum mysteriorum prorumpere, quin ille alius actus de mysteriorum credibilitate praeeat. Hic actus hocve iudicium de eo, quod mysteria sint digna creditu, nullus fidelis est, in quo non detur ; licet cum sua latitudine pro subiectorum maiori vel minori agilitate. Sic theologi sentiunt cum theologiae Principe D. Thoma, II^a II^{ae}, quaest. 1, art. 4, ad 2. Videantur nostri Salmanticenses, tract. XVII, disp. 3, dub. 1, §. 1 (12). Ex quo constat, quod in omnibus fidelibus datur iste habitus cognitionis, qui ad theologiam experimentalem praerequiri diximus. Non tamen datur perfecte, sed valde imperfecte et qui (13) (scilicet actus ille) elicitur ab auxilio transeunte. Verum auxilium illud supplet pro habitu cognitionis ; consequenterque nemo est, in quo non praecedat cognitio scholastica sufficiens pro mystica.

181. Ac ex hoc apparet legitima intelligentia doctrinae, quam statuit D. Thomas, I part., quaest. 1, art. 1, ubi praeter physicas disciplinas, sacram doctrinam necessariam fore adstruit. Quid autem nomine *sacrae doctrinae* intelligat Angelicus Doctor multum pulverem concitavit, adhuc inter thomistarum proceres, eosque in opiniones nullo foedere sociandas divisit. Summe arduum ipsis videtur, theologiam scholasticam esse de qua loquitur; cum illam non adeo necessariam, immo nullatenus necessariam, ut minus pro omnibus, iudicent. Ex dictis autem habetur: D. Thomam ibi loqui de theologia scholastica, hancque necessariam esse non solum pro aliquibus fidelibus, sed et pro omnibus propter dicta. Sic Dominus de Marinis (14) et Bancel citatus, art. 10 (15).

182. Postquam autem vidimus, quomodo in quolibet fideli detur theologia scholastica fidem praecedens; arduum non est assignare theologiam scholasticam, quae ad ipsam fidem subsequatur. Etenim qui iam est fide venustus, potest ex ipsius fidei adiutorio aliquos discursus theologicos efformare ; in quo nullum inconveniens apparet. Ad eum modum, quo intellectus lumine suo naturali facere potest discursus aliquos logicales sine logica. De quo videri possunt nostri Complutenses in *Logica,* disp. 1, quaest. 7 (16). Unde idipsum concedi debet in sacra theologia, cuius discursus non arduos poterit efformare intellectus adiutus lumine fidei. Et certe in acquisitione huius sacri habitus hoc praecise tenendum est ; *quia addiscens artem operatur actionem artis sine arte* (ex IX *Metaph.,* textu 7 (17); quare sive habitus hic generetur, quando fidei mysteria creditu digna censentur adiutorio (18) auxilii transeuntis Deique misericorditer ad cordis ianuas pulsantis; sive post fidei infusionem et assensum, ipsa fide adiutrice; aliquando verum debet esse quod sine habitu theologico dentur theologici discursus ; nempe in acquisitione ipsius habitus theologici. Et semper verum etiam est quod theologia scholastica praecedit experimentalem.

183. Dices: Tradita doctrina est contra D. Augustinum, XIV *De Trinitate,* cap. 1. (19), ubi locutus de theologia scholastica ait: *Qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum.*

(12) t. XI, pp. 185b-189a.
(13) « *quia* » in IV ed.
(14) DOMINICUS DE MARINIS, *Expositio commentaria in totam Primam Partem Angelici Doctoris Sancti Thomae,* quaest. I; Lugduni 1662, p. 1 sqq.
(15) Ed. cit., t. I, p. 89.
(16) Ed. 1629, t. I, p. 80b sqq; cf. praesertim num. 77 sq., p. 81b. — COMPLUT. ABBREV., disp. 1, q. 7, §. 1, num. 38; ed. 1670, t. I, p. 107.
(17) Ed. Didot, lib. VIII, cap. 3, num. 2; t. II, p. 565; Bekk., 1046b, 36 (quoad sensum).
(18) « Auditorio » in I ed.
(19) Migne, P. L., t. 42, col. 1037.

Respondetur: Augustinum oppositum non docere, quin potius data eius auctoritate quae diximus confirmantur. Pollere enim theologia est inter theologos nomen et sedem habere, inter quod et penitus carere theologia mediat habere theologiam valde imperfecte; quae imperfecta theologia scholastica sat est, ut perfectissime mystica theologia obtineatur. Quippe verificatur inter has eminentissimas scientias, quod inter intellectum et voluntatem verum esse postmodum ostendemus. Voluntas enim non potest amare quin obiectum amandum intellectus proponat; ceterum ad cognitionem imperfectissimam subsequitur perfectissimus amor; quia voluntas plus amat quam intellectus intelligat. Pariformiter ergo ad imperfectam theologiam scholasticam, quae tota intellectiva est, subsequitur perfectissima theologia mystica, quae certe affectiva est.

184. Instas : Implicat alicuius habitus actus perfectus et naturaliter ab ipso elicitus et quod habitus ipse eliciens non sit perfectus. Ergo actus perfectus theologiae mysticae et connaturaliter elicitus requirit habitum perfectum. Modo sic : sed hic habitus non est habitus theologiae scholasticae. Ergo habitus theologiae mysticae alius est ab habitu theologiae scholasticae. Cetera omnia nota sunt ; et minor subsumpta probatur ex dictis: quia habitus hic in pluribus mysticis rudibus vel in iis, qui theologia scholastica non pollent, est valde imperfectus. Ergo hic habitus non est principium illius theologiae mysticae perfectissimae.

Respondetur negando minorem subsumptam vel illam claritatis gratia distinguendo : *Non est habitus theologiae scholasticae,* sub expressione scholasticae, est verum ; sub expressione mysticae, est falsum. Itaque habitus theologici perfectio duplex est: vel totalis et quoad omnia munera ipsum adaequantia; vel partialis et quoad aliqua vel aliquod ex illis muneribus. Prima est absoluta perfectio et quae non potest haberi sine eo quod perfecte habeatur ipse habitus secundum munus scholastici, moralis, mystici et aliorum. Secunda perfectio est relate ad aliqua vel aliquod munus speciale. Sicque qui sciolus est in theologia scholastica, potest esse eminentissimus in mystica. Cuius rei evidens signum est, quod non infrequenter videamus aliquos in theologia morali versatissimos, qui nullam laudem ob scholasticam aut positivam, quam habeant, mereantur. Similiterque non implicat casuista plures materias morales probe noscens, qui circa alios eiusdem suae facultatis tractatus caecutiat. Quorum omnium una est ratio: videlicet, quod entitas ipsa habitus est velut quid materiale et indifferens ut per hoc vel aliud munus formalisetur determineturque ; unde cum per munus mystici determinatur, perficitur ipse habitus; hoc est enim formalisari. At non potest suam, quam habet, perfectionem explicare, nisi in illa materia, ad quam munus, ipsum formalisans, spectat. Erga alias vero aegre procedit.

185. Aliter huic argumento occurrere potuimus, reducentes illam theologiae mysticae eminentiam in hominibus illis prorsus ignaris ad Deum ipsis infundentem mysticam theologiam ; et hac via nullas vires argumentum habet. Hanc tamen viam seligere noluimus, ut arctiorem sequeremur naturisque rerum non oppositam, quae, dum exstat, non debemus ad portenta confugere. Sic enim melius theologiae mysticae acquisitae natura cognoscitur, et non omnis contemplatio oppido pro infusa traditur.

186. Ad primam confirmationem ex numero 179 respondetur : habitum esse quidem facilitatem illamve praebere potentiae, ut haec delectabiliter procedat. Ut autem hac delectabilitate possit potentia gaudere, debet ex parte ipsius adesse dispositio, quae consistit vel in expulsione habitus praeexistentis novi habitus promptitudinem retardantis ; vel in usu ipsius habitus denuo acquisiti. Ex usu enim habet habitus vel exprimit praedominium in subiectum ; cumque

hoc praedominium habet, tunc et non prius, plene recipit potentia habitus activitatem et consequenter prompte ac delectabiliter procedit. Ad rem nostram: Ex parte acquirentis habitum theologicum supponimus non adesse habitum oppositum retardantem ; ast, ut prompte et delectabiliter eo instructus procedat, in illa ipsa materia, in qua procedit, usum habere debet ; quiaque habitu munia plurima ambienti uti possumus erga aliquod ex his muneribus, cum tamen circa aliqua vel nullum vel parvum usum habeamus ; propterea facilitatem erga illud munus et non circa alia experimur. Ex quo sequitur, quod iam supra observavimus, videlicet dari aliquos bonos casuistas, qui tardissimi sunt in scholastica theologia. Quod praecipue verificatur in nostra theologia mystica, quae non discursibus ac disputative procedit ; sed per experientiam, affectum et connaturalitatem ad res ipsas, quas theologia scholastica speculatur moralisque pro fine habet, mores ut efformet casusque conscientiae resolvat.

187. Dices: Nullis magis expressis coloribus repraesentari potest diversitas inter habitum mysticae theologiae ac scholasticae, ut considerans facile deprehendet. Ergo inter illos habitus datur diversitas specifica.

Respondetur : quod sicut dicta non arguunt diversitatem inter theologiam scholasticam et moralem, quarum unitas modo supponenda est ex D. Thoma citato; sic nec inter ipsas et mysticam. Et sane cum D. Thomas in illo articulo 3 (20) loquatur de sacra doctrina, sic inquirens : *Utrum sacra doctrina sit scientia ?* Quod quaesitum sic resolvit : *Respondeo dicendum sacram doctrinam unam scientiam esse.* Vel sub nomine sacrae doctrinae intelligit theologiam mysticam vel non? Si sic, habemus intentum. Si non, sequitur Angelicum Praeceptorem diminute processisse; cum nomine sacrae doctrinae non omnem sacram doctrinam comprehenderet, quod nefas foret de Angelica eius mente proferre. Maneat ergo doctrinam, prout etiam theologiam mysticam acquisitam comprehendit, esse unam scientiam.

188. Radicem huius doctrinae molestum nobis esset et forsan extraneum aperire ; cum sat sit eam vel leviter insinuare. Diffusa eius notitia petenda a metaphysica est. Verum in nostra *Logica* Complutensium, disp. 19, quaest. 4 et 5 (21), habes quidquid pro hac necessaria difficilique materia desiderari potest. Ibi enim habetur quod omne illud quod habitum theologicum adintegrat, est intra eandem abstractionem a materia naturali et potentialitate creata ; et insuper, quod omnia eius principia resolvuntur in idem principium, quod est divina revelatio, quae requiri ad unitatem specificam scientiae ibi eruditissime probatur. Unde quaecumque diversitas quae non aufert hanc in unum principium resolutionem, non potest refundere specificam distinctionem ; quiaque omnia quae considerat theologia mystica, sunt intra eandem abstractionem a materia et potentialitate cum theologia scholastica et insuper derivantur ex divina revelatione, in quam tandem resolvuntur ; propterea non sunt habitus specie diversi, licet illam munerum diversitatem habeant, quod idem exemplo aliarum partium eiusdem theologici habitus demonstratur.

Ad secundam confirmationem respondetur negando suppositum minoris. Omnis enim, qui theologiam mysticam exercet, scholasticam habet modo dicto, quod sufficit ut cognitio speculativa experimentalem praecedat.

189. Dices: Cognitio illa praecedens est valde imperfecta. Ergo non est actus eiusdem habitus cum cognitione experimentali, quae perfectissima est. Antecedens constat ex dictis; siquidem admisimus in aliquibus dari cognitionem scholasticam valde difficilem et mysticam sublimissimam, promptissimam et

(20) scil., Ia, quaest. 1.
(21) Ed. 1629. t. I, pp. 408b-423b. — COMPLUT. ABBREV., *Logica,* disp. 19, q. 4; ed. 1670, t. I, pp. 457b-469b.

delectabilissimam. Et consequentia probatur: quia habitus praestans potentiae facilitatem et promptitudinem circa nobilius et magis difficile, praestat etiam et potiori iure circa non adeo nobile et minus difficile. Ergo non stat quod cognitio mystica sit ab eodem habitu, a quo est cognitio scholastica. Antecedens videtur per se notum; et consequentia probatur: quia cognitio mystica est nobilior difficiliorque quam scholastica, ut constat ex dictis in *Isagoge,* praecipue lib. I, num. 10 et postea etiam probabimus. Ergo.

Respondetur negando consequentiam ; ad probationem distinguatur antecedens: si illud difficilius et minus difficile sint intra eandem lineam essentialem et munericam, concedo ; si sint intra diversam lineam munericam, nego antecedens. Diversitas illa munerum quae datur inter theologiam mysticam et scholasticam, sufficit ut possit idem habitus theologiae mystica faciliter attingere et non scholastica. Quod ex hactenus dictis patet.

90. Arguitur *secundo:* Sicut theologiae habitus cum delectatione attingit suum obiectum; sic etiam metaphysica et philosophia et aliae facultates attingunt obiecta sua, ut patet tum ex sè, tum ex verbis D. Thomae num. 169 et alibi (22) adductis. Sed per hoc quod metaphysica suum obiectum delectabiliter attingat, non datur metaphysica mystica. Ergo per hoc quod theologia scholastica in suo obiecto delectetur, non sequitur dari theologiam mysticam. Ergo theologia, quae datur, est alius habitus diversus a scholastica. Haec secunda consequentia constat ex prima, quae ex praemissis infertur.

Respondetur: theologiam sacram dupliciter in sui obiecti attingentia delectari. Primo delectatur, cum illud attingit ut cognoscibile et praeciso omni voluntatis influxu. Et huiuscemodi delectatio communis est metaphysicae et philosophiae et aliis habitibus et facultatibus. Secundo delectatur, cum ipsum suum obiectum ut amabile et a voluntate degustatum cognoscit. Et haec delectatio est propria mysticae theologiae, non illa prima, in qua cum aliis convenit. Unde licet detur mystica theologia, metaphysica mystica non datur. Vide quae diximus num. 176. Quod si illam delectabilitatem seu amabilitatem, quam in suo obiecto invenit metaphysica, voluntas degustet, posteaque illam ut a voluntate degustatam intellectus cognoscat ; tunc vel voluntas intellectusque illam bonitatem prout propriam illius creaturae attingunt et in ea delectantur ; vel ordinem creatum transcendentes in primam bonitatem, totius bonitatis fontem, illam bonitatem ut in ultimum finem referunt. Si primum evenit, non datur metaphysica mystica, sed diabolica; si evenit secundum, non datur metaphycica, sed theologia, cuius est Deum ut primam causam ultimumque finem respicere. Et ex hoc mens inflammatur ut hoc amabilissimum omnium centrum magis diligat. Et ex hoc Abbas Antiochus, *oratione* 128 (23), dixit: *Nihil ita cor hominis ad amorem Dei inflammat, sicut Theologia.*

191. Arguitur *tertio :* Theologia mystica acquisita est actus supernaturalis. Ergo habitus illam eliciens supernaturalis est. Ergo est alius a theologia scholastica. Prima consequentia sequitur ex antecedenti; secunda autem patet : quia theologia scholastica est habitus naturalis. Antecedens vero probatur: quia theologia mystica est participatio illius felicissimae scientiae, qua beati Deum intuentur ; et etiam infinitae Dei scientiae participatio est; ergo est actus supernaturalis.

Respondetur : hoc argumentum vires non habere in opinione eorum, qui theologiam scholasticam ponunt habitum supernaturalem, quam novissime pluribus defendit Magister Palanco (24). Nos

(22) scil. num. 160.

(23) *Pandectes scripturae divinitus inspiratae,* homilia 128· text. graec., Migne, P. G., t. 80, col. 1836.

(24) Tom. I, *Tractatus de Deo uno,* disp. I prooem., q. 6; pp. 34-45.

autem cum hoc praeclaro theologo sentire non possumus: quia oppositam opinionem de mente Angelici Praeceptoris iudicamus, ut non paucis ostendere possemus, si nostri muneris esset. Videantur nostri thomistae ad I part., quaest. 1, ubi communiter hoc ipsum docent. Quibus adde nostros Salmanticenses, qui licet hoc non disputent, tamen in *Arbore virtutum,* num. 29 (25) clare nostram opinionem probabiliorem esse dicunt his verbis : *Sequendo probabiliorem opinionem, quae theologiam nostram ponit habitum acquisitum.* Ubi nostram theologiam habitum acquisitum ponunt; quod apud ipsos Patres idem est ac esse habitum entitative naturalem; dixerant enim immediate ante (26): *An* (theologia nostra) *sit habitus supernaturalis, vel nostris actibus acquisitus, et alias similes quaestiones discussas reperies, etc...* Unde in Salmanticensium doctrina sustineri non potest intrinseca et entitativa supernaturalitas habitus theologici. Quare

Ad argumentum factum distinguo antecedens : *Supernaturalis* extrinsece et ex obiecto, concedo; intrinsece et entitative, nego antecedens. Et sub eadem distinctione primi consequentis negetur absolute secunda consequentia. Ad probationem antecedentis dicas: quod omnes dotes, quibus habitus theologicus fulget, illum non extrahunt a linea entitatis naturalis, ut adstruunt frequenter nostrates loco citato, ubi videri possunt Gonet (27), Bancel innumerique alii. Solum extrinsece et ex obiecto est ille habitus supernaturalis, et hanc supernaturalitem concedimus theologiae mysticae acquisitae, ut ex professo dicemus in secundo praedicabili.

192. Arguitur *quarto:* Habitus eliciens mysticam theologiam acquisitam contemplatur ut habitus idipsum, quod ut actus ipsa contemplatur. Sed habitus theologiae scholasticae nequit ut habitus contemplari id, quod ut actus contemplatur theologia mystica actualis acquisita. Ergo theologia mystica acquisita non est idem habitus cum theologia scholastica. Consequentia negari non debet. Maior est evidens; et minor probatur : quia theologia mystica acquisita terminatur ad ipsa principia formaliter revelata, ex quibus theologia scholastica deducit suas conclusiones. Sed habitus theologiae scholasticae nequit illa principia contemplari. Ergo. Consequentia est certa. Difficultas autem potest esse in praemissis, quarum maior probatur sic : Principia formaliter revelata sunt obiectum *quod* theologiae mysticae acquisitae. Ergo illa contemplatur. Antecedens constat ex tota quaestione 3, ubi Deum esse obiectum *quod* theologiae mysticae diximus; et consequentia nota est; quia obiectum suum scientia contemplatur.

Deinde probatur illa minor: quia theologiae habitus respicit ut obiectum veritates ex illis principiis deductas, non autem ipsa principia. Itidem theologiae habitus terminatur ad virtualiter et mediate revelata. Insuper quaevis scientia solum conclusiones attingit, non principia; sicut nullus principiorum habitus ad conclusiones descendit. Demum habitus theologiae et habitus fidei habent diversa obiecta. Sed obiectum fidei est omne formaliter a Deo revelatum. Ergo non est obiectum theologiae.

193. Ut hoc argumentum solvatur, observare debes: nihil difficultatis ex eo in theologiam mysticam derivari posse, quod aequaliter scholasticam non inquietet. Quia tamen ipsum theologiae scholasticae habitum dicimus esse principium theologiae nostrae mysticae, propterea nostri muneris iudicamus ea quae ad theologiam scholasticam spectant, non penitus excludere, sed aliqua dicere, Lectorem remittentes ad horum propriam sedem, ubi plena manu agitantur. *Insuper* meminisse te oportet theologiam sacram esse sapientiam, prout diximus a num. 161,

(25) Tom. VI, p. 432b.
(26) *ib.*
(27) *Clypeus theologiae thomisticae,* disp. prooem., art. 6; ed. Vivès, t. I, p. 60 sqq.

ibi enim dicta non solum theologiae mysticae, verum etiam scholasticae convenire, firmatum est communi theologorum calculo, qui ita sentiunt secuti Angelicum Praeceptorem, I p., quaest. 1, art. 6. *Ultimo* observa cum nostris Salmanticensibus, tract. XVII, in comment. ad art. 2 quaestionis 1 et disp. 1, dub. 1, num. 4 (28), obiectum habitus intellictivi dupliciter sumi posse, scilicet complexe et incomplexe. Incomplexe sumptum est idem ac subiectum; quod sic dicitur, quia subiicitur praedicatis seu passionibus per habitum scientificum deductis ex illo. Complexe acceptum est proprie diciturque obiectum, quod relate ad scientiam est conclusio illata seu veritates illae, quas ex primis principiis scientia deducit, quae dicuntur praedicata, quia revera de primis principiis praedicantur. Ex quo habes quod etiam respectu habitus intellectivi differt subiectum ab obiecto. Quamquam, quia obiectum dicitur quod potentiae vel habitui obiicitur attingendum, secundum usum communem theologorum subiectum obiectumque pro eodem communiter usurpantur, uti observavit Magister Gonet, disputatione prooemiali, art. 3 (29). Hic tamen communis usus liberat quidem a censura, si obiectum subiectumque pro eodem usurpentur ; sed minime facere potest, quod non distinguantur.

Ultimo notanda est communis doctrina, quam dabimus verbis modo citati Gonet, art. 6, num. 60 (30), ubi ait : *Notandum tertio principio theologiae (scilicet articulos fidei, ex quibus conclusiones theologicae deducuntur) duobus modis posse considerari: primo quatenus sunt in se absolute vera, et prout dicunt ordinem ad primam veritatem revelantem; secundo quatenus dicunt ordinem ad conclusiones, quae ex illis inferri possunt mediante discursu; et quatenus eas virtualiter continent, vel in illis virtualiter continentur. Primo modo talia principia sunt formaliter revelata, et pertinent ad habitum fidei; secundo modo spectant ad theologiam inferentem conclusiones ex illis principiis, vel conclusiones iam deductas in illa resolventem, nec sunt formaliter, sed virtualiter tantum revelata, aut revelantia ipsas conclusiones.* Ex quibus

Respondetur ad factum argumentum negando minorem; ad probationem dicas: theologiam scholasticam mysticamque dupliciter respicere prima principia, ex quibus theologia procedit. Primo quidem prout sunt in se absolute vera ; et prout sic sunt obiectum formale fidei. Secundo sumuntur prout dicunt ordinem ad conclusiones, quae ex illis inferuntur ; sicque ad theologiam spectant. Unde verum est : *primo,* quod theologia mystica attingit illa principia ; sed falsum, quod scholastica illa non attingat. Verum est *secundo,* theologiam respicere veritates illatas ut obiectum; sed falsum, quod ipsa principia non inspiciat ut subiectum, ex quo illas veritates deducit. *Tertio* verum est, theologiae habitum terminare ad virtualiter et mediate revelatum; sed falsum, quod illa principia prout dicunt ordinem ad conclusiones, non sint vitualiter revelata aut revelantia ipsas conclusiones. *Quarto* verum est, scientiam conclusiones ut obiectum attingere; sed falsum, quod solum ipsas conclusiones attingat; attingit etiam principia non ut obiecta, sed ut subiecta. *Quinto* verum est, quod theologia et fides habent diversa obiecta; sed falsum, quod ex a nobis dictis haec veritas infringatur. *Sexto* denique verum est, quod theologia mystica terminatur ad principia formaliter revelata, non prout formaliter revelata sunt, sed secundum dictos modos; sed falsum, quod ad ipsa principia eodem modo sumpta non terminetur theologia scholastica. Exindeque constat quod dum Deus seu illa dicta principia dicuntur theologiae obiectum, sermo est de obiecto incomplexe, quod idem est ac subiectum; non autem est sermo de obiecto complexe sumpto.

(28) Tract. XVII, in comment. Iae IIae, q. 1, art. 2; t. XI, pp. 95b-97a. — *ib.*, disp. 1, dub. 1, num. 4; t. XI, p. 6.

(29 §. 1, num. 21; ed. cit., t. I., p. 46.

(30) ed. cit., t. I, p. 60.

194. Ultra omnia dicta, cum theologia sacra sit vere ac proprie sapientia, elevatur ad illa etiam, quae sunt formaliter obiectum fidei. Hoc est enim sapientiae privilegium, videlicet, quod non solum deductas a se conclusiones cognoscat; sed etiam, quod supra seipsam elevata ipsum obiectum habitus principiorum attingat, illud explicando et ab impugnatoribus defendendo. Quod quidem adeo proprium est nostrae theologiae, quae perfectissima ac simpliciter sapientia est, uti diximus numero citato (31), ut dixerit Augustinus, XIV *De Trinitate,* cap. 1 (32), quod huic sacratissimae sapientiae tribuitur illud, *quo fides saluberrima quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, defenditur, roboratur.* Impossibile autem foret theologiam sacram gignere, nutrire, defendere ac roborare fidem, si fidei obiectum non consideraret et circa illud non se aliqualiter exerceret. Verum de his, quae de theologia scholastica docet Augustinus alibi sermo erit (33); sunt enim propriissima pro theologia mystica, maxime pro infusa. Quare hic nihil addimus; sed ut hoc sapientiae privilegium penitius percipiatur, consulendi omnino sunt nostri Complutenses (34) et ipsos adducentes Patres Salmanticenses, tract. XII, in annotationibus ad art. 2 quaestionis 57 (35), ubi haec egregie elucidant et nullam sapientiam superiorem simpliciter habitu suorum principiorum ostendunt.

195. Colligere tamen placet ex hactenus dictis quod omnibus illis modis, quibus theologia scholastica vidimus attingere divina cognoscendo, iisdem et mystica attingit degustando. Cuius doctrinae radicem dedimus numero 180. Videlicet, quod quilibet actus theologiae scholasticae, quantum est de se, est speculativus et practicus. Unde in quolibet actu theologiae debet curare theologus, ut ex ipso *inducatur ad maiorem Dei admirationem, simul et amorem* (36). Videantur dicta loco citato.

§. III. Proponitur quid tenendum sit circa theologiam mysticam infusam.

196. Sit secunda assertio: *Theologia mystica infusa est habitus diversus ab habitu theologiae scholasticae.* Hanc conclusionem de mente omnium mysticorum reor; quippe asserentes habitum mysticae theologiae esse virtutem fidei aut aliquod ex donis Spiritus Sancti; cum hoc verificari non possit de theologia mystica acquisita, ut hactenus visum est, restat ut de infusa verificetur; et hoc est primum motivum, quo nostram assertionem probamus. Hincque aperte colligitur solutio rationis dubitandi num. 166 positae.

197. Probatur ergo conclusio ratione eruta ex D. Thoma, II^{a} II^{ae}, quaest. 180, art. 3 (37) ; sicque proponitur : Habitus theologiae mysticae infusae est intrinsece supernaturalis. Ergo est diversus ab habitu theologiae scholasticae. Patet ista: quia, ut dictum est, habitus theologiae scholasticae est intrinsece naturalis. Et antecedens probatur: quia omnes definiunt theologiam mysticam infusam seu infusam contemplationem per hoc, quod sit *simplex intuitus divinae veritatis a principio supernaturali procedens,* quam definitionem desumunt ex D. Thoma, loco citato, de quo vide Vallgorneram, disp. 3, art. 1, num. 1 (38) et nostram *Isagogem,* lib. IV, num. 27. Sed supernaturalitas principii, a quo provenit theologia mystica infusa, est intrinseca; alias non differret a principio contemplationis acquisitae, quod extrinsece supernaturale

(31) scil. num. 161.
(32) Migne, P. L., t. 42, col. 1037.
(33) scil. infra, q. 11, num. 264.
(34) *Logica,* disp. 20, q. 3, num. 19 et 20; ed. 1629, t. I, p. 428.
(35) Tract. XII *De Virtutibus,* in annotat. ad Iam IIae, q. 57, art. 2, num. 3 sqq.; t. VI, p. 280a.
(36) BANCEL, l. c., cf. supra, num. 180.
(37) In antiquis editionibus erronee ponitur : « *art. 1* ».
(38) *Mystica theologia Divi Thomae,* q. 3, disp. 3, a. 1, num. 587; ed. 1911, t. I, p. 417.

est, ut vidimus num. 191. Ergo habitus qui est principium theologiae mysticae infusae, est intrinsece supernaturalis.

198. Confirmatur : Concors mystarum sensus ponit principium theologiae mysticae infusae fidem aut aliquod donum Spiritus Sancti. Sed haec principia sunt intrinsece supernaturalia. Ergo principium theologiae mysticae infusae intrinsece supernaturale est. Ergo et ipsa est intrinsece supernaturalis; consequenterque habitus eius alius omnino est ab habitu scholasticae theologiae.

199. Dices: Est probabilissima opinio, adhuc inter thomistas, theologiam scholasticam esse intrinsece supernaturalem. Ergo non procedit contra definitionem datam theologiae mysticae infusae, qui illam a theologia scholastica provenire dicit; vel, ad minus, non potest esse adeo certum, ut diximus, utramque hanc theologiam esse diversum habitum.

Respondetur primo: Ita esse quod opinio ponens theologiam scholasticam intrinsece supernaturalem probabilis est, adhuc inter thomistas; quod insinuant PP. Salmanticenses adducti num. 191, dum contrariam probabiliorem dicunt. Verum cum non possimus, nec debeamus nostra asserta cum aliorum opinionibus conformare; propterea etsi detur illa probabilis opinio, nocere nobis haud potest.

Respondetur secundo: quod adhuc in opinione concedente intrinsecam supernaturalitatem theologiae scholasticae non potest sustineri ipsam mysticamque esse eundem habitum. Et ratio est perspicua: quia illae voces *a principio supernaturali* positae in definitione contemplationis infusae signant principium infusum. Sed opinio ponens theologiam scholasticam intrinsece supernaturalem ponit ipsam habitum acquisitum, ut videre est apud Illust. Palanco (39). Ergo adhuc illa opinione admissa, non potest theologia mystica esse idem habitus cum scholastica. Consequentia nota est: quia idem habitus non potest esse acquisitus et infusus. Maior autem probatur *primo:* quia sic sentire omnes mystas iudicamus. *Secundo* probatur: quia actus infusus, qualis est de quo loquimur, nequit provenire a principio acquisito. Sed ponentes theologiam scholasticam intrinsece supernaturalem, ponunt eam esse habitum acquisitum. Ergo non potest esse principium contemplationis infusae. Cetera constant; et maior probatur a paritate: quia a principio naturali nequit egredi actus entitative supernaturalis. Ergo nec a principio acquisito potest egredi actus infusus. Certum de fide est antecedens, ex quo consequentia sequitur: quia sicut actus supernaturalis est supra totum ordinem naturalem, sic et actus infusus excedit sphaeram habitus acquisiti. Sed ob excessum quem dicit actus supernaturalis supra principium naturale, nequit ab hoc provenire. Ergo similiter propter excessum quem actus infusus habet supra principium acquisitum, non potest ille ab isto egredi.

Probatur *tertio* ipsa maior principalis: quia si principium actus non sit infusum, non est unde actus ipse infusus sit. Ergo definitio contemplationis infusae intelligi debet de principio infuso. Probatur antecedens: quia actus non potest esse infusus quia a Deo potentiae infundatur, sicut infunditur habitus; hoc est enim impossibile; quia cum actus hic vitalis sit, debet esse a potentia intrinsece se movente; dicitur autem actus infusus eo quod provenit a principio infuso. Ergo si ipsum ab infuso principio provenire negetur, non est unde infusus asseratur. *Quarto* probatur: totum esse actus provenit ab habitu, in quo praecontinetur ut in efficiente ipsum. Sed esse actus infusi nequit effici, nec praecontineri in habitu acquisito; est enim inferioris ordinis, eoque actum praecontinere non valet. Ergo. *Quinto* demum probatur: totum esse habitus est veluti a regulante et specificante ab actu, secundum id quod multoties dictum est, videlicet, quod potentiae et habitus specificantur ab acti-

(39) Tom. I. *Tract. De Deo uno,* disp. I prooemial., q. 6, conclus. 2; p. 40 sqq.

bus, actus vero ab obiectis. Sed habitus acquisitus nequit speciem sumere ab actu infuso. Ergo. Probatur minor: si namque ab actu infuso speciem haberet ille habitus, esset et non esset acquisitus. Hoc ex terminis implicat. Ergo. Maior quoad primam partem supponitur et quoad secundam probatur: quia non est habitus acquisitus, qui speciem sumit ab actu infuso; sicut non est actus naturalis, qui habet specificativum supernaturale. Ergo ex quo dictus habitus specificativum infusum habeat, nequit acquisitus esse. Pro fere omnibus dictis in hoc numero videantur quae diximus in *Isagoge,* lib. IV, num. 27 et 28.

200. Dices contra immediate dicta: Specificatum infusum habet specificativum acquisitum. Ergo pariformiter specificatum acquisitum poterit habere specificativum infusum. Consequentia videtur evidens; et antecedens probatur: quia virtutes theologales aliaeque virtutes infusae sunt infusa specificata; sed hae omnes virtutes specificantur ab ipsarum actibus, qui infusi non sunt. Ergo.

Ut huic obiectioni satisfiat, observa ex Angelico Praeceptore (40), quem omnes sequuntur, habitus infusionem esse duplicem. Prima est quoad substantiam et modum; secunda autem non quoad modum, sed praecise quoad substantiam. Tunc habitus infunditur quoad substantiam et modum, cum non solum entitas habitus non est in nostra electione, sed nec ipsius influxus in operationem; utrumque enim descendit specialissima indulgentia a Patre luminum. Cum quo tamen cohaeret operationis libertas, uti subtiliter docet Extaticus noster Doctor in *Flam.,* cant. I, v. 3 (41), ubi ait sermonem faciens de anima: *Su negocio es ya solo recebir de Dios, el qual solo puede en el fondo del alma, sin ayuda de los sentidos, hacer y mover á el alma y obrar en ella; y assi todos estos movimientos de la tal alma son divinos; y aunque son de Dios, tambien lo son della, porque los hace Dios en ella con ella, que da su voluntad, y consentimiento.* Est dicere: Eius pondus est iam solum in recipiendo a Deo, qui solus in centro animae sine adiutorio sensuum potest facere movereque animam, ac in ipsa operari; et sic omnes isti motus ipsius animae sunt divini; et quamvis sint Dei, etiam anima in ipsos influxum praestat, quia Deus operatur illos in ea cum ipsa, quae suam voluntatem et consensum tribuit (42). Ecce naturam infusionis quoad substantiam et modum egregie descriptam sine sacrae libertatis praeiudicio. In hoc ergo sublimi statu anima recipit a Deo et principium operationis, et motionem, ut operetur. Omnia recipit; atque adeo non potest in operationem exire quando et quomodo ipsa vult, sed solum cum ei misericorditer conceditur ; qua misericordia veluti frequenter gaudet, dum est in illo felicissimo statu, in quo dicere et clamare potest :

O llama de amor viva.
Que tiernamente hieres
De mi alma en el mas profundo centro !
Pues ya no eres esquiva,
Acaba ya, si quieres,
Rompe la tela de este dulce encuentro (43).

(40) Ia IIae, q. 51, a. 4.

(41) *Llama de amor viva,* canc. I, v. 3; ed. crit., t. II, p. 392: *Su negocio es ya sólo recibir de Dios, el cual sólo puede en el fondo del alma y en lo intimo, sin ayuda de los sentidos, hacer obra, y mover el alma en ella; Y asi todos los movimientos de la tal alma son divinos, y aunque son suyos de él, de ella lo son también, porque los hace Dios en ella con ella, que da su voluntad y consentimiento.* — *Primera Llama de amor viva,* Canc. I, v. 3; ed. crit., t. II, p. 625, post « *el fondo del alma* » omittit « *y en lo intimo* »; et post « *y mover el alma en ella* » addit « *en la obra* ».

(42) In I ed. legitur : « Iam eius negotiatio solum est accipere a Deo, qui tantum in animae fundo queit absque sensuum societate facere, et movere animam, in illamque agere; itaque hi omnes istius animae motus divini sunt: et quanvis a Deo efficiantur, sunt etiam ipsius animae; quia Deus cum illa in illa illos eformat (sic), ut suam voluntatem, et consensum tribuat ». — Similiter in Neapolit., ed., praeter: « ...absque sensuum societate operari... efformat, ac suam voluntatem, et consensum anima tribuit ».

(43) IOANNES A CRUCE, *Llama de amor viva,* canción I; ed. crít., t. II, pp. 386 y 621. — In ed. Neapol. additur:

« O'Fiamma d'Amor viva
Che si dolce ferisci !
Dell'alma mia nel più profonde centro:
Horche non sei più schiva
E già, che vuoi finisci
Rompi la tela di si dolce incontro ».

Haec autem fieri sine arbitrii laesione constat ex iis, quae paulo ante pro huius suae cantionis explanatione nobis dixit Theodidactus Parens.

Infusio quoad substantiam et non quoad modum tunc evenit, cum licet habitus sit infusus, eius tamen usus subiicitur arbitrio recipientis. Unde potest illo habitu uti semper ac vult. Et talis est infusio habitus fidei et similium virtutum, quarum entitas est sane infusa, ita tamen quod ipsarum usus arbitrii potestati subdatur; quamobrem videmus fide decorum assensus elicere quoties vult, quos autem, si non vult, non elicit, iuxta decantatissimum illud Augustini, tract. XXVI *in Ioan.* (44): *Intrare quisquis in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, sed credere non potest nisi volens.* Et ex his

Respondetur ad factam obiectionem distinguendo antecedens : *Specificatum infusum* quoad substantiam et non quoad modum concedatur; *Specificatum infusum* quoad substantiam et modum, negetur. Deinde negetur absolute consequentia et paritas. Discrimen consistit in eo quod habitus infusus habet unde valeat esse acquisitus, videlicet ex parte modi; actus vero habitus acquisiti non habet unde sit infusus; atque ideo ex quo habitus specificetur ab actu, ut modo supponimus, habet habitus infusus quo specificetur ab actu acquisito, ex quo ex parte modi non sit infusus; sed non habet habitus acquisitus quo specificetur ab actu infuso, quia implicat actum habitus acquisiti infusum aliquomodo esse. Ex quibus constat quod, etiamsi theologia scholastica concedatur entitative supernaturalis, non potest non esse habitus a theologia mystica infusa.

201. Quae adeo vera iudicamus ut, etiamsi scholasticae theologiae habitus nedum entitative supernaturalis foret, verum etiam infusus (nec desunt qui illum ad hoc fastigium elevent, uti asserit illustr. Palanco (45)), adhuc diversus esset ab habitu mysticae theologiae infusae. Cuius ratio ex dictis venanda est. Etenim licet habitus theologiae scholasticae esset infusus, ut sustinet ea opinio; esset tamen infusus quoad substantiam, non autem quoad modum ; siquidem theologia scholastica utimur, cum volumus; habitu autem theologiae mysticae infusae sic uti minime valemus; alias pro libito nostro haberemus contemplationem infusam, quod plus quam falsum esse, docet pluribus in locis Seraphica Doctrix Mater nostra D. Theresia (46), docet etiam Extaticus noster Doctor, docent quotquot bene sentiunt, et ipsa experientia docet. Unde non habet theologia scholastica locum in data definitione theologiae mysticae infusae; est enim illud principium supernaturale, quod ibi recensetur, omnino diversum ab ipsa, ut ex hucusque dictis notum est.

202. Sed rogabis: Si illa verba traditae definitionis « *a principio supernaturali* » non quodcumque supernaturale principium, sed infusum signat; cur non dicitur « *a principio infuso* »? Sic enim omni aequivocatione seclusa, debita claritate procederetur.

Respondetur primo : quod si hoc sciscitanti concederetur, videlicet, quod theologia mystica infusa diceretur *a principio infuso* provenire; addere posset non adhuc eius desiderium quietari, quin adderetur talem infusionem esse quoad substantiam et modum; et sic pro cuiusque placito definitiones cuderentur. Illa definitio optima est; explanatio eius ad doctores pertinet, a quibus recta definitionum intelligentia desumenda est, sine eo quod opus sit aliquid addere vel auferre sub praetextu maioris claritatis. *Secundo* respondetur: sufficientissime

(44) num. 2; Migne, P. L., t. 35, col. 1607: *intrare quisquam ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere Sacramentum potest nolens: credere non potest nisi volens.* — In antiquis editionibus erronee ponitur « *Tract. 36* ».

(45) Tom. I, *Tract. De Deo uno,* disp. I prooemial., q. 6, num. 1; p. 34.

(46) cf. *Vida,* cap. 12; ed. crít., t. I, pp. 87 sq; — *ib.,* cap. 37, t. I, p. 325; — *Relación IV* (al P. Rodrigo Alvarez, S. I., Sevilla, 1576); ed. crít., t. II, p. 29; — *Camino de perfección,* cap. 17; ed. crít., t. III, pp. 79 sq.

ostendi principium illud supernaturale esse infusum, ex quo actus infusi principium asseratur; non enim aliud principium praeter infusum potest elicere actum infusum, ut ex dictis patet. *Tertio* respondetur: quod apud omnes bene sentientes idem est principium esse supernaturale ac esse infusum; sicut et esse acquisitum idem est ac non esse supernaturale. Hoc patet ex nostris Salmanticensibus adductis num. 199 (47), patet etiam ex Magistro Ildephon. Mich. citato ab Illustr. Palanco (48), ubi supra; qui postquam retulit opinionem asserentem habitum supernaturalem dividi in acquisitum et infusum, ait: *Sed hoc est falsum a quocumque dicatur, eo enim ipso, quod aliquis habitus sit supernaturalis, fatendum est eum esse infusum.* Unde cum constet ex definitione theologiae mysticae infusae principium ipsius esse supernaturale, iisdem omnino verbis asseritur infusum.

203. Probatur secundo conclusio ratione desumpta ex D. Thoma (49) et ex nostro Doctore Extatico, pluribus in locis, quam sub hac forma proponimus: Etenim ubi datur nova difficultas ab anima seu potentia superanda, ponitur novus habitus quo difficultas illa superetur. Atqui in subiecto theologiae mysticae infusae, postquam attactum est a theologia mystica acquisita, remanet nova difficultas superanda ut possit attingi ab ipsa theologia mystica infusa. Ergo habitus per quem ista difficultas superatur, distinctus est ab habitu scholasticae theologiae. Consequentia bona est; et maior continet theologiam communissimam, cuius mentionem faciunt nostri Salmanticenses, tract. XII, disp. 1, dub. 1, num. 2 (50). Minor vero probatur primo: quia intelligere sine conversione ad phantasmata vel cum adeo tenui conversione ut pene non percipiatur, est summe arduum intellectui coniuncto. Sed intellectus theologiam infusam exercens non convertitur ad phantasmata vel adeo subtiliter illa speculatur ut sine ulla prorsus conversione ad ea intelligere iudicetur. Ergo. Minor, in qua poterat esse difficultas, est expressa D. Dionysii et D. Thomae, prout infra suo loco videbimus.

204. Probatur secundo illa minor: intelligere sine modo sibi proprio ac naturali est summe arduum intellectui. Sed in contemplatione infusa intellectus intelligit sine modo sibi proprio ac naturali. Ergo. Probatur minor: modus proprius ac naturalis quo intelligit intellectus, est sciens cognoscensque quae intelligit. Sed in contemplatione infusa intelligit intellectus non cognoscens, sed ignorans. Ergo. Probatur minor verbis nostri Extatici Doctoris, lib. II *Noctis*, cap. 17 (51), dicentis: *Llama secreta á esta contemplacion tenebrosa; por quanto, segun avemos tocado arriba, esta es la Theologia mystica, que llaman los Theologos sabiduria secreta: la qual dice Santo Thomás, que se comunica, é infunde en el alma mas particularmente por amor. Y esto acaece secretamente á escuras de la obra natural del entendimiento, y de las demás potencias. De donde por quanto las dichas potencias no lo alcanzan: sino que el Espiritu Santo la infunde en el alma, come dice la Esposa en los Cantares, sin entender ella como sea, se llama secreta. Y á la verdad no solo ella no la entiende, pero nadie, ni el mismo Demonio por quanto el Maestro, que la enseña esta dentro del alma substancialmente.* Hoc est: Hanc tenebrosam contemplationem dicit arcanam quia, ut dictum est, haec est illa theologia mystica, quam theologi appellant sapientiam occultam; quae, ut ait D. Thomas, infunditur animae specialius

(47) Et num. 191.

(48) Tom. I, *Tract. De Deo uno*, disp. I prooemial., q. 6, conclus. 2, num. 22; p. 40.

(49) Ia IIae, q. 51, a. 4.

(50) t. VI, pp. 197b-198a.

(51) *Noche oscura del espiritu*, canc. II, v. 2, §. 1 (cap. 17) ; ed. crít., t. II, pp. 105-106: « ...*é infunde en el alma por amor. Lo cual acaece secretamente á oscuras... sino que el Espiritu Santo la infunde y adorna en el alma, como dice la Esposa en los Cantares, sin ella saberlo ni entender cómo sea, se llama secreta. Y á la verdad no sólo ella no lo entiende, pero nadie, ni el mismo demonio. Por cuanto...* »

per amorem. Et hoc evenit occulte supra naturalem modum operandi intellectus et aliarum potentiarum. Unde dicitur occulta; quia dictas potentias latet; et Spiritus Sanctus illam infundit, ut ait Sponsa in Canticis. Et hercle non sola anima illam non intelligit, verum neque aliquis alius. Etiam ipsum daemonem fugit, quia qui hanc contemplationem infundit, est substantialiter intra animam (52). Et ne intelligeres hoc verificari de hac contemplatione dum animam purgat, non autem de illa prout animam suavissime recreat, finita iam purgationis caligine, addit (53): *Tambien despues en la iluminacion, quando mas á las claras se le communica esta sabiduria, le es al alma tan secreta para discernir, y ponerle nombre para decirlo, que demás que ninguna gana le da al alma de dezirla, no halla modo, ni manera, ni simil, que le quadre para poder significar inteligencia tan subida, y sentimiento espiritual tan delicado, é infuso.* [Postea etiam in illuminatione, dum haec sapientia clariori modo illi communicatur, est ipsi animae ad discernendum ita abscondita, ut nec eam valeat nominare, nec vult; nec modum aliquem invenit, nec similitudinem illam satiantem, ut significare queat intelligentiam tam excelsam sensationemque spiritualem tam infusam atque delicatam (54).]

205. Probatur tertio principalis illa minor et simul modo dicta roborantur: intelligere per intellectionem non simpliciter humanam, sed quodammodo divinam, est summe arduum intellectui nostro. Sic est infusa contemplatio. Ergo est summe ardua. Probatur minor ex nostro illuminato Doctore in *Flam.*, cant. II, v. 6 (55), ubi ait: *Todos los afectos de el alma, sus potencias y operaciones de suyo baxas, se buelven como divinas.* [Omnes animae affectus, potentiae et earum operationes ex se humiles, tamquam divinae vertuntur (56).] Et cantione praecedenti, v. 6 (57), dixerat animam in culmine perfectionis habere operationes divinas. Haec sunt eius verba: *Las dos primeras telas de necessidad se han de aver rompido para llegar á esta possession de Dios por union de amor, en que todas las cosas del mundo estan negadas, y renunciadas, y los apetitos, y afectos mortificados, y las operaciones del alma hechas divinas.* [Duae primae telae necessario rumpendae sunt priusquam in Dei possessionem deveniatur per amoris unionem, in qua omnia mundi abdicata atque negata sunt, appetitus ac affectus mortificati et animae operationes divinisatae (58).] Consonat cum Doctore Extatico Angelicus in III *Sent.*, dist. 34, quaest. 1, art. 1, in corpore (59), ubi locutus de actibus infusis, qualis est contemplatio de qua loquimur, ait: *Si autem ea, quae hominis sunt, supra humanum modum quis exequatur, erit operatio non humana simpliciter, sed quodammodo divina.* Ergo cum contemplatio infusa habeatur supra humanum modum, plane sequitur ipsam esse operationem non

(52) In I et Neapol. ed. legitur : « Contempiationem hanc prius nominat absconditam ; nam, ut supra diximus, haec est illa mystica Theologia, quae a Theologis nominatur Sapientia abscondita : quae, ut ait D. Thomas, magis peculiariter communicatur, et infunditur in anima per amorem. Hocque ita secrete accidit, ut intellectus, et aliarum potentiarum operationes naturales nil ob obscuritatem sentiant. Unde evenit praedictas potentias illud non penetrare; vocatur enim secreta, nam Spiritus Sanctus eam in anima infundit, ut in Canticis inquit Sponsa, quin illa intelligat quomodo sit. Hocque ita verum est, ut non solum illa, sed etiam nec ipse Daemon, nec creatura alia illud intelligat; quia Magister eam instruens est intrinsece, et substantialiter in ipsa ».

(53) IOANNES A CRUCE, l. c., p. 106:... *para decirle,... al alma de decirlo,... espiritual tan delicado.* (« *é infuso* » deest in ed. critica.)

(54) Sic in I et Neapol. ed.; in IV vero editione haec versio latina deest.

(55) *Llama de Amor viva,* canc. II, v. 6; ed. crit., t. II, pp. 426 y 643. cf. supra *Isagoge,* lib. III, num. 23, nota 33, p. 73.

(56) Sic in I ed.; similiter in Neapolitana, praeter: «... ex se viles, tanquam in Divinas vertuntur ». In IV vero ed. haec versio latina deest.

(57) *Primera Llama de Amor viva,* canc. I, v. 6; ed. crit., t. II, p. 631:... *Posesión de unión de Dios por amor,... negadas y denunciadas, y todos los apetitos y afectos naturales mortificados,... — Llama de amor viva...;* ed. crit., t. II, p. 404:... *posesión de unión de Dios, en que... estén negadas y renunciadas, y todos los apetitos y afectos naturales mortificados, y las operaciones del alma de naturales ya hechas divinas.*

(58) Sic in I et Neapol. ed.; deest vero in IV ed.

(59) Ed. Vivès, t. IX, p. 550b.

humanam simpliciter, sed quodammodo divinam; consequenterque est summe ardua intellectui, qui propterea, ut illam exerceat, habitum specialem, diversum a theologia scholastica, petit.

206. Confirmatur discursu desumpto ex utroque Sanctissimo Doctore sub hac forma proposito: Obiectum theologiae mysticae infusae dicit attingibilitatem formalem superiorem attingibilitate formali, quam dicit obiectum theologiae mysticae acquisitae. Ergo ad eius attingentiam non sufficit habitus theologiae scholasticae, sed alius superior habitus requiritur. Patet ista: ubi enim obiectum dicit illam attingibilitatem formalem diversam, non potest non requirere habitum formaliter distinctum. Quapropter licet intellectus et voluntas idem ens attingant, diversitas tamen rationis formalis *sub qua* utraque illa potentia illud attingit, petit diversas potentias. Similiter metaphysica eundem Deum habet pro obiecto ac sacra theologia; sed sub diversa ratione formali superiori est obiectum theologiae; eoque sunt habitus adeo diversi. Idem evenit intra eandem lineam naturalem et supernaturalem. Ex quo provenit diversitas virtutum acquisitarum inter se et etiam virtutum infusarum. Unde si ostendimus diversitatem illam, cuius meminit antecedens, habemus intentum; opinioque adversa herbam porriget. Igitur

Probatur antecedens: Obiectum theologiae mysticae infusae petit ad sui attingentiam virtutem procedentem ex motione formaliter superiori ad motionem, ex qua procedit virtus attingens obiectum theologiae mysticae acquisitae. Ergo obiectum theologiae mysticae infusae dicit attingibilitatem formaliter superiorem. Consequentia constat ex mutuo respectu, qui datur inter omnium obiectorum attingibilitatem et potentiarum seu habituum illa attingentium virtutem attactivam. Unde videmus quod obiectum, cuius attingibilitas est naturalis, petit habitum procedentem ex motione formaliter inferiori relate ad motionem, qua procedit habitus cuius obiectum dicit attingibilitatem supernaturalem. Antecedens autem probatur: Motio specialis Spiritus Sancti est formaliter superior ad quamcumque aliam motionem, qua procedere valet quaevis virtus. Atqui virtus qua attingitur obiectum theologiae mysticae infusae, procedit ex motione speciali Spiritus Sancti, quam motionem non habet virtus attingens obiectum theologiae mysticae acquisitae. Ergo obiectum theologiae mysticae infusae petit ad sui attingentiam virtutem procedentem ex motione formaliter superiori. Consequentia bona est; maiorque certissima, explicari tamen debet.

207. Itaque sciendum est ex D. Thoma, I^{a} II^{ae}, quaest. 68, art. 1: *Quod in homine est duplex principium movens, unum quidem interius, quod est ratio : aliud autem exterius, quod est Deus.* Quod exterius movens dupliciter movet hominem : primo secundum modum ipsius hominis, secundo supra modum hominis. Movens interius movet motione naturali ; movens primo modo movet motione supernaturali virtutis infusae ; et movens ipsum exterius secundo modo movet supernaturali motione donorum Spiritus Sancti. Prima motio est infima; secunda est media ; tertia autem suprema. Prima convenit cum secunda in modo, sed differunt in substantia. Differunt in substantia; quia una est naturalis et alia est supernaturalis. Conveniunt in modo; quia utraque movet hominem ad modum hominis. Secunda motio convenit cum tertia in substantia; quia utraque supernaturalis est; differt tamen in modo, quia secunda movet hominem ad modum hominis, tertia vero movet hominem supra omnem modum humanum, scilicet ex speciali instinctu ac motione Spiritus Sancti. Quae omnia constant ex D. Thoma praecitato et in III *Sent.*, dist. 34, quaest. 1, art. 1 (60), quibus adde quae idem D. Thomas docet, loco citato ex I^{a} II^{ae} (61), scilicet, *quod omne quod movetur ne-*

(60) Ed. Vivès, t. IX, pp. 548b-551a.

(61) q. 68, a. 1; ed. Leonina, t. VI p. 446a:...

cesse est proportionatum esse motori ; et haec est perfectio mobilis, in quantum est mobile, dispositio qua disponitur ad hoc, ut bene moveatur a suo motore. Quanto igitur movens est altior, tanto necesse est quod mobile perfectiori dispositione ei proportionetur: sicut videmus, quod perfectius oportet discipulum esse dispositum ad hoc quod altiorem doctrinam capiat a Doctore. Dispositio autem, qua disponitur mobile ut proportionetur motori naturali, sunt virtutes acquisitae ; dispositio, qua proportionatur motori supernaturali moventi hominem secundum modum hominis, sunt virtutes supernaturales ; dispositio autem, qua proportionatur moventi supra modum humanum, sunt dona Spiritus Sancti. Unde sicut motio requirens in mobili virtutes supernaturales perfectior est quam motio requirens virtutes acquisitas; sic motio praerequirens dona Spiritus Sancti perfectior absdubio est motione dona illa non praerequirente. Intellige: dona ut formaliter ex instinctu Spiritus Sancti procedentia, nam in omnibus gratiam habentibus dantur dona. Omnia hucusque dicta constant ex locis citatis Angelici Praeceptoris, quem sequuntur communiter theologi. Videantur nostri Salmanticenses in *Arbore virtutum,* num. 8 (62). Quibus declarata manet illa maior, ex ipsisque

208. Probatur minor *primo* ex nostro Extatico Doctore in *Flam.*, cant. II, v. 6 (63), ubi ait : *El entendimiento, que antes de esta union cortamente entendia, ya es movido, é informado de otro principio, y lumbre mas superior de Dios. Y la voluntad, que antes amaba tibiamente ahora ya se ha trocado en vida de amor divino, movida del Espiritu Santo, en que ya vive.* Id est: Intellectus, qui prius abiecte intelligebat, iam a superiori divino principio et lumine movetur ac informatur. Voluntas, quae prius tepide amabat, nunc a Spiritu Sancto, in quo iam vivit, mota, gaudet in divini amoris vitam commutata (64). Ecce in contemplatione hac sublimi seu mystica theologia infusa qui movet, est Spiritus Sanctus, cui ex parte mobilis correspondet lumen superius, illud cum hoc supremo motore proportionans fervidissimumque amorem causans; quod lumen est ipsius Spiritus Sancti donum.

209. Probatur *secundo* eadem minor : quia actio hominis non secundum modum hominis, sed supra illum est ex speciali instinctu Spiritus Sancti, ut patet ex dictis numero praecedenti. Theologia mystica infusa est actio hominis supra modum hominis, ut vidimus num. 204 et num. 205 (65). Ergo. *Tertio* probatur: Actio proveniens a donis Spiritus Sancti est ex speciali motione ipsius ; ad hoc enim dantur dona, scilicet ut homo sequatur prompte ductum Spiritus Sancti iuxta dicta numero praecedenti. Theologia mystica infusa provenit a donis Spiritus Sancti, ut omnes mystici docent, sicut initio quaestionis dicebamus. Ergo.

---

ad hoc quod bene moveatur a suo motore... a docente (ed. Piana et ed. 1478: « *a doctore* »).

(62) t. VI, p. 419.

(63) *Llama de amor viva,* canc. II, v. 6; ed crit., t. II, pp. 426-427: *Porque el entendimiento, que antes de esta unión entendia naturalmente con la fuerza y vigor de su lumbre natural por la vida de los sentidos corporales, es ya movido é informado de otro más alto principio de lumbre sobrenatural de Dios, dejados aparte los sentidos ; y asi se ha trocado en divino, porque por la unión su entendimiento y el de Dios todo es uno. Y la voluntad, que antes amaba baja y muertamente sólo con su afecto natural, ahora ya se ha trocado en vida de amor divino, porque ama altamente con afecto divino, movida por la fuerza y virtud del Espiritu Santo, en que ya vive vida de amor; porque por medio de esta unión ya la voluntad de él y la de ella sola es una voluntad.* —

Primera Llama de Amor viva, canc. II, v. 6; ed. crit., t II, p. 643: *Porque el entendimiento, que antes de esta unión naturalmente entendia con la fuerza y vigor de su lumbre natural, ya es movido é informado de otro principio de lumbre sobrenatural de Dios y se ha trocado en divino ; porque su entendimiento y el de Dios todo es uno. Y la voluntad, que antes amaba meurtamente, sólo con su afecto natural bajamente, ahora ya se ha trocado en vida de amor divino; porque ama altamente con afecto divino movida del Espiritu Santo, en que ya vive; porque la de él y la de ella solamente es una voluntad.*

(64) In I et Neapolit. ed. legitur: « Intellectus, qui ante hanc unionem parum intelligebat, iam ab alio principio, et praesuperiori Dei lumine motus, atque informatus est. Voluntas etiam, quae prius egelide diligebat, nunc a Spiritu Sancto, in quo iam vivit, mota, in vita Divini amoris versa est ».

(65) In antiquis editionibus erronee ponitur : « *num. 104 et 105* ».

Nihil horum habet theologia mystica acquisita; licet enim sit actio sublimissima, est iuxta regulas prudentiae et non ex speciali instinctu Spiritus Sancti, non provenit ab ipsius donis, nec alia habet, quae praerequirant alium habitum praeter theologicum, sicut theologia mystica infusa praerequirit.

§. IV. Quae hanc conclusionem impugnant, enervantur.

210. Arguitur *primo :* Theologia mystica infusa est theologia. Ergo est idem habitus cum theologia scholastica. Antecedens constat : tum quia theologia mystica infusa est sermo de Deo; tum etiam quia ipsum nomen hoc ostendit. Et consequentia probatur : quia si esset habitus diversus, daretur duplex habitus theologiae ; unus naturalis et acquisitus, alius vero supernaturalis et infusus. Sed nemo huius habitus theologiae supernaturalis mentionem facit. Ergo non datur talis habitus.

Respondetur concedendo sequelam et negando minorem. Hic enim habitus theologiae mysticae infusus vere datur, ut ex omnibus dictis constat. Huius etiam habitus mentionem faciunt quotquot dicunt theologiam mysticam habitualem esse donum sapientiae. De quo videre poteris nostrum *Mysticum Directorium* (66), et Philippum a Trinitate (67) ; et Angelicus Praeceptor eiusdem habitus theologiae supernaturalis meminit II^{a} II^{ae}, quaest. 45, art. 1, ad secundum (68), ubi ait: *Ad secundum dicendum, quod sapientia, quae ponitur donum Spiritus Sancti, differt ab ea, quae ponitur virtus intellectualis acquisita : nam illa acquiritur studio humano, haec autem est desursum descendens, ut dicitur Iacobi,* III (69). Unde cum sapientia *quae ponitur donum Spiritus Sancti,* sit theologia mystica infusa; et sapientia *quae ponitur virtus intellectualis acquisita,* sit theologia scholastica, non quia ipsa sola sit virtus intellectualis acquisita, sed quia ipsa una ex his virtutibus est earumque domina; plane sequitur D. Thomam utriusque theologiae naturalis et supernaturalis meminisse et distinctos habitus esse manifestasse.

211. Dices forsan cum Illustris. Palanco, disp. 1 prooemiali, quaest. 6. num. 30 (70), D. Thomam inibi non locutum fuisse specialiter de theologia scholastica, sed de sapientia quae ponitur virtus intellectualis acquisita, quam agnovit Philosophus. Ergo Angelicus Doctor nobis non favet.

Respondetur primo : hunc discursum huius doctissimi theologi non sine crimine esse. Quod ut evidenter noscas, efformo hoc enthymema: *D. Thomas non loquitur specialiter de nostra theologia. Ergo non loquitur de nostra theologia.* Sed quis non videat hanc consequentiam sic ex illo antecedenti deduci, sicut deducitur ista : *Petrus non currit velociter. Ergo non currit.* Vide nostras *Summulas* Complutensium, lib. III, cap. 5 (71). Dum dicimus : Verum est D. Thomam non loqui *specialiter* de theologia scholastica, sed de virtute intellectuali, quae est acquisita. Ast quia sub virtute intellectuali acquisita comprehenditur theologia scholastica, quod minime audebit negare gravissimus hic theologus ; propterea dicimus quod de omni illo habitu, cui convenit ratio virtutis intellectualis acquisitae, verba Angelici Doctoris intelligenda sunt. Quod autem Philosophus nostram scholasticam theologiam non agnoverit, flocci fiat; quia D. Thomas bene agnovit theologiam scholasticam. Unde cum utitur nominibus propriissime theologiae scholasticae conve-

(66) ANTONIUS A SPIRITU S., C. D., *Directorium mysticum,* tract. I, disp. 1, §. 1, num. 2; ed. 1904, p. 3.

(67) *Summa theologiae mysticae,* discurs. prooemial., art. 1; ed. 1874, t. I, p. 20.

(68) Ed. Leonina, t. VIII, p. 340a: *Ad secundum dicendum quod sapientia quae ponitur donum* (ed. Piana et ed. 1467 addunt *Spiritus Sancti*) *differt....*

(69) v. 15.

(70) Ed. cit., t. I, p. 42.

(71) i. e. COMPLUTENSES ABBREV., ed. 1670, t. I, p. 33a. — COMPLUTENSES, *Summulae,* lib. II, cap. 5; ed. 1629, p. 23b.

nientibus, de ipsa loqui ambigendum non est ; quamquam qui prius illis nominibus usus est, de theologia scholastica non loqueretur, illius, ut supponitur, ignarus.

Auctor ipse, quem impugnamus, eadem disp., quaest. 3, num. 3 (72), probat theologiam scholasticam esse scientiam, adducens definitionem Aristotelis, I *Post,* cap. 2 (73), et numero sequenti (74) idem assertum suadet ex eodem Philosopho, VI *Ethic.,* cap. 4 (75) dividente virtutes intellectuales in habitum principiorum, sapientiam, scientiam, prudentiam et artem. Unde cum theologia non sit ars, prudentia aut habitus principiorum, relinquitur quod sit sapientia et scientia. Sic praefatus auctor cum communi theologorum. Rogo nunc : Aristoteles in illis suis definitione et divisione comprehendit theologiam scholasticam vel non ? Si comprehendit, teipsum condemnas ; quia D. Thomas loco a te citato a Philosopho mutuat quae docet. Cur ergo asseris ibi sermonem non esse de scholastica theologia ? Si non comprehendit, cur illius definitione ac divisione uteris, ut scholasticam theologiam scientiam esse comprobes ? Eodem enim motivo dicemus et nos dicimusque esse virtutem intellectualem acquisitam, quae sapientia dicitur estque habitus diversus a dono sapientiae. Itaque aliud est an theologia scholastica comprehendatur in definitione Aristotelis ex intentione ipsius Aristotelis ; aliud vero an comprehendatur ex intentione, ut sic dicamus, ipsius definitionis ? Ad primum enim permittimus theologiam scholasticam sub illa definitione non comprehendi, quia talem facultatem penitus ignoravit. Nec hoc prorsus negamus, sed *permittimus :* quia negari non debet esse aliquomodo de intentione tradentis aliquam definitionem comprehendere id omne, cui convenire potest, licet illud non cognoscat ; qui enim *hominem* per *animal rationale* definivit, utique definivit Petrum nunc existentem, quem certe ignoravit ; et qui *animal* per *vivens sensibile* definivit, speciem utique, quam nunc Deus creare potest, sub illo genere definivit. Similiter in nostro casu, quorum omnium eadem ratio est, ut intuens deprehendet. His tamen, etsi verissima sint, non indigemus ; quia sat est, theologiam sacram sub expresso scientiae comprehendi sub illa definitione ex intentione ipsius definitionis, ut possit quis illa definitione uti, ut theologiam scientiam esse probet. Quod idem fieri valet cum dicta Aristotelica divisione.

212. Quod si theologus hic adhuc velit D. Thomam non de theologia loco citato locutum, quia illam proprio suo nomine haud nominat, adeat Sanctum Doctorem, I part., quaest. 1, art. 6 et suam hanc contra Magistrum Gonet (76) impugnationem oppositam Praeceptori Angelico non negabit. In illo articulo quaerit D. Thomas, utrum theologia sit sapientia ? Et contra suam affirmativam conclusionem est argumentum tertium sic procedens: *Haec doctrina per studium acquiritur. Sapientia autem per infusionem habetur: unde inter septem dona Spiritus Sancti connumeratur, ut patet Isai.* 2 (77). *Ergo haec doctrina non est sapientia.* Ad hoc argumentum respondet D. Thomas sic : *Ad tertium dicendum, quod cum iudicium ad sapientem pertineat, secundum duplicem modum iudicandi dupliciter sapientia accipitur. Contingit enim aliquem iudicare uno modo per modum inclinationis, sicut qui habet habitum virtutis, recte iudicat de his, quae sunt secundum virtutem agenda, in quantum ad illa inclinatur. Unde in X Ethic. dicitur, quod virtuosus est mensura, et regula actuum humanorum. Alio modo per modum cognitionis, sicut aliquis instructus in scientia morali posset iudicare de actibus virtutis, etiamsi virtutem non haberet. Primus enim* (78) *modus iudicandi de*

(72) i. e. PALANCO; ed. cit., t. I, p. 12.
(73) num. 1 ; ed. Didot, t. I, p. 122; Bekk., 71b. 9.
(74) Ed. cit., t. I, p. 12.
(75) VI *Ethic.,* cap. 3, num. 1; ed. Didot, t. II, p. 67, Bekk., 1139b. 16-17.
(76) *Clypeus Theologiae thomisticae,* disp. prooemial., art. 7; ed. Vivès, t. I, pp. 65-68.
(77) *Isaiae,* c. XI, v. 2.
(78) Ed. Leonina, t. IV, p. 18b: *Primus igitur modus...*

rebus divinis pertinet ad sapientiam, quae ponitur donum Spiritus Sancti... Secundus autem modus iudicandi pertinet ad hanc doctrinam, secundum quod per studium habetur, licet eius principia ex revelatione habeantur. Habemus ergo D. Thomam de theologia scholastica loquentem eamque dicentem esse diversum habitum a dono sapientiae seu mystica theologia infusa; unde duos habitus theologiae sacrae fatetur, unum naturalem et alium supernaturalem. Horum etiam habituum mentionem faciunt PP. Salmanticenses in *Arbore virtutum,* num. 29 (79). Idem facit Bancel, tom. 1, quaest. 2, art. 9 (80), ubi in responsione ad ultimum argumentum concedit duplicem illam theologiam additque: *Sed quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, dico, quod illa theologia supernaturalis non distinguitur ab illis Spiritus Sancti donis, quae dicuntur donum sapientiae, et donum scientiae, et ab illis gratiis gratis datis, quae ab Apostolo vocantur sermo sapientiae, et sermo scientiae.*

213. Arguitur *secundo :* Virtus heroica non est diversus habitus a virtute communiter dicta. Ergo habitus theologiae mysticae infusae non est alius ab habitu theologiae mysticae acquisitae. Antecedens est omnino certum ; et consequentia probatur: Eo enim virtus heroica non est habitus distinctus a virtute communiter dicta, quia utraque versatur circa eandem materiam et solum differunt penes maiorem perfectionem et intentionem virtutis heroicae. Sed theologia mystica infusa versatur circa eandem materiam ac theologia mystica acquisita et solum differunt penes maiorem perfectionem et intentionem theologiae mysticae infusae. Ergo non sunt duo habitus.

214. Confirmatur haec ratio : quia contemplatio infusa est *supra humanum modum et non humana simpliciter, sed quodammodo divina,* ut vidimus ex D. Thoma num. 205, intulimus talem actionem provenire a distincto habitu ac contemplatio acquisita. At haec ratio est nulla. Ergo. Probatur minor: virtus heroica, ut modo vidimus, est idem habitus cum virtute communiter dicta. Atqui actus virtutis heroicae est supra humanum modum et quodammodo divinus. Ergo. Probatur minor ex integra relatione textus D. Thomae, quem numero citato adduximus; ait enim Doctor Angelicus: *Si autem ea, quae hominis sunt, supra humanum modum quis exequatur, erit operatio non humana simpliciter, sed quodammodo divina.* Hactenus dicto loco retulimus; sed addit D. Thomas: *Unde Philosophus in VII Ethic.* (81), *contra virtutem simpliciter dividit virtutem heroicam, quam divinam dicit, eo quod per excellentiam virtutis homo fit quasi Deus.* Ergo opus virtutis heroicae est quodammodo divinum utpote proveniens a virtute divina, per cuius ornatum *homo fit quasi Deus.*

Respondetur argumento *primo* negando consequentiam ; ad probationem distingo maiorem: *circa eandem materiam,* quam ex eadem motione attingunt, concedo; quam attingunt ex diversa motione, nego maiorem. Et sub eadem distinctione minoris negetur absolute consequentia. Itaque diversitas motionis diversum habitum petere ex dictis constat; unde licet virtus heroica tantum in sua perfectione distet a virtute communiter dicta, hic excessus est materialis, eoque non inducit habituum differentiam; quam quidem inducit excessus theologiae mysticae infusae supra acquisitam, eo quod talis excessus est formalis. Quod autem excessus sit formalis vel materialis, mensuratur per diversitatem vel unitatem motionis. Tunc enim excessus est materialis, cum motio est formaliter eadem; tunc autem excessus est formalis, cum motio est formaliter diversa. Pro quibus aliisque pluribus audi nostros Salmanticenses in *Arbore virtutum,* num.

(79) t. VI, p. 432.
(80) *Brevis universae theologiae tam moralis quam scholasticae cursus...* Avenione. 1684, t. I, p. 88.

(81) cap. 1, num. 1 et 2: ed. Didot, t. II, p. 76; Bekk., 1145a, 15 sqq.

8 (82), ubi dona Spiritus Sancti, quorum actus est contemplatio infusa, dividunt a virtutibus theologalibus et moralibus heroicis et non heroicis. Postquam autem distincta ab omnibus illis virtutibus ostendunt, illa sic definiunt : *Habitus supernaturales, quibus homo disponitur, ut sit prompte mobilis a Spiritu Sancto.* Et addunt: *Unde Isaiae 10. vocantur « Spiritus », quia non ex industria, et modo humano adhuc per gratiam, sed ex peculiari motione et instinctu Spiritus Sancti speciali modo dirigentis, et regulantis movetur mens per illa: atque adeo diversa motio non effectiva* (82) *tantum, sed directiva, et regulativa discernit dona a virtutibus moralibus, in quarum proinde diffinitionibus, ne donis conveniant, subintelligendum est, secundum regulas prudentiae et rationis.* Haec et alia pro praesenti materia utilissima doctissimi illi theologi. Ex quibus habetur quid requiratur ut motio sit diversa formaliter. Tunc enim est diversa formaliter, cum non solum concurrit efficienter, sed etiam per modum dirigentis ac regulantis actionem ; sic enim tribuit speciem actioni et haec habitui. Si autem motio sit diversa solummodo per modum efficientis, quantumvis superior sit, actio utique eminentissima erit, lineas tamen industriae humanae ac prudentiae non transcendit; quod evenit in actionibus virtutum heroicarum et in actibus etiam virtutum theologalium; quae absdubio diversae sunt et superiores aliis; haec tamen superioritas et diversitas est materialis propter dicta praecipue numero 207.

Respondetur *secundo* ad praesens argumentum: quod virtus heroica et virtus communiter dicta sunt intra eandem lineam virtutis supernaturalis ; unde solum est differentia in maiori perfectione virtutis heroicae intra illam lineam, quae habitus diversitatem non petit. Theologia autem mystica acquisita et infusa non sunt intra eandem lineam virtutis supernaturalis, quia acquisita est entitative naturalis, ut patet ex dictis §. 2.

Ad confirmationem respondetur : actum virtutis heroicae esse quodammodo divinum divinitate, quam potuit Aristoteles cognoscere; quae certe naturalis est consistitque in excellentia illa, quam virtus illam in eo heroico gradu habenti confert supra ceteros vel illa carentes, vel non cum illo excessu illam habentes. Non autem divinitate seu excellentia, qua fulgent qui Spiritu Dei acti, ductum Spiritus Sancti non ex propria industria, sed ex speciali eius motione instinctuque sequuntur. Vel dicas: divinitatem seu excellentiam illam virtutis heroicae esse talem relate ad virtutem communiter dictam, non autem absolute ; hoc enim solum convenit ex speciali Spiritus Sancti motione supra modum et industriam humanam operantibus, supra quem procedendi modum alius superior non datur. Unde huiusmodi operatio dicitur propriissime *non humana simpliciter, sed quodammodo divina* (83).

215. Dicis : Ex divinitate seu excellentia, quam Aristoteles agnovit in virtute heroica, probat D. Thomas divinitatem seu excellentiam virtutis infusae procedentis supra humanum modum, ut videre est in allata auctoritate (84). Ergo excellentia virtutis heroicae absoluta est.

Respondetur : D. Thomam ex excellentia, quae menti Philosophi fidei lumine nudae superior absolute est, probare excellentiam, quae fidei nobilitate venustis superior absolute est. Non agnovit Aristoteles excellentiam superiorem illa, quam virtus heroica conferebat ; atque adeo eius operationes divinas nominavit. His ergo assimilat D. Thomas operationes ex motione speciali Spiritus Sancti procedentes, non quia in re detur illa similitudo, sed quia datur iuxta Philosophi caecam existimationem, sicut enim ille virtutem heroicam omnium supremam absolute ratus est, sic

(82) Ed. cit., t. VI, p. 419, ubi legitur « *affectiva* » pro « *effectiva* ».

(83) S. THOMAS, l. c., (cf. supra, num. 205.)

(84) cf. supra, num. 214.

D. Angelicus actionem ex motione illa speciali absolute supra omnes alias actiones collocavit. Et observa quod Aristoteles licet virtutem heroicam divinam dixit, illam tamen supra modum et industriam humanam procedere non asseruit; quia hic modus procedendi ipsi infideli omnino incognitus fuit. Habitum autem procedentem (85) supra omnem modum humanamque industriam solum fidei alumnus cognoscere potest; ipseque ex parte modi procedendi supra omnes est.

Diximus: *Ex parte modi procedendi:* quia talis habitus non est perfectior nec aeque perfectus cum virtutibus theologicis; ast quia harum virtutum usus subest eas possidentis arbitrio, ut diximus numero 200 cum D. Thoma in III *Sent.*, quaest. 1, art. 1 (86), ubi in corpore ait: *Dona a virtutibus distinguuntur in hoc, quod virtutes perficiunt ad actus modo humano, sed dona ultra humanum modum; quod patet in fide et intellectu;* propterea ex parte modi procedendi perfectior est habitus ex speciali instinctu Spiritus Sancti procedens, quod inibi asseruit Sanctus Doctor in responsione ad primum (87), ubi docet quod dona *sunt supra virtutes, in quantum ultra humanum modum perficiunt.* De his tamen suo loco sermo redibit.

QUAESTIO NONA

Utrum theologia mystica sit essentialiter obscura?

Idem est theologiam mysticam esse essentialiter obscuram ac esse ita propriam huius status, ut nullatenus possit in patria permanere; quippe quod essentialiter obscurum est, vel est ipsa fides, vel dicit nexum indissolubilem cum illa; unde in conspectu lucis evanescit.

§. 1. Veritas tenenda statuitur.

216. Sit nostra conclusio: *Theologia mystica non est essentialiter obscura; atque adeo manet in patria.* Sic ex Angelico Praeceptore docent communiter thomistae disputantes de obscuritate theologiae scholasticae, quae eadem controversia est ac nostra. Quae sic probatur ratione ex D. Thoma referendo desumpta. Theologia mystica sive sumatur pro habitu, sive pro actu, manet in patria. Ergo non est per se obscura. Consequentia constat ex dictis in limine quaestionis, et antecedens pro prima parte probatur: quia theologia mystica sumpta pro habitu vel est habitus theologiae scholasticae, vel aliquod donum Spiritus Sancti, ut patet ex dictis quaestione praecedenti. Sed theologiae scholasticae habitus et dona Spiritus Sancti manent in patria. Ergo theologia mystica habitualis in patria manet. Cetera constant; et minor pro utraque parte est D. Thomae; prima quidem, I part., quaest. 1, art. 2, ubi ait: *Sacra doctrina est scientia: quia procedit a principiis notis lumine superioris scientiae, quae* (1) *est scientia Dei et beatorum.* Ex qua auctoritate innumerisque aliis eiusdem Sanctissimi Praeceptoris deducunt iam fere omnes thomistae theologiam scholasticam in patria permanere. Ex quo enim sacra doctrina procedat ex principiis cognitis lumine scientiae Dei ac beatorum, sequitur quod petat continuari cum illis; atque adeo quod illis advenientibus non dispareat. Similiter, ex quo procedat ex illis principiis, habetur quod dependentia eius a fide non sit per

(85) « *Habitus autem procedens* » in antiquis editionibus.

(86) III *Sent.*, dist. 34, q. 1, a. 1; ed. Vivès, t. IX, p. 550b.

(87) *ib.*

(1) Ed. Leonina, t. IV, p. 9: *Sacra doctrina est scientia: quia* (Cod. Ottob. 206, « *quae* ») *procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae, quae scilicet est scientia Dei et beatorum.* — In IV ed. *Cursus theol. Myst. scholast.* legitur « *quae procedit* »; in I et Neapol. vero ed. « *quia procedit* ».

se, sed per accidens et in supplementum illarum scientiarum superiorum, quibus advenientibus, fides abit, sed theologia perficitur. Et haec delibasse sufficiat pro utcumque firmanda veritate illius minoris quoad primam partem. Quoad secundam etiam constat ex ipso Doctore Angelico, I^{a} II^{ae}, quaest. 68, art. 6, ubi dona Spiritus Sancti permanere pro conclusione statuit. Per quae probata manet prima pars principalis antecedentis, et ex ipsa probatur secunda pars, videlicet, quod theologia mystica sumpta pro actu manet in patria.

Probatur ergo sic : permanente principio elicitivo mysticae theologiae actualis, non est unde ipsius theologiae mysticae actualis implicet permanentia. Ergo si in patria permanent principia elicitiva mysticae theologiae actualis, pariter et ipsa permanet. Antecedens, in quo poterat esse difficultas, nullam continet; quia si clara Dei visio non excludit theologiam mysticam habitualem, pariter nec actualem excludet. Et aliunde vanum omnino foret habitum theologiae mysticae ponere in beatis, si actus proprios habere non possunt.

217. Dices: habitus illos manere ad ornatum, non autem ut actus habeant. Ergo assignabile est motivum pro permanentia habitus, non permanentibus actibus.

Respondetur praenotando habitum quoad praesens esse in triplici differentia. Datur enim habitus cuius ratio formalis specificativa dicit formalem oppositionem cum ratione formali obiectiva, quae est in obiecto beatitudinis, cuiusmodi sunt fides et spes; fides enim ex sua ratione formali tendit in non visum, sicut spes in non possessum, quae rationes prorsus pugnant cum possessione et clara obiecti visione. Et tales habitus nullatenus dantur in patria, nec quoad actum, qui rotunde implicat cum actu beatitudinis; nec ipsi habitus, propter repugnantiam cum habitu beatitudinis. Datur etiam habitus cuius ratio formalis oppositionem cum beatitudine non dicit, requirit tamen eius exercitium materiam cum beatitudinis felicitate incompossibilem, ut patet in temperantia et aliis, qui versantur circa passiones, et isti habitus manent in patria ; quia non est ibi aliquod principium cum ipsis pugnans et excludens ; non tamen manent ipsorum actus propter defectum materiae circa quam. Nec dicas tales habitus ibi superfluos esse, quia actus non eliciunt; habitus enim et datur pro actus elicientia, et datur ad ornatum; unde isti habitus, licet in patria actus non eliciant, habentem tamen ornant. Ultimo datur habitus cuius nec formalis ratio, nec exercitium pugnant cum obiecto beatitudinis, ut sunt caritas, religio et alii ; et isti remanent in patria non ad ornatum solum, sed etiam ad exercitium. Ex quibus ad obiectionem factam dicimus: exercitium mysticae theologiae minime implicare cum suprema felicitate beatitudinis; unde non est motivum, ut ibi non detur. Et sane, qui negant nostram mysticam theologiam manere in patria, non negant in illa superna felicitate dari mysticam theologiam, sed negant quod haec nostra permaneat; licet aliam ab hac diversam concedant ; quare adhuc ex mente ipsorum convincitur non adesse repugnantiam inter theologiam mysticam sive habitualem, sive actualem et beatitudinem; sed inter beatitudinem et hanc nostram mysticam theologiam ; quam repugnantiam radicant in dependentia nostrae theologiae a fide; atque adeo, pereunte fide, nostram etiam theologiam perire necesse est.

Ceterum cum iam ostenderimus quod illa dependentia, quam a fide dicit nostra theologia, non obest quominus, fide pereunte, non pereat ipse habitus theologiae sive acquisitae, qualis est habitus theologiae scholasticae, sive infusae, quale est donum sapientiae aut aliud ex Spiritus Sancti donis; indidem habetur huius mysticae theologiae habitualis actum neutiquam repugnare cum beatitudine. Nec inveni inter adversarios aliquem, qui habitus istos solummodo ad ornatum dari asseveret ; unde vel fassuri sunt se contra D. Thomam procedere, vel debent nobiscum sentire.

218. Instabis: Habitus, cui deest materia in beatitudine circa quam exerceatur, non est in patria nisi ad ornatum. Sed in patria non habet habitus theologiae mysticae materiam circa quam exerceatur. Ergo vel in patria non datur iste habitus, vel solum ad ornatum datur. Probatur minor ex D. Gregorio, II *Moralium* (2), dicente quod Spiritus Sanctus mentem erudit suis donis contra singula tentamenta. Sed in patria nulla tentamenta dantur. Ergo dona Spiritus Sancti, quae sunt habitus theologiae mysticae, si dantur in patria, solum ad ornatum dantur.

Respondetur ex D. Thoma praecitato (3), ubi ait: *Ad primum ergo dicendum quod Gregorius loquitur ibi de donis secundum quod competunt statui praesenti: sic enim donis protegimur contra tentamenta malorum. Sed in statu gloriae, cessantibus malis, per dona Spiritus Sancti perficiemur in bono.* Hactenus D. Thomas, qui suam resolutionem sic statuit (4): *Respondeo dicendum, quod de donis dupliciter possumus loqui: uno modo quantum ad essentiam donorum, et sic perfectissime erunt in patria, sicut patet per auctoritatem Ambrosii inductam* (videlicet in argumento *sed contra*) (5). *Cuius ratio est, quia dona Spiritus Sancti perficiunt mentem humanam ad sequendam motionem Spiritus Sancti, quod praecipue erit in patria, quando Deus erit omnia in omnibus, ut dicitur I ad Corinth. XV* (6), *et quando homo erit totaliter subditus Deo. Alio modo possunt considerari quantum ad materiam circa quam operantur: et sic in praesenti habent operationem circa aliquam materiam, circa quam non habebunt operationem in statu gloriae; et secundum hoc non manebunt in patria, sicut supra de virtutibus cardinalibus dictum est.* Est autem evidens quod materia circa quam operatur habitus theologiae mysticae (qui, ut saepissime dictum est, est aliquod ex istis donis) nullam repugnantiam dicit cum felicissimo beatitudinis statu. Ergo talis habitus datur ibi et non solum ad ornatum, sed etiam ad exercitium.

Quae non solum intelligenda sunt de habitu theologiae mysticae infusae, sed etiam de habitu theologiae mysticae acquisitae; quia etiam iste habitus habet materiam nullatenus cum beatitudine repugnantem, ut ex infra dicendis amplius constabit.

219. Probatur secundo conclusio ratione fundamentali : quia theologia mystica nihil dicit in suo essentiali conceptu, quod pugnet cum eius permanentia in patria. Ergo ex suo conceptu essentiali non est obscura. Probatur antecedens: conceptus essentialis theologiae mysticae exprimitur in eius definitione. Sed in definitione mysticae theologiae nihil est, quod indicet repugnantiam ipsius cum beatitudine. Ergo. Cetera constant; et minor probatur ex dictis in nostra *Isagoge,* lib. I, a num. 19, ubi varias mysticae theologiae definitiones attulimus. Ex quibus omnibus, methodum inceptam sequentes, hanc confecimus (7) : *Est oratio superignoti manifestativa per fruitivum ac suavissimum amorem ipsius intime possessi.* In qua definitione nec verbum est, quod talem repugnantiam indicet, ut, si excursum facimus per singulas eius particulas, inveniemus. Itaque per hoc quod theologia mystica sit *Oratio superignoti manifestativa,* nihil adest, cui repugnet patriae status, siquidem per hoc quod Deus clare videatur, non excluditur, immo asseritur cognitio manifestativa illius supremi entis, quod tunc per illam orationem seu contemplationem manifestatur. Ast quia verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem ; propterea per aptitudinem quam dicit, definitur. Eo vel maxime, quia tradita definitio datur de contemplatione, prout ambit viae statum et patriae felicitatem ; et prout sic est

(2) cap. 49 (Rec. 27, Vet. 36) num. 77; Migne, P. L., t. 75, col. 592.
(3) Ia IIae, q. 68, art. 6, ad 1.
(4) Ia IIae, q. 68, art. 6.
(5) *De Spiritu Sancto,* lib. I, cap. 16, num. 158; Migne, P. L., t. 16, col. 740.
(6) v. 28.
(7) *ib.,* num. 21; cf. supra, p. 22.

manifestativa Dei vel quantum mortalitati conceditur in hoc saeculo, vel intuitive in futuro.

Aliae particulae, nempe *per fruitivum ac suavissimum amorem ipsius intime possessi,* non solum non pugnant cum clara Dei visione, quin potius ibi suum perfectum complementum habent. In patria enim est ubi proprie Deo anima fruitur ac suavissime amplexatur, quia ibi Deus plene ab anima possidetur. Ergo nihil est in definitione mysticae theologiae, quod pugnet cum statu patriae.

§. II. Argumenta solvuntur.

220. Contra conclusionem arguitur *primo* ex D. Paulo, I *ad Corinth.,* cap. XIII (8), ubi ait: *Sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur ;* ubi clare loquitur de statu beatitudinis, quo adveniente, scientiam destrui docet Apostolus. Sed theologia mystica est scientia huius viae. Ergo, adveniente beatitudine, perit.

221. Confirmatur ex eodem Apostolo dicente ibidem (9) : *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Ergo, adveniente theologia mystica intuitiva, quae est *perfectum* quod venire speramus, evacuabitur theologia mystica huius viae, quae *ex parte est* et modo possidemus.

His textibus abutuntur multi, ut sua quisque sensa, etiam irregularia, confirmet. Alii enim his ostendere se putant, donum scientiae non manere in patria, eo quod ibi scientiam destruendam iri asserat Paulus, ut testis est D. Thomas disputans de dono scientiae (10), et consequenter theologiam viatorum tam scholasticam, quam mysticam penitus a patria excludunt. Alii autem minus consequenter, licet dona manere in patria concedant, theologiam nostram illuc intrare negant. Unde hoc argumentum ex illis est, quae nihil probant, quia multum probant.

Intelligentia ergo textus D. Pauli in argumento positi edocetur a D. Thoma, ibi, lectione 3 (11), ubi ait quod anima intellectiva indiget *in hac vita convertere se ad phantasmata, ad hoc ut actu intelligat, non solum ut abstrahat species a phantasmatibus, sed etiam, ut species habitas phantasmatibus applicet.* Et post pauca concludit : *Sic ergo remanet scientia in anima post mortem quantum ad species intelligibiles, non autem quoad inspectionem phantasmatum, quibus anima separata non indigebit habens esse, et operationem absque corporis coniunctione et secundum haec Apostolus dicit, quod scientia destruetur, scilicet secundum conversionem ad phantasmata.*

Habemus ergo ex mente D. Thomae Paulum loqui de scientia, quae phantasmata speculatur. Ex quo deducuntur duo: primum est, quod non loquitur de theologia mystica perfectissima, quae fit sine conversione ad phantasmata, ut postmodum discutiemus. Et hoc sufficeret ut nostra conclusio vera foret; siquidem ipsa mystica theologia viae maneret in patria. Sed ne ad has angustias reducamur, dicimus (et est secundum quod deducitur) quod si Apostolus loquitur de theologia mystica acquisita, hanc destruendam esse quoad *inspectionem phantasmatum, quibus anima separata non indigebit,* fatemur cum Angelico Praeceptore ; sed hoc nobis non obest, quia non dicimus theologiam mysticam in patria permansuram cum imperfectionibus ipsam pro statu viae concomitantibus ; sed potius affirmamus quod, adveniente luce beatitudinis, *evacuabitur quod ex parte est,* scilicet ipsa imperfectio scientiae ; et tunc veniet

(8) v. 8. In antiquis editionibus erronee ponitur « *2 ad Corinth.* ».

(9) v. 10; Hetzenauer, p. 1120. *Cum autem venerit.*

(10) III *Sent.,* dist. 34, q. 1, a. 3; ed. Vivès, t. IX, p. 554b-555b.

(11) *In I ad Corinth.,* cap. XIII, lect. 3; ed. Vivès, t. XXI, p. 8a:... *in anima post corporis mortem... operationem absque corporis communione. Et secundum hoc Apostolus hic dicit...*

quod perfectum est, videlicet ipsa mystica theologia secundum statum perfectum. Sicque intelligitur D. Paulus, ut vidimus ex D. Thoma. Similis est explicatio D. Chrysostomi, *Homil. 33 in Epist. I ad Corinth.,* cap. XIII (12), ubi ait: *Non abolebitur scientia quidem, sed desinet esse non perfecta: nec enim intra hos fines scientia tunc nostra continebit, sed amplius progredietur.* Manet ergo nostra mystica theologia in patria libera ab omni imperfectione propria viae.

Ex ipso apostolo mentem ipsius Angelice venatus est D. Thomas, quia Doctor gentium sic subdit (13): *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi, quae erant parvuli.* Ubi, ut observat D. Thomas (14), evacuare quae sunt parvuli, non est, quod homo, qui erat parvulus, pereat et, virilitate adveniente, alius homo de novo detur; sed quod ipse homo, qui prius erat sub parvuli imperfectionibus, postea sit sub viri perfectione formosus. Similiter in nostro casu, per quae patet ad confirmationem.

222. Dices: Glossae dictae textui D. Pauli non quadrant; ait enim Doctor Sanctus (15): *Charitas numquam excidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur.* Ex quibus hoc argumentum conficitur: Si theologia mystica maneret in patria, dicente Apostolo quod *scientia destruetur,* iam idem affirmaretur de theologia mystica ac de caritate. Sed hoc est falsum, ut patet ex verbis adductis, ubi perspicue dicitur theologiam mysticam destrui, caritatem vero nunquam excidere. Ergo.

223. Urgebis: Eodem modo asserit Paulus scientiam extra viam destruendam ac prophetiam evacuandam. Sed in patria penitus evacuabitur prophetia. Ergo pariformiter prorsus destruetur scientia.

Respondetur, et primo ad urgentiam : prophetiam omnino evacuari in patria, quia prophetia respicit determinate rem vel absentem, vel remotam, quorum neutrum dari potest in patria ; theologia autem mystica nihil habet, quod talem oppositionem dicat, ut patet ex dictis; eoque in patria conservatur. Deinde

Respondetur ad obiectionem distinguendo maiorem: *Idem diceretur de theologia mystica* perfectissima *ac de caritate,* concedo maiorem; *de theologia mystica* acquisita, subdistinguo : sumpta quoad substantiam ex se, concedo ; sumpta quoad accidentaliter sibi ex imperfectione huius status convenientia, nego maiorem; et sub eadem distinctione minoris negetur consequentia. Itaque, inter theologiam mysticam ex una parte et caritatem ex alia nullum est quoad substantiam discrimen in hoc, quod est permanere in patria. Discriminantur autem, si theologia mystica sumatur eo modo, quo diximus destruendam esse; quiaque hic modus sibi accidentalis est, propterea solum in hoc, quod est accidentale, discriminantur ; consistitque discrimen in hoc quod caritas ex sua ratione formali tendit in Deum, quem diligit propter seipsum ; in quo et salvatur species caritatis et modus ipsius, quem in via habet et in patria retinet; ibi enim non aliter diligit Deum, nisi prout in se est; unde nec speciem variat, nec modum. Ceterum theologia mystica in via Deum contemplatur obscure, in patria autem clare ; quare licet conservet speciem, modum autem conservare non potest.

Ex quibus colliges aliam intelligentiam pro textu D. Pauli posito num. 222, quae disparitatem assignat, nedum inter theologiam mysticam acquisitam ex una parte et caritatem ex alia, sed etiam inter caritatem et theologiam mysticam perfectissimam, quae etiam potest dici quod destruitur, adveniente beatitudine, scilicet quoad imperfectionem obscure tendendi in Deum ; unde inter theolo-

(12) Textus graec.: *Homilia 34 in Epist. I ad Corinth.,* num. 1; Migne, P. G., t. 61, col. 287.
(13) *I Cor.,* c. XIII, v. 11.
(14) l. c., p. 9.
(15) *I Cor.,* c. XIII, v. 8.

giam mysticam perfectissimam et caritatem datur haec disparitas, ob quam motus asserit Paulus caritatem nunquam excidere, theologiam vero mysticam, etiam perfectissimam, in conspectu beatitudinis destrui quoad dictum scilicet modum. Ast in theologia mystica acquisita datur ultra hanc imperfectionem tendendi in Deum obscure illa alia conversionis ad phantasmata, et secundum utramque perire in patria dicimus.

224. Sed contra et arguitur *secundo:* quia non plus differt clare videre Deum ipsumque obscure videre, quam clare amare Deum et ipsum obscure amare. Sed caritas viae Deum amat obscure et caritas patriae illum amat clare. Ergo caritas viae differt in modo a caritate patriae. Ergo nullum est assignatum discrimen; consequenterque textus D. Pauli manet inexplicatus. Prima consequentia, ex qua alia deducuntur, legitime infertur ex praemissis ex illisque probatur: eo enim theologiam mysticam in patria dicimus differre a theologia mystica viae, quia haec obscure, illa vero clare Deum attingit. Ergo si caritas viae tendit in Deum obscure et caritas patriae tendit in ipsum clare, pariter differunt.

225. Confirmatur primo: quia D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 24, art. 7, ad tertium (16) ait: *Non est autem eadem ratio quantitatis charitatis viae, quae sequitur cognitionem fidei, et charitatis patriae, quae sequitur visionem apertam.* Ergo inter caritatem patriae et viae datur diversitas proveniens a fide et visione, quae est eadem, quam dari inter theologiam mysticam viae et patriae fatemur. Ergo quoad hoc nullum est discrimen inter caritatem et theologiam mysticam.

226. Confirmatur secundo ex eodem Angelico Doctore, I part., quaest. 80, art. 2 (17), docente: *Differentiae apprehensi sunt differentiae appetibilis: unde potentiae appetitivae distinguuntur secundum differentiam aprehensorum.* At caritas viae et caritas patriae habent istam differentiam. Ergo differunt ad minus in modo.

Respondetur argumento: quod obscure videre est idem ac (18) nullatenus videre; amare autem non visum, non est non amare; proprie enim et perfecte Deum amat, qui Deum summe et propter seipsum amat, quamvis non videat numen ipsum, quod amat; unde caritas solum requirit quod obiectum supponatur cognitum; quod autem sit cognitum clare vel obscure, non respicit, sed abstrahit ab his modis; proptereaque variatio non adest in caritate, adveniente gloria, quamvis sit variatio in modo theologiae mysticae ob oppositam rationem.

Ad primam confirmationem respondetur: caritatem viae et patriae habere diversitatem consistentem in hoc, quod caritas viae est amissibilis, caritas autem patriae inamissibilis est. Unde quantitas caritatis viae non adaequat quantitatem caritatis patriae; quia haec est consummata et perfecta seu inamissibilis; illa vero amissibilis est et non consummata. Et hic est sensus D. Thomae in auctoritate citata, ut tradunt nostri Salmanticenses, tract. XIX, disp. 7, dub. 1, num. 11 (19).

Ad secundam confirmationem dicas cum iisdem Patribus Salmanticensibus (20) et Complutensibus nostris: Apprehensionem non esse rationem formalem, sed meram conditionem ut voluntas possit in suum obiectum ferri. Tunc autem conditio haec infert potentiarum diversitatem, quando proponit seu applicat diversam rationem formalem obiectivam; quod in praesenti non evenit, quia relate ad caritatem est prorsus materiale quod obiectum sit absens vel praesens, quod clare vel obscure attingatur.

227. Arguitur *tertio,* et contra fere om-

(16) In antiquis editionibus erronee ponitur: « *art. 1, ad primum* ».

(17) ad 1, Ed. Leonina, t. V, p. 284b: *Unde differentiae apprehensi sunt per se differentiae appetibilis. Unde...*

(18) « *ad* » in antiquis editionibus.

(19) t. XII, p. 293a.

(20) *ib.*, num. 13; t. XII, p. 294.

nia dicta replicatur: Implicat quod idem habitus sit principium contemplationis liberae et necessariae. Ergo contemplatio seu theologia mystica viae est per se obscura, atque adeo in patria non manet. Patet ista: quia contemplatio patriae est necessaria; viae autem contemplatio libera est. Antecedens vero probatur: quia habitus specificatur ab actibus. Ergo habitus, qui specificatur ab actu libero, non potest esse principium actus necessarii, nec e contra.

228. Confirmatur : quia licet verum visum et non visum sint differentiae accidentales respectu amoris seu voluntatis; non autem relate ad intellectum, qui verum non visum attingit fide et visum scientia attingit. Sed contemplatio viae attingit verum non visum; contemplatio vero patriae attingit verum visum. Ergo relate ad illas haec differentia est per se.

Respondetur argumento cum nostris Salmanticensibus citatis, num. 14 (21): quod si illi modi respiciantur essentialiter ab habitu, utique idem habitus non potest simul illa duo respicere. Ceterum si illa differentia non sit ab habitu, sed proveniat vel ex conditione subiecti, vel ratione status, vel aliunde ; tunc idem habitus est principium utriusque contemplationis, quam non respicit ratione illa limitata, sed sub elevatiori ratione, cui necessitas et libertas, claritas et obscuritas prorsus accidunt. Quae ex dictis nota sunt fientque ex dicendis notiora.

Ad confirmationem respondetur: visum et non visum esse quidem differentias essentiales respectu habituum illas per se respicientium ; non autem respectu habituum per se primo et ratione sui non respicientium. Habitus fidei respicit per se primo et ratione sui non visum, quia fides est: *Credere quod non vides: seu argumentum non apparentium* (22), eoque a non visis essentiatur, cuius contrarium ob oppositam rationem convenit scientiae, quae dicit incompatibilitatem cum fide. Ast ille habitus, qui has differentias per se primo non respicit, sed illas permittit ob subiecti et status conditionem, non est essentialiter diversus sive ad visum, sive ad non visum terminetur. Huiusmodi est nostra theologia, quae abstrahit a claritate et obscuritate, prout Caietanus (23) a multis secutus docet; vel, prout alii thomistae volunt, solum exactive respicit per se claritatem, non autem habitam; unde in via, licet ad non visum contemplandum terminetur, petitive autem claritatem respicit. Quodcumque ex his teneas, factam obiectionem solves.

229. Instabis tamen contra primum : Si theologia mystica abstraheret a claritate et obscuritate, non influeret positive in claritatis desiderium. Sed influit et toto conatu dilectum desiderat contemplari, iam faciens animam dissolutionem cum D. Paulo appetere et esse cum Christo; iam cum sponsa languere et subsidio malorum stipari florisbusque fulciri in ob Sponsi absentiam levamen. Ergo theologia mystica ex se non abstrahit a claritate.

Respondetur theologiam mysticam ex natura sua modo dicto abstrahere; subiectum autem illam habens, sciens media ipsa mystica theologia mirabilia Dei incerta et occulta sapientiae suae ipsi reserantis, appetit tota anima videre quem adeo benevolum potentemque experitur. Quae licet ita sint, negandum non est naturam dictae theologiae melius explicari per hoc quod, licet obscura sit in via, exigit tamen claritatem.

230. Arguitur *quarto:* Theologia mystica non est per se clara. Ergo est per se obscura. Antecedens constat, quia si esset per se clara attingeret clare suum obiectum in omni statu; quia in omni statu convenit, quod per se convenit ; cum autem theologiae mysticae non conveniat in omni statu attingere clare suum obiectum, inde fit quod non sit per se

(21) t. XII, p. 295a.
(22) *ad Hebr.*, c. XI, v. 1.
(23) *In Iam*, q. 1, a. 1, num. VI et a. 2, num. X et XIII; ed. Leonina *operum omnium S. Thomae*, t. IV, pp. 7b, 10b et 11b.

clara. Consequentia autem probatur: quia claritas et obscuritas dividunt adaequate habitum. Ergo si theologia mystica non est per se clara, erit per se obscura.

231. Confirmatur: Theologia mystica procedit ex per se obscuris, nempe ex principiis fidei. Ergo et ipsa per se obscura est. Probatur consequentia : nam habet theologia mystica, quod in illam influunt sua principia. Sed principia per se obscura nequeunt non influere obscuritatem per se. Ergo est per se obscura theologia mystica.

Respondetur argumento distinguendo antecedens: *Non est per se clara* positive, transeat; petitive, nego antecedens. Ad cuius probationem dicas: quod quia theologia mystica est per se clara non exercite, sed exactive; propterea non est status in quo hunc respectum ad claritatem non dicat per se; et ab hoc respectu est per se clara.

Ad confirmationem distinguo antecedens: *Procedit ex per se obscuris* per se, nego; procedit per accidens, concedo antecedens. Est dicere: quod theologiae mysticae accidit quod procedat ex per se obscuris; illa enim procedit per se ex principiis notis lumine scientiae beatae, ut supra, num. 216, nobis dixit D. Thomas. Quod autem in via procedat a fide, hoc est ipsi accidentale; unde ipsa theologia mystica non est per se obscura ; esset tamen si a fide procederet per se.

232. Dices: Theologia mystica procedit per se a virtute, quae est vicaria luminis scientiae beatae. Sed fides est vicaria luminis scientiae beatae. Ergo procedit per se a fide.

Respondetur primo: maiorem esse veram si loquamur de theologia mystica prout reduplicat viae statum; sic enim per se procedit a lumine, quod gerit vices luminis scientiae beatae. Verum cum hoc sit accidentale ipsi theologiae mysticae secundum se ; propterea non est per se obscura.

Respondetur secundo distinguendo maiorem: *Procedit per se a virtute, etc.* quoad certitudinem, concedo; quoad obscuritatem, nego maiorem. Deinde distinguatur minor: *Fides est vicaria, etc...* quoad certitudinem, concedo; quoad obscuritatem, nego minorem. Itaque fides duo habet: et est infallibilis, et est obscura. Obscuritatem habet a se; infallibilitatem vero a lumine, cuius vices gerit; unde dependentia theologiae mysticae a fide per se est secundum quod dicit infallibilitatem. Ceterum prout obscuritatem dicit, sicut in hac ratione fides non gerit vices luminis superioris, sic nec theologia mystica ab ipsa procedit per se, sed solum ob miseram conditionem exsilii.

233. Ex dictis in hac quaestione inferes, quid dicendum sit de actu ipso mysticae theologiae, circa quem integram quaestionem instituerem, si molestiam vitare non curarem. Ex dictis tamen non obscure habes quod, si in viatore iusto non praecederet separatio animae a corpore ante ingressum in gloriam, posset certe idem actus theologiae mysticae inceptus in via continuari in patria, sicut de actu caritatis tenent nostri Salmanticenses, tract. IX, disp. 1, dub. 4, num. 63 (24) et tract. XIX, disp. 7, dub. 1, num. 16 (25). Satius tamen nobis sit, qui rem ex professo disputare non valemus, remittere lectorem ad nostrum Laurentium a Sancta Theresia, qui tom. I sui *Spicilegii theologiae,* controversia 2, §. 10 (26), rem praesentem egregie discutit.

(24) t. V, pp. 237b-238a.
(25) t. XII, pp. 295b-296a. Erronee ponitur in I et IV ed.: « Tract. 19, disp. 7, dub. 2, num. 16 » et in Neapol. « dub. 2, num. 17 ».
(26) Romae, 1682, t. I, pp. 55-58.

QUAESTIO DECIMA

Utrum theologia mystica perfectior sit omnibus aliis scientiis?

Ad naturam theologiae mysticae non parum conducit aliqua de eius perfectione, breviter tamen, dicere.

§. I. Declaratur status quaestionis et diversis conclusionibus dirimitur controversia.

234. Sicut theologia mystica dupliciter sumi potest, ut patet ex omnibus dictis, nempe ut acquisita et ut infusa; ita etiam potest referri ad duplex extremum comparationis: videlicet ad scientias naturales et etiam ad alias partes integrantes totum habitum theologicum; atque adeo inquirentes: *An theologia mystica sit perfectior aliis scientiis?* Inquirimus: An mystica theologia prout infusa et etiam prout acquisita est, perfectior sit scientiis naturalibus et etiam sit perfectior ipsa theologia scholastica, morali, controversa et aliis? Sic ergo explicato quaestionis titulo ad resolutionem accedimus.

235. Sit prima nostra conclusio: *Theologia acquisita et infusa perfectior est omnibus scientiis naturalibus.* Conclusio haec communissima est inter doctores, et quoad secundam partem, quae loquitur de theologia mystica infusa constabit ex prima et ex aliis, quae in hac quaestione dicemus. Probatur ergo pars prima conclusionis nostrae: theologia mystica acquisita habet obiectum perfectius quam omnes scientiae naturales. Ergo perfectior est illis. Antecedens constat ex superius dictis, ubi fusissime probavimus cum D. Thoma, I part., quaest. 1, Deum esse obiectum theologiae mysticae; et consequentia probatur: quia scientia habet perfectionem ab obiecto. Ergo illa scientia est perfectior, cuius obiectum perfectius est.

236. Confirmatur: Illa scientia, quae radicaliter et obiective est supernaturalis, perfectior est quam illa, quae nullatenus supernaturalis est. Sed theologia mystica acquisita est radicaliter et obiective supernaturalis; cum procedat a fide et in Deum terminetur; et scientiae naturales nullatenus supernaturales sunt. Ergo theologia mystica acquisita perfectior est.

237. Secunda conclusio: *Theologia mystica infusa perfectior est quam theologia scholastica.* Probatur ex modo dictis: Theologia mystica infusa est entitative supernaturalis. Ergo perfectior est quam theologia scholastica, quae entitative naturalis est.

238. Confirmatur: quia theologia mystica infusa est *operatio non humana simpliciter, sed quodammodo divina,* ut vidimus ex D. Thoma num. 205; et inibi cum nostro Extatico Doctore vidimus, operationes animae theologiam mysticam infusam patientis esse veluti divinas. Sed theologia scholastica nihil horum habet. Ergo perfectior est theologia mystica infusa. Minor quamvis certissima sit, probatur tamen: Eo operationes theologiae mysticae infusae sunt quasi divinae, quia *sunt supra humanum modum,* ut dixit Angelicus Praeceptor numero praecitato. Sed operationes theologiae scholasticae non sunt supra humanum modum, ut de se patet. Ergo.

239. Sit tertia conclusio: *Theologia mystica acquisita perfectior est quam theologia scholastica.* Probatur haec conclusio ratione desumpta ex D. Dionysio, libro *De mystica theologia,* cap. 1 (1), sicque proponitur: Ea theologia

(1) Textus graecus, Migne, P. G., t. 3, col. 997 sqq.

est perfectior, quae perfectius Deum attingit. Theologia mystica perfectius Deum agnoscit quam scholastica. Ergo perfectior est mystica theologia. Maior patet: quia cum actus perfectionem habeat ab obiecto, ille actus, qui perfectius obiectum cognoscit vel perfectiori modo in illud tendit, est perfectior. Minor autem probatur: quia perfectius cognoscitur Deus, cum cognoscitur derelinquendo propriam intellectualem operationem, quam illa media. Sed mystica theologia Deum cognoscit derelinquendo propriam intellectus operationem. Ergo Mystica theologia perfectius Deum cognoscit. Consequentia bona est; et maior patet: tum quia cognoscere non derelinquendo propriam intellectualem operationem commune est cuicumque intelligenti; et certe non potest esse perfectior modus eundi in Deum, quod commune est omni intelligenti; tum quia haec est expressa doctrina nostri Extatici Doctoris pluribus in locis in superioribus adductis; pro nunc autem videri potest libro II *Ascensus,* cap. 12 per totum (2). Deinde probatur minor ex D. Dionysio praecitato (3), ubi ait: *Tu autem, o amice Timothee, circa mysticas visiones forti contritione, et sensus derelinque, et intellectuales operationes.* Quibus verbis docet intellectualem operationem esse derelinquendam, ut contemplatio acquisita exerceatur.

240. Dices forsan: Dionysium loqui in verbis adductis de theologia mystica infusa. Ergo ex illis non probatur nostra conclusio praesens, quae loquitur de acquisita.

Respondetur: non posse Dionysium loqui nisi de illa theologia mystica, quam exercere est in nostra potestate; quod convincitur ex ipsius verbis; ait enim, *derelinque sensus, et intellectuales operationes.* Ubi verbum illud *derelinque* et alia, quibus toto illo capite utitur, hoc demonstrant. Quiaque theologia mystica, quam possumus exercere viribus communibus gratiae, non est infusa, sed acquisita; propterea Dionysium loqui de acquisita non est dubium.

241. Probatur secundo conclusio ratione alia desumpta ex eodem Dionysio inibi (4), ubi subdit: *Etenim excessu tui ipsius et omnium... sursum ageris.* Ex quibus verbis haec ratio conficitur: Illa theologia perfectior est, in cuius exercitio illam exercens seipsum superat. Sed exercens mysticam theologiam acquisitam seipsum superat; non autem exercens theologiam scholasticam. Ergo mystica theologia acquisita perfectior quam scholastica est. Minor constat ex verbis citatis D. Dionysii loquentis de mystica theologia acquisita, ut iam vidimus. Maior autem probatione non indiget, nam ex ipsis terminis nota est.

242. Dices: Nemo excedere seipsum potest. Ergo ratio haec nititur fundamento ruinoso.

Respondetur: Dionysium docere quod exercens mysticam theologiam acquisitam seipsum excedit, cui magis credere debemus quam contrarium opinanti. Si autem scire desideras, quid sit seipsum excedere? Respondet Albertus Magnus ibi (5): *Ad quartum dicendum, quod non excedit se secundum esse: sed virtus sua potest extendi super ipsum in quantum fertur in Deum, qui est elevatus super ipsum, et ad hoc eum hortatur.* Unde cum contemplativus in Deum feratur, quem ardentissime amat, seipsum superat, cum propriam operationem non derelinquit.

243. Confirmatur non solum haec ratio, sed etiam omnia, quibus alias conclusiones in hac quaestione probavimus. Etenim illa theologia est perfectior, quae secum non admittit peccati consortium.

---

(2) *Subida del Monte Carmelo,* lib. II, cap. 11; ed. crit., t. I, pp. 145 sqq.

(3) *Theologia Mystica,* cap. 1. Datur iuxta antiquam translationem, quae exstat in *operibus omnibus B. Alberti Magni,* ed. Vivès, t. XIV, p. 820a, §. 2. — Text. graec., Migne, P. G., t. 3, col. 997, §. 1.

(4) l. c., pp. 820a-821a. — Text. graec., Migne, l. c., col. 1000.

(5) *Commentarii in librum... De Mystica Theologia,* cap. 1, §. 2; *Opera omnia,* ed. Vivès, t. XIV, p. 822b.

Sed scientiae naturales et etiam ipsa theologia scholastica secum admittunt consortium peccati, quod autem non admittit theologia mystica. Ergo mystica theologia acquisita perfectior est non solum quam scientiae naturales, sed etiam ipsa theologia scholastica perfectior est. Consequentia bona est et maior negari non debet; minor autem etiam est certa, quia theologia mystica acquisita nedum non compatitur cum aversione a Deo, verum etiam requirit perfectissimam conversionem.

§. II. Argumentis respondetur.

244. Contra primam conclusionem arguitur *primo:* Omnis scientia naturalis habet pro fine ipsum Deum, quem media illa scientia contemplemur et ut auctorem naturae diligamus. Ergo theologia mystica non illis perfectior est. Antecedens videtur certum; et consequentia probatur: Eo enim theologia mystica perfectior foret, quia perfectius obiectum habet, ut diximus num. 235. Sed scientiae naturales in Deum, qui est obiectum theologiae mysticae, terminantur. Ergo.

Respondetur: quod illa contemplatio, quam ex scientiis naturalibus colligimus, si catholica est, per mysticam theologiam exercemus; haec enim, ut superior ac omnium scientiarum dea, ut supra (6) ex D. Thoma vidimus, ex omnibus illis motivum sumit, quo in Deum tendat; scientiae vero naturales ipsum Deum ut obiectum respicere non possunt. Nec inter ipsas superior, metaphysica, quae theologia naturalis nominatur, ipsum Deum attingit, nisi modo dicto quaest. 1, num. 19 et 20 (7); qui modus imperfectior est quam modus, quo theologia mystica in Deum fertur.

245. Dices: Metaphysica ascendit per creaturas in Dei cognitionem, iuxta illud D. Pauli *ad Roman.*, I (8): *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur.* Sed hoc modo ascendit in Deum mystica theologia, ut multoties diximus. Ergo mystica theologia non est metaphysica perfectior.

Respondetur primo: quod theologia mystica non solum tendit in Deum per ascensum et affirmationem, sed etiam aliis modis perfectioribus, ut diversis locis dictum a nobis est; unde perfectior est quam metaphysica illo solum modo in Deum tendens.

Respondetur secundo: quod etiamsi theologia mystica non alio modo in Deum iret nisi per ascensum, perfectior adhuc foret quam metaphysica; quippe haec Deum non attingit sub ratione Deitatis, sed sub ratione entis.

246. Arguitur *secundo:* Theologia mystica non est radicaliter supernaturalis. Ergo ex hac parte non dicit excessum supra scientias naturales. Patet ista ex dictis; et antecedens probatur: eo theologia mystica esset radicaliter supernaturalis, quia fundaretur in principiis revelatis. Sed salvatur mystica theologia, quin fundetur in principiis revelatis. Ergo non est radicaliter supernaturalis. Probatur minor: salvatur theologia scholastica sine eo quod fundetur in principiis revelatis. Ergo et mystica. Consequentia est certa; et antecedens probatur: in plurimis conclusionibus vere theologicis, quae non procedunt ex praemissis revelatis, de quibus abundat scholastica theologia. Ergo haec salvatur sine principiis revelatis.

Respondetur: verum esse quod in theologia scholastica sunt plures conclusiones deductae ex praemissis nullatenus revelatis, sed solum lumine naturali cognitis. Ceterum conclusiones istae non sunt theologicae, sed vel philosophicae, vel metaphysicae, vel morales; quia theologiae tanquam reginae omnes

(6) num. 173.

(7) In antiquis editionibus erronee ponitur: « *num. 9* ».

(8) v. 20; Hetzenauer, p. 1098: *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur.*

aliae scientiae famulantur; unde illis utitur tamquam ancillis, iuxta illud Prov., IX (9): *Sapientia aedificavit sibi domum, etc., misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem.* Quod explicat Angelicus Doctor, I. part, quaest. 1, art. 5, ad 2, hisce verbis: *Haec scientia accipere potest aliquid a philosophicis disciplinis, non quod ex necessitate eis indigeat, sed ad maiorem manifestationem eorum, quae in hac scientia traduntur: non enim accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis tanquam a superioribus, sed nititur eis, tanquam inferioribus et ancillis, sicut architectonicae utuntur subministrantibus, ut civilis militari. Et hoc ipsum quod sic utitur eis non est propter defectum, vel insufficientiam eius, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his quae per naturalem rationem (ex qua procedunt aliae scientiae) cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quae sunt supra rationem, quae in hac scientia traduntur.* Et sicut istae aliae scientiae theologiae scholasticae famulantur ut facilius revelata cognoscat, sic et theologiae mysticae inserviunt ut in Deum contemplandum feratur.

247. Arguitur *tertio* contra alias conclusiones: Theologia scholastica protegit, roborat ac defendit mysticam theologiam acquisitam et infusam. Ergo illis perfectior est. Antecedens patet ex verbis Augustini supra (10) relatis, qui de theologia scholastica locutus, ait quod illa *fides saluberrima, quae ad beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Ex quo constat, theologiam mysticam defendi roborarique a theologia scholastica; vel quia theologia mystica est ipsa *fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit;* vel quia si fidem ipsam defendit, potiori iure et theologiam mysticam defendet ac roborabit. Tum etiam patet idem antecedens ex D. Ambrosio, super illud *Lucae,* cap. V (11): *Laxate retia vestra in capturam* dicentem: *Quae sunt apostolorum, quae laxari iubentur retia, nisi verborum complexiones, et quasi quidam orationis sinus, et disputationum recessus, qui eos, quos ceperint, non amittant.* Tum denique ex glossa Chrysostomi super *Epistolam ad Titum,* cap. I (12), ubi ait: *Referendum est ad scientiam, qua etsi Episcopus tantum se vita sancta, sibi potest prodesse sic vivens. Porro si sermone et doctrina fuerit eruditus, potest se, caeterosque instruere: et non solum instruere et docere suos, sed et adversarios repercutere, qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile queunt corda simplicium pervertere.*

Hinc ergo probatur consequentia: quia sapientia perfectior est quam habitus principiorum. Sed hoc ideo est, quia habitum principiorum defendit vindicatque a contrariis sapientia. Ergo si theologia scholastica mysticam a contrariis defendit, perfectior est illa. Consequentia constat a paritate; et minor edocetur a Magistro Bañez, I^{a} II^{ae}, quaest. 57, art. 6 (13), quem nostri Salmanticenses sequuntur (14). Maior vero est D. Thomae, ibi, ad secundum (15), ubi ait: *Scientia dependet ab intellectu, sicut a principaliori, et utrumque dependet a sapientia sicut a principalissimo, quae sub se continet et intellectum et scientiam, ut de conclusionibus scientiarum diiudicans, et de principiis earundem.* Idem constat ex Aristotele, *VI Ethic.,* cap. 7 (16), dicente: *Sapientem ergo non solum ea scire, quae ex principiis cognoscuntur, sed etiam circa principia dicere vera oportet. Quare sapientia intellectus est, et scientia: et ut caput habens scientiarum earum, quae*

(9) v. 1-3.
(10) num. 194.
(11) v. 4. — *Expositiones in Lucam,* lib. IV, num. 72: Migne, P. L. t. 15, col. 1634.
(12) *Homilia II,* num. 2; Migne, P. G., t. 62, col. 673.
(13) Sic in antiquis editionibus erronee ponitur; cum sit: *Scholastica commentaria in Primam Partem Ang. Doct. S. Thomae,* q. 1, art. 6; Duaci, 1614, t. I, pp. 33a sqq.; cf. praesertim p. 34b, D, E; et *ib.,* ad 4, p. 35b.
(14) Tract. XII, notationes ad Iam IIae, q. 57, a. 2; t. VI, pp. 279a-282a.
(15) Ia IIae, q. 57, a. 2, ad 2.
(16) Sic refertur a Salmanticensibus, l. c., num. 2; p. 279b. — Ed. Didot, t. II, p. 70, num. 3; Bekk., 1141a, 17.

summis afficiuntur honoribus. Ergo theologia scholastica perfectior quam mystica est.

Respondetur argumento cum nostris Salmanticensibus loco citato (17) et cum Magistro Gonet, tomo 1, disp. 1, art. 7, num. 78 (18): sapientiam defendere quidem habitum principiorum, propter quam rationem fatemur esse perfectiorem illo. Ast haec perfectio non est talis simpliciter, sed secundum quid; et hoc modo ipsa theologia scholastica perfectior potest dici quam habitus fidei, qui est habitus principiorum eius. Unde quod hoc modo sit etiam perfectior quam theologia mystica, nec absurbum continet, nec nobis obest. Ex hoc enim non impugnatur perfectio absolute maior theologiae mysticae; sicut nec fidei maior absolute perfectio expugnatur. Quibus affatim solutum manet argumentum hoc.

Addimus tamen et respondetur secundo quod ipsa theologia mystica seipsam, scholasticam et quidquid ad veritatem catholicam pertinet, nutrit, roborat ac defendit per gratias gratis datas, quae dicuntur sermo sapientiae et sermo scientiae, et fides, de quibus loquitur D. Paulus, *I ad Corinth.* (19); sic ergo B. Virgo Sancta Catharina Alexandrina fidem catholicam veritatesque theologicas adversus invadentes impugnavit, ipsosque triumpho mirabilissimo confundit. Sic etiam Sanctissima Theresia verba protulit, quae certe sunt malis mors et bonis vita; siquidem bonos superna sua sapientia instruit de rebus divinis profunde iudicans, et tam sublimi et incomparabili luce eas penetrat, ut omnium magistra sit; malos autem eadem sua lucidissima luce, vel in scriptis micante, dimicans pro fidei veritatibus tenebras palpare facit, vel ut resipiscant, vel ut confundatur. Quod omne pluraque alia fiunt per has mirabiles gratias, quibus Deus animas dilectas sibi decorat. Unde licet theologia scholastica mysticam impugnantes oppugnet, hoc ipsum mystica modo elevatiori rependit; quare hinc non est unde sumatur maior illa perfectio theologiae scholasticae supra mysticam.

248. Arguitur *quarto* auctoritate Sixti Quinti, qui in Bulla, qua declaravit decrevitque D. Bonaventuram inter primarios theologos venerandum esse (20), inquit: *Praesertim cum haereticorum insidiae, et diabolicae machinationes, quibus sacram theologiam, quae scholastica appellatur, hoc luctuoso saeculo oppugnant, vehementissime nos magnopere admoneant, ut eandem theologiam, qua nihil Ecclesiae Dei fructuosius, omni studio retineamus, illustremus, propagemus.* Ubi vides Pontificem maximum asserentem nihil Ecclesiae Dei fructuosius esse quam theologia scholastica. Modo sic: sed illud est perfectius, quod est fructuosius. Ergo theologia scholastica est perfectior.

249. Confirmatur: Quae naturaliter priora sunt, sunt perfectiora. Sed theologia scholastica est naturaliter prior quam mystica. Ergo scholastica perfectior est. Probatur minor: quia theologia mystica, si est infusa, provenit a donis, quae quidem ad virtutes subsequuntur; atque adeo ad theologiam scholasticam, quae virtus intellectualis est; si autem est acquisita, supponit actum theologiae scholasticae obiectum ut cognoscibile attingentem. Ergo.

Respondetur argumento fundato in auctoritate Pontificis non definientis: theologiam scholasticam esse fructuosissimam, et nihil illa fructuosius est, si sumatur pro entitate abstrahente a theologia naturali et supernaturali, quibuscum mysticae munus non est habitus diversus, ut alibi dictum est (21). Si vero sumatur ipsa theologia scholastica prout a mystica secernitur, *nihil* inter omnes scientias naturales est *illa fructuosius.* Unde nil contra nos. Et sane cum Summus Pontifex loquatur de theologia

(17)num. 3 et 4; p. 280.

(18) *Clypeus theologiae thomisticae,* disp. prooemial., a. 7, num. 78; ed. Vivès, t. I, pp. 67-68.

(19) c. XII, v. 8 et 9.

(20) cf. P. MICHAEL HELVETICUS-TUGIENSIS: *Bullarium Capucinorum,* Romae, 1740-1752, t. VI, p. 292b.

(21) scil. in responsione ad instantiam num. 184.

scholastica, quae fecit D. Bonaventuram dignissimum laude, plane constat non loqui de theologia scholastica prout mysticam excludit; sic enim non solum non est fructuosior, sed nec fructuosa; est enim, ut ait D. Bernardus (22) *turpis curiositas,* et illam sic habens, nomen theologi non meretur, ut supra num. 178 (23) diximus; quippe habet scientiam inflantem, non autem in animae utilitatem dirigentem; loquitur ergo Sixtus Quintus de illa theologia, quae Deum non solum ut cognoscibilem, sed ut amabilem respicit, de qua theologia ait D. Hieronymus *ad Paulinum* (24): *Discamus in terris, quorum nobis scientia perseveret in coelis.* Loquitur Pontifex de illa theologia, de qua idem Hieronymus *ad Rusticum* (25) dixit: *Ama scientiam scripturarum, et carnis vitia non amabis.* Loquitur Pontifex de illa theologia de qua, ut supra dicebamus (26), Abbas Antiochus, oratione 128 (27), inquit: *Nihil ita cor hominis ad amorem Dei inflammat, sicut theologia.* Loquitur Pontifex de illa theologia, quae celebrem D. Thomam fecit nomenque Angelici Doctoris ei meritissime comparavit, ut ex citata Bulla, paucis interiectis, constat. Et haec theologia Angelici Praeceptoris nexum intimum habet cum mystica, ita ut de illa dicere possimus cum Magistro Vallgornera (28), ut iam supra (29) fecimus: *Procerto tamen habetur, quod omne, quod dicit* (scilicet Doctor Angelicus) *de doctrina sacra, convenit Theologiae mysticae.* Loquitur denique Pontifex de illa theologia scholastica, quae non est occasio ruinae, sed de illa, quae devotionem auget. De quo vide D. Thomam, II^{a} II^{ae}, quaest. 83, art. 3, ad 3. De hac ergo theologia scholastica loquitur Pontifex, et hac nihil fructuosius esse concedimus.

Ad confirmationem respondetur cum Angelico Doctore, I^{a} II^{ae}, quaest. 68, art. 8: *Ad secundum dicendum quod aliquid est prius altero dupliciter: uno modo ordine perfectionis, et dignitatis: sicut dilectio Dei est prior dilectione proximi. Et hoc modo dona sunt priora virtutibus intellectualibus, et moralibus: posteriora vero virtutibus theologicis. Alio modo ordine generationis, seu dispositionis: sicut dilectio proximi praecedit dilectionem Dei quantum ad actum. Et sic virtutes morales et intellectuales praecedunt dona; quia per hoc, quod homo bene se habet circa rationem propriam, disponitur ad hoc quod se bene habeat in ordine ad Deum.* Haec D. Thomas, quibus inspectis, miraberis Magistrum Ferre, tract. I, quaest. 3, §. 9, num. 63 (30), velut certissimum dogma supponentem theologiam scholasticam, utpote virtutem intellectualem, digniorem esse donis, haec sunt eius verba: *Et alias cum theologia virtus intellectualis sit, dignior est donis.* Confer ista cum auctoritate modo citata et cum ratione ipsa; et quo sensu seu motivo dicta sint, haud facile deprehendes.

250. Arguitur *quinto:* Eo theologia mystica perfectior scholastica foret, quia ad eius exercitium relinquitur propria operatio. Sed hoc est falsum. Ergo et quod theologia mystica sit perfectior. Maior constat ex numero 239; et minor probatur: quia derelinquere propriam intellectus operationem vel fit media operatione aliqua, vel sine omni prorsus operatione? Si secundum dicas, ubi adest theologia mystica? Quippe sine operatione aliqua inintelligibile est mysticae theologiae exercitium. Si primum dicas, ergo propria operatio non relinquitur, ut mystica theologia exerceatur; siquidem illa operatio, qua propria operatio relinquitur, propria est.

(22) *Sermo 36 in Cant.,* num. 3; Migne, P. L., t. 183, col. 968. — cf. supra, *Isagoge,* lib. V, num. 13, p. 101.

(23) Sic in antiquis editionibus; sed est num. 180, in responsione ad obiectionem numero 178 positam.

(24) *Epist. 53, num.* 9; Migne, P. L., t. 22, col. 549: ... *in caelo.*

(25) *Epist. 125,* num. 11; Migne, P. L., t. 22, col. 1078.

(26) num. 190.

(27) *Pandectes scripturae divinitus inspiratae,* homilia 128; text. graec., Migne, P. G., t. 89, col. 1836.

(28) *Mystica theologia Divi Thomae,* q. I, disp. prooemial., art. 1, num. 2; ed. 1911, t. I, p. 2.

(29) num. 150.

(30) *Tractatus theologici,* t. I, *In Iam D. Thomae,* l. c.; Salmanticae, 1675, p. 39.

Confirmatur: Theologia mystica non relinquit sensibilia. Ergo nec relinquit propriam intellectus operationem. Probatur antecedens: theologia mystica utitur negationibus. Sed negationes accipit a sensibilibus. Ergo illa non relinquit theologia mystica.

Respondetur argumento negando minorem. Ad probationem dicas: theologiam mysticam exercentem utique operari operatione intellectuali; verum operatio haec non est illa propria operatio, quam derelinquendam ab exercente mysticam theologiam diximus; quippe mysticus derelinquere debet proprium discursum et modum sibi naturalem procedendi; sicque derelinquens operationes particulares, debet confusam operationem generalem et indistinctam in otio sancto exercere. Quod si exsequatur prout debet, utilitatem sibi comparat pretiosissimam; sin minus oleum et operam perdet. Mirissime haec docet Extaticus noster Parens pluribus in locis, inter quae audiri debet in *Flamma*, cantione III, v. 3, §. 15 (31), ubi prope finem ait: *O pues almas, quando Dios os va haziendo tan soberanas mercedes, que os lleva por estado de soledad y recogimiento apartandoos de vuestro trabajoso sentido, no os bolvais á él. Dexad vuestras operaciones, que si antes os ayudaban para negar al mundo, y á vosotros mismos, quando erades principiantes, aora que os haze Dios merced de ser el obrero, os serán obstaculo grande, y embarazo.* Hoc est: O animae, cum Deus vos evehit ad statum solitudinis et recollectionis segregans vos a vestro connaturali modo operandi, ne ad illum redeatis. Derelinquite vestras operationes, quae, dum incipientes eratis, vobis, fateor, opem ferebant ut mundo et vobismetipsis valediceretis. Nunc autem quando Deus per seipsum vult opus perficere, non vobis proderunt, sed nocebunt (32). Sic expertissimus noster Doctor §. sequenti (33), ubi ait: *Y acaecerá, que este Dios porfiando por tenerla en aquella quietud callada, y ella porfiando por vocear con la imaginacion, y por caminar con el entendimiento, como á los muchachos, etc...* Id est: Contingetque, Deo contendente animam perseverare in illa pacifica quiete, quod illa contentiose et pertinaciter (quod puerorum est) velit uti propria imaginatione et modum connaturalem operandi non deserere (34). Habemus ergo, quod operatio distincta et particularis est propria intellectus operatio. Haec derelinquenda est a theologo mystico, quamquam scholasticus illam non deserat, sicut nec discursum. Ast operatio confusa et indistincta est quam contemplativus exercet. Videatur nostra *Disceptatio mystica,*

---

(31) *Primera Llama de Amor viva,* 1. c.; ed. crít., t. II, p. 666: *... no os volváis al sentido. Dejad... cuando érais principiantes... — Llama de Amor viva,* 1. c., ed crít., t. II, p. 464: *... trabajoso sentir, no os volváis al sentido; dejad... y á vosotras mismas, cuando érades principiantes, ahora que Dios os hace merced...*

(32) In I vero ed. legitur : « Dum igitur (animae!) Deus est vobis beneficia tum superna faciens, ducens vos per solitudinis, et recollectionis statum, atque segregans a vestro laborioso sensu; ne in illum revertatis. Desinite ergo operationes vestras, quae si aliquando vobis opitulabantur ut vosmetipsos, mundumque denegaretis dum in principio eratis; nunc quod Deus misericorditer fit vobis operator erunt erga vos magnum impedimentum, atque obstaculum. Quod magnum obstaculum multi imprudentes sibi eligunt cum propriae utilitatis detrimento ». —

In editione autem Neapolitana: « Eia igitur animae! Cum Deus beneficia tam sublimia nobis impertit; cum scilicet per solitudinis, et recollectionis statum vos ducit; segregansque vos a vestro laborioso statu; ne iterum in illo revertatis; Linquite operationes vestras, quae si aliquando vobis opitulabantur, ut vos metipsos, mundumque abnegaretis, dum Incipientes eratis; nunc quod misericorditer Deus est in vobis operator: vestrae inquam operationes, magnum vobis impedimentum et obstaculum erunt; Quodve obstaculum, multi sibi eligunt cum propriae utilitatis detrimento ».

(33) *Primera Llama de Amor viva,* canc. III, v. 3, §. 16; ed. crít., t. II, p. 667: *... con aquella imaginación... Llama de Amor viva,* 1. c.; ed. crít., t. II, p. 465: *Y acaecerá que Dios esté porfiando por tenerla en aquella callada quietud, y ella porfiando también con la imaginación y con el entendimiento á querer obrar por sí misma, en lo cual es como el muchacho que,...*

(34) In I editione aliter legitur: « Evenietque, Deum cum illa certantem esse, ut in tacita quiete maneat, illa vero in imaginationis vociferatione perseverans, viam intellectu faciens, ut pueris contingit, etc... ». — In editione vero Neapolitana: « Eveniet insuper, quod aliquando Deus cum anima certet, volens illam in tacita quiete manere. Ast anima e contra vult tenaciter in imaginationis vociferatione, ac in intellectus discursu perseverare; sicuti pueris contingit ».

tract. II, quaest. 3, art. 4, num. 17 (35).

251. Dices: Perfectior est intellectio distincta quam confusa. Ergo operatio theologiae scholasticae perfectior est quam operatio theologiae mysticae. Probatur antecedens ex D. Thoma, I. part., q. 85, art. 3, in corpore, ubi ait: *Actus autem perfectus, ad quem pervenit intellectus, est scientia completa, per quam distincte, et determinate res cognoscuntur. Actus autem incompletus est scientia imperfecta, per quam sciuntur res indistincte sub quadam confusione. Quod enim sic cognoscitur, secundum quid cognoscitur in actu, et quodammodo in potentia.* Ergo tenet antecedens.

Respondetur: D. Thomam distinguentem cognitionem in confusam distinctamque non loqui de cognitione mystica, sed de naturali cognitione. Igitur naturalis cognitio confusa imperfectior est quam distincta; quia prima, ut docet inibi D. Thomas, est in potentia et via ad secundam. Per hoc enim quod cognoscam ens materiale, aptatur intellectus ut eliciat cognitionem speciei specialissimae. In cognitione autem mystica e contra res se habet, quia cognitio distincta et particularis medium est ut habeatur cognitio confusa; unde haec absdubio perfectior est illa. Confusio autem haec non est confusio imperfectionis, ut est illa alia confusio. Dicitur enim apud mysticos cognitio confusa illa, quae non partem aliquam obiecti cognoscit, sed totum illud perfectionis pelagus, et hoc nihil de illo affirmando, sed potius negando quidquid concipit; certus quod maius infinite est quam ipse percipere valet.

252. Ad confirmationem respondetur: D. Dionysium supra citatum (36) docere etiam sensibilia derelinquenda fore, ait enim: *Sensus derelinque, et intellectuales operationes, et omnia sensibilia.* Unde etiam ab istis segregari debet mysticus et tendere in Deum per negationem sensibilium, quae per sensus accepit (37). Quare verificatur quod a sensibilibus species accipiat, quas in Deum tendens de Deo neget. Videatur Albertus Magnus, loco supra citato, ad 3 (38).

QUAESTIO UNDECIMA

Utrum theologia mystica omnibus aliis scientiis certior sit?

Quaestio praesens valde affinis est praecedenti ac veluti eius appendix. In ea tamen iisdem fere combinationibus utimur ac in anteriori usi fuimus: unde theologiam mysticam non solum scientiis naturalibus, sed etiam ipsi scholasticae theologiae comparamus. Et quia certitudo sumitur dupliciter, scilicet et quoad se, et quoad nos, ut asserit D. Thomas, I part., quaest. 1, art. 5, ad 1 et II^{a} II^{ae}, quaest. 4, art. 8; propterea de utroque modo certitudinis erit sermo.

§. I. Variis conclusionibus respondetur quaesito.

253. Sit prima nostra conclusio: *Theologia mystica est certior omni scientia naturali.* Conclusio haec est D. Thomae, quem eius discipuli frequenter sequuntur. Probaturque ratione in ipso sancto Doctore, loco citato ex prima parte, fundata. Eo certior est scientia, quo certius est lumen, a quo scientia certitudinem habet. Sed theologia mystica certitudinem habet ex lumine certiori quam lumen certitudinem influens in scientias naturales. Ergo theologia mystica certior est illis. Probatur minor: quia theologia mystica habet certitudinem

(35) ANTONIUS AB ANNUNTIATIONE,...; ed. 1683, p. 248.
(36) num. 239.
(37) « *accipit* » in IV ed.
(38) *Commentarii in librum... De Mystica Theologia*, cap. 1, §. 2, ad 3; *Opera omnia*, ed. Vivès, t. XIV, p. 822b.

ex lumine scientiae divinae; scientiae vero naturales ex lumine rationis humanae. Sed lumen scientiae divinae est incomparabiliter certius quam lumen rationis humanae. Ergo. Tota haec ratio desumitur ex D. Thoma laudato (1), ubi in corpore ait: *Haec scientia alias speculativas scientias excedit secundum certitudinem quidem, quia aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare: haec autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest.*

254. Confirmatur: Scientia dignior certior est. Theologia mystica dignior est omni scientia naturali. Ergo et certior. Minor constat ex quaestione antecedenti; et maior patet ex ipso Angelico Praeceptore inibi, ubi dignitatem nostrae theologiae ex maiori ipsius certitudine inter alia deducit.

255. Si dicas: D. Thomam loqui de scientiis speculativis, non de practicis. Respondetur scientiam omnes alias scientias speculativas excedentem non posse non scientias practicas superare. Eo vel maxime, quia ratio facta etiam practicas comprehendit; quia lumen, a quo accipit certitudinem theologia mystica, certius est lumine scientiarum practicarum. Adde: alia ratione ex parte finis desumpta maiorem theologiae mysticae perfectionem probari a D. Thoma, ex qua ipsa ratione maiorem certitudinem ipsius theologiae mysticae colligimus.

256. Secunda conclusio: *Theologia mystica est quoad se certior quam scholastica.* Conclusionem hanc de mente D. Thomae esse non ambigimus, si quae modo diximus, attendamus. Etenim quo scientia est perfectior, eo et certior. Sed theologia mystica dignior est quam scholastica, ut vidimus a num. 237. Ergo certior est. Probatur maior motivo ipso, quod pro conclusione praecedenti num. 254 expendimus: quia si theologia mystica excedit certitudinem scientiarum naturalium, quia illas superat in dignitate, etiam certitudinem theologiae scholasticae, qua dignior est, superabit. Deinde probatur ipsa maior inductione facta inter habitus alios. Siquidem videmus habitum sapientiae et scientiae, quae sunt dona Spiritus Sancti, certitudinem theologiae scholasticae superare et similiter certitudo visionis beatificae maior est quam certitudo fidei, et certitudo fidei superior etiam est quam certitudo theologiae scholasticae. Et hoc non aliunde provenit nisi ex ipsa radice, ex qua provenit excessus dignitatis inter dicta. Unde cum theologia mystica dignior quam scholastica sit, propterea est et certior. Et ex his

Probatur secundo conclusio: Theologia mystica actualis habet principium immediatum certius quam assensus theologiae scholasticae. Ergo theologia mystica certior est. Patet ista: quia principium communicat actioni certitudinem sicut et dignitatem; unde sicut actus a principio digniori proveniens dignior est, sic et qui a principio certiori ortum ducit est certior. Antecedens autem probatur: quia principium immediatum theologiae mysticae est donum sapientiae. Sed donum sapientiae certius est quam theologia scholastica. Ergo. Probatur minor: primo ex dictis numero praecedenti. Secundo probatur ratione, qua nostri Salmanticenses, tract. XVII, disp. 2, dub. 5, num. 112 (2), probant certitudinem fidei excedere certitudinem scientiarum naturalium, quae nostrae materiae applicata sic procedit: Etenim certitudo intrinsece supernaturalis excedit certitudinem, quae tantum radicaliter et ex principio mediato supernaturalis est. Sed certitudo doni sapientiae est intrinsece supernaturalis; certitudo autem theologiae scholasticae est supernaturalis solum ex principio mediato. Ergo certitudo doni sapientiae maior est.

257. Confirmatur primo: quia theologia mystica habet certitudinem, qua supra scientias naturales gaudet theologia scholastica, et insuper addit insignem

(1) Ia, q. 1, a. 5.

(2) t. XI, pp. 156a-157a.

certitudinem, quam ex natura sua habet. Ergo certior est quam theologia scholastica. Probatur utraque propositio: et *primo* consequentia ratione eorundem Salmanticensium, loco citato: quia quo plures et firmiores sunt causae certitudinis, eo certitudo est maior. Sed in theologia mystica concurrunt plures et firmiores causae certitudinis quam in scholastica. Ergo. Probatur minor: nam in theologia mystica concurrit id, quod praestat theologiae scholasticae certitudinem, et insuper concurrit principium proximum certius, nempe donum sapientiae ac tandem divina motio, quae, cum sit supra omnem rationem humanam, excedit motionem, a qua dependentiam dicit theologia scholastica. Ergo in theologia mystica datur certitudo proveniens a causis pluribus et firmioribus. Deinde probatur principale antecedens: quia ad certitudinem theologiae mysticae concurrit fides, a qua theologia scholastica certitudinem habet, qua scientias naturales excedit; et insuper habet certitudinem ex sua experientia, secundum illud non semel in superioribus expensum (3): *Accedite ad eum, et illuminamini* (4) et insuper: *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus* (5). Ergo theologia mystica habet certitudinem, qua gaudet scholastica, et insuper addit aliam insignem certitudinem.

258. Confirmatur *secundo:* quia, ablata fide, non remanet certitudo theologiae scholasticae; et si per possibile auferretur fides, maneret certitudo mysticae theologiae super omnes scientias. Ergo certitudo theologiae mysticae superat certitudinem scholasticae. Consequentia de se nota est; et antecedens probatur ex *Lucerna mystica,* tract. III, cap. 6, num. 58 (6), ubi agens de dono sapientiae inquit: *Causat hoc donum in anima quandam certitudinem et firmissimam securitatem divinae existentiae et mysteriorum fidei, adeo infallibilem et securam, quod si de possibili fides defuisset, vel Angelus de Coelo contrarium affirmaret, nullatenus anima de veritate dubitare posset; quae quidem certitudo in nullo expresso fundamento, vel ratione fulcitur, sed ex sola experimentali certitudine, quod ita sit.* Egregie doctor iste radicem huius maioris certitudinis ostendit. Et numero sequenti (7) prosequitur: *Radicatur etiam in anima contemplativa in virtute huius doni adeo altissima aestimatio, et conceptus Divinitatis, quod si omnis Seraphim, aut Cherubim, aut ceterae creaturae variis rationibus, et exemplis, magnitudinem illius exaggerarent, esset animae, quasi parva gutta in vastissimo mari adiecta : talem quippe per hoc donum concipit Dei notitiam, ut solus Deus et non creatura aliqua possit ei aliquid superaddere.* Haec, quae hic gravissimus auctor ex doctrina Seraphicae nostrae Doctricis variis in locis deprompsit, declarant nobis insignem illam certitudinem, qua theologia mystica de suo gaudere, et fidei certitudini superadditam dicebamus.

259. Tertia conclusio: *Theologia mystica certior est quoad nos quam scholastica et quam scientiae naturales.* Conclusio haec aperte sequitur ex modo dictis; ita ut necessarium non sit aliquid illis addere. Probant enim, si quid probant, quod theologia mystica non solum est certior quoad se, sed etiam quoad nos ; quippe certitudo illa et securitas firmissima, quam anima habet media theologia mystica de fidei mysteriis, minime verificari posset, si quoad nos certior non esset. Ex his tamen sic breviter probatur conclusio.

Scientia cui repugnat ex parte subiecti dubitatio, est certior quoad nos. Sed theologiae mysticae repugnat dubitatio ex parte subiecti. Ergo est certior quoad nos. Consequentia sequitur; et maior inde patet, quia certitudo quoad nos nihil aliud est quam certitudo se tenens

(3) num. 91, 126, 131 et 146.
(4) *Ps.* 33, v. 6; « *Accedite ad Deum...* » in 1 ed.
(5) *Ps.* 33, v. 9.
(6) IOSEPH LOPEZ EZQUERRA, *Lucerna mystica pro directoribus animarum,* tract. III, cap. 6, num. 58; ed. Bassani, 1782, p. 51b.
(7) Ed. cit., p. 51b: ... *quod si omnes Seraphim...*

ex parte subiecti habitum causantem certitudinem possidentis, ut omnes dicunt. Unde quo maior fuerit certitudo ex parte subiecti, eo erit perfectior certitudo quoad nos, consequenterque, cum sit maxima certitudo illa, quae incompatibilis est cum dubietate, quantumvis minima, inde patet certitudinem mysticae theologiae maximam esse. Minor autem probatur: quia certitudo, quae staret, etiamsi fides deesset, et quam nec supremus angelus eliminare posset, est certitudo cum qua vel minima dubitatio incompatibilis est. Huiusmodi est certitudo mysticae theologiae, ut patet ex dictis conclusione praecedenti. Ergo.

260. Confirmatur: Certitudo cui supremi spiritus nec rationibus, nec exemplis aliquid addere possunt, ut subiectum certius securiusque sit, est certitudo quoad nos. Sic est certitudo mysticae theologiae, quo non pertingit certitudo theologiae scholasticae. Ergo huius certitudine maior quoad nos est certitudo illius.

Ex dictis habes, quid circa scientias naturales dicere debeas circa hoc punctum. Est enim sine dubio maior quoad nos certitudo theologiae mysticae quam illarum scientiarum certitudo. Quod ex dictis notum est constabitque amplius ex dicendis.

§. II. Solvuntur obiecta.

261. Contra *primam* conclusionem plura sunt argumenta a quibus abstinendum duximus, quia nihil particulare urgent in mysticam theologiam; aequaliter enim impugnant certitudinem theologiae scholasticae ac mysticae; unde lectorem remittimus ad Angelicum Doctorem in illa conclusione citatum et ad thomistas, qui *in Primam partem,* quaest. 1, hanc difficultatem versant. Contra *secundam* autem conclusionem arguitur sic *primo:* Theologia mystica acquisita non habet principium, a quo certior sit quam scholastica. Ergo non est certior illa. Probatur antecedens: quia in theologia mystica acquisita non adest aliud principium, nisi fides et habitus ipse theologicus. Sed haec principia etiam causant certitudinem theologiae scholasticae. Ergo.

262. Confirmatur: Ideo diximus theologiae mysticae certitudinem superiorem esse, quia provenit a dono sapientiae. Sed haec ratio, etsi aliquid probet, non probat relate ad theologiam mysticam acquisitam, quae nec a dono sapientiae est, nec est distinctus habitus a theologia scholastica. Ergo.

Respondetur argumento negando antecedens. Ad cuius probationem dicas *primo:* quod licet theologia mystica acquisita non habeat alia principia certitudinem ei conferentia, praeter illa, quae scholasticae conferunt certitudinem, adhuc mystica certior est. Cuius alia ratio quaerenda non erat nisi maior dignitas theologiae mysticae acquisitae supra scholasticam, licet utraque eadem principia habeat; illa enim radix, a qua provenit quod theologia mystica acquisita eadem principia habens cum scholastica sit dignior, est etiam radix ipsius maioris certitudinis. Haec radix sunt ipsa principia perfectius influentia, et ipsum obiectum perfectius attactum; quae, ut suo ordine propinemus, scito: fidem requiri ad theologiam mysticam acquisitam et ad scholasticam, sed non eodem modo aut perfectione; quia ad theologiam scholasticam sufficit fides informis; ad theologiam autem mysticam acquisitam requiritur fides formata et haec valde perfecta. Insuper fides remote requiritur ad theologiam scholasticam, quatenus ex iis, quae fides dictat, suas conclusiones deducit. Ast ad theologiam mysticam acquisitam requiritur non solum ut anima proponat quid contempletur, verum etiam ipsi animae per spiritualem viam ambulanti fides est omnino necessaria, ut ei innixa suo dilecto Sponso uniri valeat. Unde Extaticus noster Doctor, lib. II *Ascensus,* cap. 9,

in principio (8), fidem solam esse proximum et proportionatum medium ut anima Deo uniatur, dixit. Ubi serio observare debes fidem esse proximum medium ad mysticam unionem, cum tamen non sit proxime influens in assensum theologicum. Ex quibus aliisque innumeris eiusdem Sanctissimi Doctoris perspectum habes discrimen, quo ad utramque hanc theologiam fides concurrit, siquidem ad scholasticam sufficit informis et ad mysticam acquisitam requiritur formata; ad primam requiritur solum ex parte principii, ad secundam vero etiam ex parte medii requiritur. Et ex hoc sequitur quod obiectum prout attactum a theologia mystica acquisita maiorem perfectionem exprimat, quam prout attactum a theologia scholastica; eoque maiorem certitudinem sicut et dignitatem maiorem causat in mystica quam in scholastica.

Haec dixerim, etiamsi non alia principia maioris suae certitudinis haberet theologia mystica acquisita, habet tamen; et hoc est *secundum,* quod ad probationem dicti antecedentis respondere debes. Etenim theologia scholastica causatur ab applicatione voluntatis, quam non provenire immediate ab aliqua motione supernaturali certum est, sicut et quod theologia mystica acquisita pendet immediate a motione supernaturali; quia licet ipsa supernaturalis entitative non sit, est tamen meritoria, atque adeo modum supernaturalitatis dicit. Insuper theologia mystica acquisita etiam est a donis Spiritus Sancti, a quibus certitudinem supra scholasticam habet. Per quae patet ad confirmationem.

Respondetur enim, quod non solum theologia mystica infusa, sed etiam acquisita provenit a dono sapientiae; cum hoc tamen discrimine, quod infusa est elicitive ab illo dono, acquisita autem est elicitive ab habitu theologico, illo ipso dono illustrato atque elevato; unde ipse theologicus habitus sic dignificatus causat maiorem illam certitudinem.

263. Sed ecce ex dictis consurgit gravis obiectio: Etenim si habitus theologiae scholasticae per subordinationem ad dona potest theologiam mysticam acquisitam cum illa maiori certitudine elicere; pariter ipsis donis subordinata poterit elicere infusam. Sed hoc est falsum. Ergo et quod illa dona ad mysticam theologiam acquisitam concurrant. Minor inde patet, quod si vera maior illa foret, iam theologia mystica infusa non esset distinctus habitus ab acquisita, contra ea, quae supra quaest. 8 (9) diximus ex communi doctrina mysticorum. Maior seu sequela probatur: tum a paritate ipsa, quam prae manibus habemus, theologiae mysticae acquisitae; tum etiam ratione generali: quia virtus inferior ex coniunctione ad superiorem potest facere quod illa facit, ut pluribus exemplis ostendi solet. Ergo habitus theologiae ex subordinatione ad donum sapientiae poterit theologiam mysticam infusam elicere.

Respondetur negando maiorem; ad cuius probationem secundam dicendum est, doctrinam illam verissimam esse fundarique in D. Thoma, quaest. 3 *De potentia,* art. 11, ad 14 (10); verum illa doctrina debemus uti cum prudentia; aliter quam plurimae quaestiones cum veritatis detrimento illa resolvi poterunt, ut considerans inveniet. In praesenti autem illa *uti* non valemus propter absurda, quae ex eius usu imminere cognoscimus. Etenim ut possit theologia scholastica per subordinationem ad donum sapientiae elicere mysticam theologiam infusam, debet aliquid derivari in ipsam ab ipso dono, ratione cuius possit facere id, quod ex se facere non valebat; si namque nihil recipiat eodem modo manebit et, ut dici solet, *idem manens idem semper facit idem.* Post receptionem autem huius intrinseci elevantis theologiam scholasticam, ipsa theologia scholastica non potest producere actus perfectos correspondentes sapientiae dono. Patet hoc: quia, ut ex sententia D. Tho-

(8) Ed. crit., cap. 8; t. I, p. 132.
(9) In antiquis editionibus legitur: « *quaest. 9* ».
(10) Ed. Vivès, t. XIII, p. 82a.

mae docent Caietanus, Iª IIªᵉ, quaest. 74, art. 4 (11), Bañez, I p., quaest. 78, art. 4, dub. 2 (12) et alii plures, virtus inferior superiori subordinata et ab ea aliquid intrinsece recipiens ut causet effectus proprios causae superioris, non potest causare effectus perfectos superioris causae, sed faciliores et imperfectiores, ut patet in corporibus caelestibus virtute intelligentiae motricis producentibus viventia imperfectissima, de quo videre poteris Complutenses nostros in *Logica,* disp. 2, quaest. 3 (13). Igitur si dicta omnia praesenti materiae applicentur, inveniemus subordinationem theologiae scholasticae ad donum sapientiae deservire solum ut huius imperfectissimi actus ab illa causentur. Ex quo duo deducuntur: primum est, actum istum elicitum a theologia scholastica ut subordinata dono sapientiae non posse esse contemplationem perfectissimam, sed valde imperfectam. Secundum est, quod donum sapientiae potest ex se et sine consortio theologiae scholasticae operari. Constat hoc: quia virtus superior, per cuius virtutem inferior elevatur, potest seipsa et sine consortio inferioris operari. Illa autem actio correspondens dono sapientiae debet esse perfectissima, quia est a perfectissima causa per aliam non limitata. Et quia actio illa contemplatio est; propterea contemplationem perfectissimam ab illa esse dicimus. Unde vel idipsum, in quo opinio contraria suffugium quaerit, illam exterminat; quia secundum illam theologia scholastica esse non potest principium nisi contemplationis imperfectae, et insuper actus perfectissimae contemplationis relinquitur a dono sapientiae eliciendus; atque adeo nihil convincit obiectio haec contra nos.

Ex alio autem capite non potest doctrina illa generalis instituto praesenti deservire; quia theologia scholastica, quantumvis per illum modum qui a dono sapientiae in illam fingitur derivari, elevetur; nunquam egreditur limites habitus acquisiti et naturalis ac insuper operantis secundum modum et iuxta industriam subiecti, in quo est; unde certius est quam quod maxime, ipsum non posse esse principium contemplationis perfectissimae, quae est actus supernaturalis infusus et habitus ex speciali Spiritus Sancti motione. Accedit quod, iuxta omnes mystas, principium elicitivum contemplationis infusae est simpliciter infusum; quod verificari non potest de theologia scholastica quantumvis elevata; ipsa enim non est principium simpliciter supernaturale, nec infusum, nec operatur ex motione speciali Spiritus Sancti. Unde vel dicendum est contemplationem infusam non esse infusam, supernaturalem et supra modum humanum habitam, quod est opponi D. Thomae, Extatico nostro Doctori, mystis omnibus et ipsi veritati; vel asserendum est talem contemplationem infusam non elici ab habitu theologiae scholasticae.

Ex dictis patet responsio ad primam probationem maioris: negatur enim paritas inter theologiam mysticam infusam et acquisitam, ut possit utraque a theologia scholastica provenire. Quia theologia mystica acquisita est intra lineam contemplationis actus imperfectus; unde nec petit principium simpliciter supernaturale, nec petit procedere ex motione speciali Spiritus Sancti; atque per hoc quod habitus theologicus illustretur per donum sapientiae per modum ipsum modificantis, habetur contemplatio acquisita et relinquitur contemplatio infusa principio superiori.

264. Arguitur *secundo :* Theologia scholastica gignit id, quod est certius quam theologia mystica. Ergo theologia scholastica certior quam mystica est. Patet ista; quia si res producta est adeo certa, non potest non esse aequaliter certa causa producens. Antecedens autem probatur auctoritate D. Augustini,

(11) Ed. Leonina *operum omnium D. Thomae,* t. VII, p. 39b, num. V.

(12) Ed. Duaci, 1614, t. II, p. 276a, D. E. — Caietanus et Bañez citantur a Complutensibus, loco infra citando.

(13) num. 29 et 30; ed. 1629, t. I, p. 96. — COMPLUT. ABBREV., *Logica,* disp. 2, q. 3, §. 3, num. 22; ed. 1670, t. I, pp. 122b-123a.

quam retulimus num. 194 (14), in qua Sanctissimus Doctor asserit theologiam scholasticam fidem gignere, nutrire, defendere, roborare. Ergo fides a theologia scholastica gignitur.

Respondetur distinguendo antecedens: *gignit* proprie, nego antecedens; improprie, concedo antecedens. Ad probationem dic: theologiam scholasticam dici fidem generare, quia disponit ad fidei infusionem; quia antequam fides detur, datur cognitio de credibilitate mysteriorum fidei, ut supra numero 178 (15) dicebamus; quae cognitio est theologiae scholasticae, ut tenet Magister Ferre, tract. I, quaest. 2, §. 1, num. 19 (16), hincque dicitur theologiam scholasticam fidem generare, quia ponit id, quod ad fidei infusionem praerequiritur. Ex quo non sequitur, quod theologia scholastica sit aequalis certitudinis cum fide, nec cum theologia mystica; foret tamen si illam proprie generaret.

Et quia supradicto numero 194 promisimus aliquod dicere de hac Augustini auctoritate appropriata theologiae mysticae, maxime infusae; nunc, quia occasio sese offert, dicimus: quod encomium, quod theologiae scholasticae ex dictis Augustini resultat, elevat mysticam theologiam clarissime. Mystica enim theologia est, qua fides gignitur ac nutritur; quia dona Spiritus Sancti fidem adeo illustrant, ut quamvis illam non generent, ab illis esse videatur. Siquidem donum intellectus penetrat profundissime illa arcana, quae fides nobis proponit; unde fidem illustrat, ita ut per illam sic illustratam possit homo nedum assentire revelatis, verum etiam eas ipsas veritates, quas fides attingit, profundissime penetrare. Sapientia illustrat fidem ipsam praebens simplissimum altissimumque lumen, quo homo ipsas fidei veritates penetrat per suas causas; et ipso hoc lumine, quo intellectus fulget, movetur voluntas ardetque efficaciter et suaviter; et ipse intellectus saporem iucundissimum percipit ex facilitate suavissimae illius cognitionis, uti observat D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 180, art 7, in corpore. Sic dona haec fidem illustrant, quod illam gignere ac nutrire theologiam mysticam prae scholastica dicere possumus.

Etiam ab ipsa theologia mystica defenditur fides potius quam a scholastica, quantum distat Doctor mystica lumina suggerens, qui divinus est, a doctore humano, qui docet scholasticam theologiam. Quod constat ex dictis a num. 247 (17), ubi vidimus Catharinam Alexandrinam adversus sapientes disputantem et concludentem. Vidimus etiam (18) quod, etiamsi supremus angelus contrarium fidei persuadere vellet, mysticus nullatenus assentiret; huc respexit Sanctissima Theresia Mater nostra, cap. 25 suae *Vitae* (19), ubi de his ait: *Me parece, que con todo el mundo disputará, que era Dios.* Id est: In ea mente sum, quod, etiam universo refragante, affirmarem esse Deum (20). Et cap. 27 (21), loquens de sublimi cognitione, quae media theologia mystica habetur de mysterio Trinitatis et aliorum mysteriorum, inquit: *Se ve el alma en un punto sabia, y tan declarado el mysterio de la Sanctissima Trinidad, y de otras cosas muy subidas, que no ay Theologo, con quien no se atreviesse á disputar de la verdad de estas grandezas.* Hoc est: In ictu oculi conspicitur anima tanta sapientia venusta et adeo certa de Mysterio Sanctissimae Trinitatis et aliorum valde ineffabilium, ut de eorum veritate cum omnibus theologis sine haesitatione contenderet (22). Ex quo sequitur fidem non so-

(14) et num. 247.

(15) Sic in antiquis editionibus; requiritur autem: num. 180, ubi datur responsio ad obiectionem numero 178 positam.

(16) *Tractatus theologici*, t. I, *In Primam D. Thomae*, l. c.; Salmanticae, 1675, p. 12.

(17) In antiquis editionibus erronee ponitur: « *num. 284* ».

(18) num. 258 et 259.

(19) Ed. crit., t. I, p. 199.

(20) In I et Neapol. ed. legitur: « Mihi videtur, quod cum universo orbe disputationem innerem (sic), quod Deus erat ».

(21) Ed. crit., t. I, p. 211.

(22) In I ed. legitur: « Anima quippe unico momento se sapientem factam, et Sanctissimae Trinitatis, aliorumque mysteriorum valde sublimium, tam perfectam sibi datam intelligentiam intelligit, ut nullus sit theologus, cum quo de horum magnalium veritate disputare non audeat ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: « ... sibi datam intelligentiam prospicit, ut... »

lum defendi, sed etiam roborari a mystica theologia; et quidem cum excessu a scholastica; per lumen enim mysticum ita securus redditur mysticam theologiam exercens, quamquam prius maximis dubitationibus quateretur, ut Olympum inhabitare videatur. Quod ut adstruat Sanctissima Theresia, cap. 25 citato (23), ait: *O valgame Dios, y como fortalece la fee, y se augmenta el amor! Es assi cierto, que muchas veces me acordaba de quando el Señor mandó á los vientos que estuviessen quedos en el mar, quando se levantó una tempestad: y assi decia yo: quien es este, que assi le obedecen todas mis potencias, y da luz en tan grande obscuridad en un momento, y hace blando un corazon que parecia de piedra? Da agua de lagrimas suaves á donde parecia havia de haver mucho tiempo sequedad. Quien pone estos deseos? Quien da este animo?* Est dicere: Bone Deus, et quantum fidem roborat amoremque auget! Multoties memini Domini ventos imperantis et pristinam tranquillitatem mari concitato restituentis. Quocirca dicebam: Quis est hic, quem adeo prompte meae potentiae obtemperant? Quis est iste, qui in instanti noctem horride obscuram in diem lucidissimam commutat, leneque facit cor, quod lapideum videbatur? Fontem lacrimarum concedit ei, qui per multum tempus ariditatibus concuti metuebat? Quis haec desideria confert? Quis animos istos infundit? (24), Sic enim prosequitur expertissima Doctrix ostendens fidem per mysticam theologiam roborari. Unde idipsum quod est theologiae scholasticae praeconium, fulget vividius in mystica.

265. Arguitur *tertio* contra ultimam conclusionem: Quod est certius quoad se quam mystica theologia, est minus certum quoad nos quam scientiae naturales. Ergo theologia mystica non est certior quoad nos quam naturales scientiae. Probatur antecedens: quia fides est simpliciter certior quam theologia mystica. Sed fides est minus certa quoad nos quam scientiae naturales. Ergo.

Respondetur concedendo quod fides sit simpliciter certior quam mystica theologia, et quod sit minus certa quoad nos quam scientiae naturales respectu quarum certior est quoad nos theologia mystica. Nec ex hoc aliquid fidei superioritati derogatur; quia sicut minus perfecta minusque certa est simpliciter scientia naturalis quam fides, licet quoad nos sit magis certa ipsa naturalis scientia; sic etiam licet theologia mystica sit certior simpliciter et quoad nos quam scientiae naturales, nil sequitur contra perfectionem et certitudinem fidei. Solum enim sequitur quod theologia mystica sit certior secundum quid quam ipsa fides, sicut etiam sunt scientiae naturales. *Quia unumquodque iudicatur simpliciter quidem secundum causam suam: secundum autem dispositionem, quae ex parte subiecti est, iudicatur secundum quid; inde est, quod fides est simpliciter certior, sed alia sunt certiora secundum quid, scilicet quoad nos.* Verba sunt D. Thomae, II^{a} II^{ae}, quaest. 4, art. 8 (25).

266. Sed replicabis et sit secundum argumentum: Ideo scientia naturalis est quoad nos certior quam fides, quia certitudo scientiae est magis connaturalis et proportionata intellectui humano

(23) Ed. crit., t. I, p. 199: *Oh, válame Dios, y cómo fortalece la fe y se aumenta el amor! Es ansi, cierto, que muchas veces me acordaba de cuando el Señor mandó a los vientos que estuviesen quedos en la mar, cuando se levantó la tempestad, y así decia yo: ¿ Quién es éste que ansi le obedecen todas mis potencias, y da luz en tan gran escuridad en un momento, y hace blando un corazón que parecia piedra, da agua de lágrimas suaves adonde parecia habia de haber mucho tiempo sequedad? ¿ quién pone estos deseos? ¿ quién da este ánimo?*

(24) In I ed. legitur: « O Deus mihi valens! quomodo fides corroborat, et per eam amor adaugetur! ut verum fatear, saepe ad mentem, et memoriam revocabam, quomodo Dominus olim, orta in mari tempestate, ventis imperasset, ut cessarent; unde ita mecum ipsa dicebam: quis est hic, cui omnes potentiae meae ita obediunt, et qui unico momento tam spissis in tenebris lucem, seneritatemque adfert, qui cor, quod saxeum, et marmoreum esse videbatur, emollit? Qui suavium lachrymarum ibi fluenta laxat, ubi ariditas dudum, et longo tempore futura esse videbatur. Quis haec desideria subministrat? Quis hos suggerit animos? — Similiter in Neapol. ed., praeter : « O Deus me adiuvet! quomodo fides roboratur, et per eam amor adaugetur!... »

(25) Ed. Leonina, t. VIII, p. 52b: ... *quae est ex parte subiecti iudicatur...*

propter evidentiam quam causat. Sed certitudo mysticae theologiae hoc non habet. Ergo minor est quam certitudo scientiae naturalis.

267. Confirmatur primo seu ratio facta aperitur: Ideo fides est minus certa quoad nos quam scientia naturalis, quia certitudo fidei non dicit illam connaturalitatem et proportionem cum intellectu nostro propter defectum evidentiae. Sed theologia mystica etiam dicit hanc inevidentiam. Ergo theologia mystica est minus certa quoad nos. Quod etiam paritate theologiae scholasticae convincitur; siquidem est minus certa quoad nos quam scientia naturalis propter eandem inevidentiam.

268. Confirmatur secundo ex his, quae num. 158 (26) ex nostris Complutensibus adduximus: ibi enim dicti Patres dixere: *Evidentia autem, vel claritas deserviunt ipsi certitudini, quatenus obiectum sub claritate propositum aptius est ad causandum firmiorem et certiorem assensum.* Ergo cum theologia mystica non clare et evidenter, ut scientiae naturales, sed inevidenter et obscure procedat, non dicit certitudinem aequalem, sed inferiorem quam certitudo scientiae naturalis.

Hoc argumentum est quod difficilem facit nostram resolutionem, difficultatem addentes ipsi scholastici doctores attendentes ad exhibendam rationem, quare scientia naturalis certior quoad nos sit quam fides et theologia scholastica; qui si mysticam theologiam tradidissent, ea ipsa, quae docent, quin nobis opposita viderentur, suspicor explicassent. Communis tamen Magister D. Thomas, qui scholasticum agens, mysticum etiam agebat, nodi solutionem, ni fallor, obtulit, dum verbis citatis (27) dixit certitudinem quoad nos desumi ex dispositione, quae est ex parte subiecti; unde diversa subiecti dispositio faciet quod res sit magis vel minus certa hoc genere certitudinis. Igitur

Respondetur primo ad argumentum distinguendo maiorem: *Magis connaturalis et proportionata intellectui humano* procedenti secundum modum sibi proprium, concedo; procedenti secundum modum sibi non proprium, hoc est, derelinquendo propriam intellectualem operationem, nego maiorem. Termini ex dictis multoties patent. Explicatur solutio: intellectus, qui est subiectum (28) scientiae, potest considerari vel ut dicit dispositionem sibi propriam et connaturalem, et prout sic, certior est illi scientia naturalis, quia eius certitudo est ipsi, prout sic, proportionata propter claritatem quam dicit. Potest etiam sumi intellectus prout dicit dispositionem sibi superiorem: scilicet procedere derelinquendo propriam operationem et ex speciali instinctu Spiritus Sancti, et prout sic magis proportionata est ei certitudo theologiae mysticae quam certitudo scientiae naturalis. Per quae argumentum prorsus solvi iudicamus. Et idipsum pro confirmatione dicimus; quia fides, ut assensum eliciat, non requirit intellectum procedere secundum illam dispositionem sibi non propriam; quinimo petit intellectum procedere secundum modum sibi naturalem et quod piam voluntatis motionem exspectet.

Respondetur secundo maiorem argumenti seipsam destruere. Ideo enim illud evenit in scientia naturali et non in theologia scholastica, quia non respectu huius datur illa connaturalitas, sed respectu ipsius scientiae naturalis. Quibus edocemur ut, quid sentiendum sit circa mysticam theologiam, habeamus; quippe theologia mystica procedit circa res divinas secundum connaturalitatem ad ipsas, quod non habet theologia scholastica. Sic Angelicus Praeceptor verbis non semel in hac disputatione adductis, quae iterum reproducimus, habenturque II^{a} II^{ae}, quaest. 45, art. 2. in corpore (29), et haec sunt: *Sic ergo circa res divinas ex rationis inquisitione, rectum iudicium habere pertinet ad sapientiam, quae est*

(26) In antiquis editionibus erronee ponitur: « *num. 159* ».

(27) cf. supra, num. 265.

(28) Sic in I et Neapol. ed.; in IV vero editione legitur: « *obiectum* ».

(29) Ed. Leonina, t. VIII, p. 341a: *Sic igitur... ad ipsa pertinet...*

virtus intellectualis. Sed rectum iudicium habere de eis secundum quandam connaturalitatem ad ipsas pertinet ad sapientiam, secundum quod donum est Spiritus Sancti. Ecce donum sapientiae, quod est mystica theologia, procedit circa res divinas secundum connaturalitatem ad ipsas, quod non habet theologia scholastica, nec fides; unde ex quo istae non sint magis certae quoad nos quam scientia naturalis, perperam hoc ipsum de mystica theologia asseritur.

269. Dices: Connaturalitas et proportio scientiae naturalis cum intellectu provenit ex claritate ipsius. Ergo cum theologia mystica claritatem non dicat, etsi connaturalitatem habeat, eius certitudo minor est.

Respondetur: quod de connaturalitate scientiae idem iudicium ferendum est ac de certitudine ipsius; unde sicut non datur scientia naturalis perfecta, quae certitudine evidentiae non adiungat, ita non datur scientia naturalis quae non dicat connaturalitatem evidentem. Ast sicut datur scientia supernaturalis certa et non clara, ut est theologia scholastica, sic datur supernaturalis scientia, quae dicit connaturalitatem obscuram; atque adeo sicut certitudo theologiae scholasticae, quia est superioris conditionis, simpliciter ad certitudinem scientiae naturalis sufficit, ut sit certitudo scientiae simpliciter certioris; sic connaturalitas theologiae mysticae, quia est lineae adeo sublimis, facit illam certiorem quoad nos quam scientia naturalis.

Quod si tenaciter adhuc evidentiam desideres, non tibi illam positive concedam, sed Theologum Illustrissimum ostendam, qui illam concedere non renuit. Lege Illustrissimum Palanco, *Tract. De Deo uno,* disp. 1, quaest. 4, num. 43 (30), ubi rotunde affirmat donum sapientiae clare penetrare res per fidem creditas. Unde si cum hoc doctore sentis, nihil (31) tibi desiderandum restat, ut praeferas certitudinem quoad nos theologiae mysticae certitudini scientiarum naturaliam. Per quod patet ad argumentum et eius primam confirmationem.

Ad secundum dicendum doctrinam illam nostrorum Complutensium (32) verissimam esse, siquidem per claritatem completur seu perficitur certitudo habitus, sicut evidentia scientiae confortatur ex praesentia motivi fidei, ut docent nostri Salmanticenses, tract. XVII, disp. 3, dub. 3, §. 2 (33). Verum haec perfectio, quam claritas tribuit certitudini, non solum est ad illam, quae est ex parte subiecti, sed etiam, et maxime, relate ad certitudinem simpliciter talem seu quoad se.

Quia rationes, quibus nostra haec tertia conclusio impugnatur, magis urgent in scientiis naturalibus quam in theologia scholastica; quippe procedunt ex claritate et connaturalitate; propterea nullum argumentum fecimus circa theologiam scholasticam, licet assertio illam comprehenderet.

QUAESTIO DUODECIMA

Utrum haec nostra scientia recte dicatur mystica?

Explicavimus ea, quae ad naturam theologiae mysticae spectant, et ad ipsius nomen properamus, inquirentes quare inter omnes theologiae partes haec nostra dicatur mystica?

§. I. Brevis dubii decisio.

270. Nostra conclusio: *Scientia haec vere est et dicitur mystica.* Assertio certissima est apud omnes. Probaturque primo auctoritate D. Dionysii *mysticam*

(30) cf. supra, num. 158 et 268.
(31) « *nil* » in I et Neapol. ed.
(32) COMPLUT. ABBREV. seu IOANNES AB ANNUNTIATIONE, *Logica,* disp. 19, quaest. 3, num. 12; ed. 1670, t. I, p. 454.
(33) t. XI, pp. 234a-238a.

nostram hanc theologiam nominantis in egregio illo libro, quem de hac scientia scripsit illumque *De Mystica Theologia* nominavit. Unde sicut ex hac auctoritate habetur scientiam hanc esse, iuxta Dionysium, proprie theologiam; sic et eodem modo convincitur esse, iuxta eius sensum, mysticam.

271. Probatur secundo ratione ex D. Thoma deprompta : Ut enim vidimus in *Isagoge,* lib. I, num. 8, mysticum idem est ac occultum iuxta Angelicum Praeceptorem (1) citatum ibi. Sed haec scientia est inter omnes occulta. Ergo et mystica. Consequentia sequitur: quia haec scientia ex principio, ex modo procedendi et ex termino est omnibus aliis scientiis occultior. Ergo. Probatur antecedens pro prima parte: nam principium huius scientiae est intellectus obscure procedens ingrediente etiam speciali concursu voluntatis. Sed hoc principium est nimis arcanum. Ergo. Minor quoad primam partem probatione non indiget: quia intellectus, fide ductrice, procedit in hac scientia, atque ideo obscure et tenebris circumfusus procedit. Quoad secundam vero etiam constat : quia voluntas ex sua ratione arcana est, ut patet ex D. Thoma, I part., quaest. 57, art. 4, notavitque Caietanus ibi, quaest. 27, art. 3 (2), dicens: *Ea quae sunt voluntatis minus nota minusque nominata sunt.*

Quoad secundam partem, scilicet quoad modum procedendi probatur ipsa minor principalis: quia intellectus mysticam theologiam exercens suis actibus naturalibus orbatur; atque adeo modo sibi valde arcano procedit. Patet hoc per Dionysium, loco citato, cap. 1 (3), ubi ait: *Tunc et ab ipsis absolvitur visis et videntibus, et ad caliginem ignorantiae intrat, quae caligo vere est mystica, etc... vacatione omnis cognitionis secundum melius unitus, et eo quod nihil cognoscit super omnia cognoscens.*

Deinde, qui contemplatur, utitur negationibus, quae sunt magis ignotae quam affirmationes; proptereaque laudatus Dionysius, cap. 3 (4), hanc profundissimam theologiae partem vocat *negativam* ad differentiam aliarum partium sacrae theologiae, de quibus egit in libris *De divinis Hypotyposibus, De divinis Nominibus* et in *Theologia symbolica,* quas theologias affirmativas appellat. Haec autem nostra theologia non utitur affirmationibus, sed negationibus, quibus *ab ultimis,* ait citatus Areopagita (5), *ad principaliora assensus facientes, et per media rursus ad extrema, omnia auferimus, ut revelate cognoscamus illam ignorantiam ab omnibus noscibilibus in omnibus existentibus circumvelata, et supersubstantialem illam videamus caliginem ab omni lumine in existentibus occultam.* Quibus non solum asserit Dionysius modum negativum atque adeo obscurum, quem nostra theologia observat, sed etiam terminum ipsius esse obscurissimum docet, dum ignorantiam caliginemque vocat. Per quod probatur tertia pars illius principalis minoris.

272. Egregie confirmat doctrinam traditam Extaticus noster Doctor, libro II *Ascensus,* cap. 8 (6), ubi ait: *A la contemplacion, por la qual el entendimiento se ilustra de Dios llaman Theologia mystica, que quiere decir sabiduria de Dios secreta; porque es secreta al mismo entendimiento, que la recibe.* Hoc est : Contemplatio, qua intellectus illustratur a Deo, dicitur theologia mystica. Id est, sapientia de Deo arcana, quia etiam ipsi intellectui, qui illam recipit, abscondita est (7). His ergo non solum veritatem

(1) *Commentaria in De Divinis Nominibus,* prolog.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 374b.

(2) Ed. Leonina *operum omnium D. Thomae,* t. IV, p. 312a, num. V.

(3) *De Mystica Theologia,* cap. 1, §. 6; datur iuxta antiquam translationem, quae exstat in *operibus B. Alberti Magni,* ed. Vivès, t. XIV, p. 831a: *... super mentem cognoscens.* — Text. graec., Migne, P. G., t. 3, col. 1001.

(4) Ed. Vivès cit., t. XIV, pp. 842a-852a. — Text. graec., Migne, l. c., col. 1032-1033.

(5) *De Mystica Theologia,* cap. 3; text. graec., Migne, l. c., col. 1033.

(6) *Subida del Monte Carmelo,* lib. II, cap 7; ed. crit., t. I, p. 130.

(7) In I ed. legitur: « Theologiam mysticam nominant contemplationi, qua intellectus circa Deum illustratur, quod est idem ac dicere: Abscondita Dei sapientia; quia eidem intellectui eam recipienti abdita est ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: « Ipsam contemplationem, Theologiam mysticam nominant, qua... »

asserti nostri habemus, sed etiam detegitur fundamentum, quare inter omnes scientias haec mystica dicatur. Etenim aliae scientiae notae sunt ipsi intellectui vel ipsa theologia scholastica nota est, quia modo discursivo intellectui familiarissimo procedit; haec autem scientia nostra etiam ipsi intellectui occulta est; atque adeo inter omnes scientias mystica nominatur. Videatur D. Thomas, super cap. 7 *De divinis Nominibus* (8), ubi hoc ipsum clarissime tradit.

§. II. Argumenta diluta.

273. Arguitur *primo :* Si scientia haec mystica atque adeo occulta foret, non contemplaretur sine tenebris suum obiectum. Sed contemplatur suum obiectum sine tenebris. Ergo mystica seu occulta non est. Probatur minor ex *Psalmo* 18 (9), ubi de Deo dicitur: *In sole posuit tabernaculum suum.* Et Christus Dominus dixit *Ioann.,* cap. VIII (10): *Ego sum lux mundi.* Ergo scientia haec sine tenebris obiectum contemplatur.

Sic nostrum assertum impugnari censet iunior quidam praefatos textus opponens contra dicta et contra textum, quo a nobiscum sentientibus probari solet, estque huiusmodi: *Posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius* (11). Contra hoc omne textus illos opponit dicens quod cum incompatibiles sint lux et tenebrae, et impossibile quod Scriptura sacra sibiipsi contrarietur, sequitur animam, quae Deum, qui sol et lux est, contemplatur, constitutam non esse inter tot tenebras. Egregius certe arguendi modus! Eo et nos utentes, dum singularem opinionem probat ex illo Psalmi: *In sole posuit, etc...* dicemus: Scriptura sacra sibiipsi contraria non est, nec lux est cum tenebris compatibilis. Sed sub pedibus Dei caelos inclinantis et ad animam contemplativam descendentis est caligo, ut dicitur in eodem *Psalmo* et etiam quod *posuit tenebras latibulum suum.* Ergo textus ille *In sole posuit, etc...* aliter interpretandus est.

Itaque dicimus quod ex nimia claritate divini solis tenebras offusissimas patitur mens humana, uti diximus in *Isagoge ;* unde ex eo quod est lucidissimus quoad se, inferre non licet quod sit lucidissimus quoad nos. Immo contrarium inferre licet cum dicente quod Deus *lucem habitat inaccessibilem* (12). Quapropter hanc contemplationem seu scientiam appellat Dionysius (13) *radium tenebrarum,* cui auctoritati non respondet citatus iunior. Nos autem dicimus eam appellare radium, quia *desursum est descendens a Patre luminum* (14). Est enim radius lucidissimum ignem scientiae beatae participans; cum quo tamen stat quod, licet sit *radius,* non sit radius lucis, sed *tenebrarum;* tum quia fide regulatur; tum quia ipsum proprii obiecti superexcedens incendium lippis oculis parit tenebras, dicente Aeropagita in *Epist. V ad Doroth.* (15): *Divina caligo est inaccessibile lumen, in qua habitare Deus dicitur, quae quidem caligo aliud prorsus non est, quam incircumscripta, ac penitus interminata, et superfluentissima plenitudo, splendidissima pulchritudo, serenitas et dulcedo lucis aeternae.* Haec nos docuit Extaticus noster Parens in secunda illa sua egregia cantione, quam ponit explicatque libro II *Noctis,* cap. 15 et sequentibus (16) estque huiusmodi:

A obscuras y segura.
Por la secreta escala disfrazada,
O dichosa ventura !
A obscura, y en zelada,
Estando ya mi casa sossegada (17).

(8) Ed. Vivès, t. XXIX, pp. 514a-526b; praesertim lect. 4, pp. 521a-523b.
(9) v. 6.
(10) v. 12.
(11) *Ps.* 17, v. 12.
(12) *I Tim.,* c. VI, v. 16; Hetzenauer, p. 1157: *lucem inhabitat inaccessibilem.*
(13) *De Mystica Theologia,* cap. 1, §. 2; iuxta antiquam translationem quae exstat in *operibus B. Alberti Magni,* ed. Vivès, t. XIV, p. 821a. — Text. graec., Migne, P. G., t. 3, col. 1000 (§. 1, fine).
(14) *Iacobi,* c. I, v. 17.
(15) Text. graec., Migne, P. G., t. 3, col. 1073.
(16) *Noche oscura del Espiritu,* Canc. II; ed. crit., t. II, pp. 98 sqq.: *A oscuras...*
(17) In I et Neapol. ed.: *A escuras...* — In Neapol. ed. additur versio itala:

Ubi cap. 16, primum versum explicans (18), ait: *Lo que en Dios es luz y claridad mas alta, es para el hombre tinieblas obscuras (como dice San Pablo) segun lo declara el Real Profeta David en el mismo Psalmo diciendo.* Id est: Quod in Deo est lux et claritas sublimior, est homini obscuritas, ut ait D. Paulus; et hoc ipsum affirmat David dicens : *Prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt* (19). Videatur Sanctus Doctor in explicatione illius cantionis (20), ubi mira pro materia praesenti docet. Unde quin scriptura sibiipsi contraria sit, habemus quod Deus est lux et quod *in sole posuit tabernaculum suum* (21), ac denique quod theologia haec nostra occultissima et tenebrosissima sit.

274. Arguitur *secundo:* Theologia affirmativa est magis vel aeque occulta ac haec nostra theologia. Ergo haec non debet mystica dici, ac si omnibus occultior esset. Probatur antecedens excurrendo partes illas theologiae, quas assignat Dionysius locis citatis : quia theologia de divinis Personis occultior est nostra theologia; tum quia Personarum distinctio et constitutio est omnino remota a nostra cognitione; tum quia, teste D. Ambrosio, *libro de fide ad Gratianum,* cap. 5 (22), *Impossibile est scire aeternae generationis secretum.* Ergo scientia in qua agitur de divinis Personis, debet potius quam nostra dici mystica.

Probatur secundo idem antecedens : Id ad quod philosophi minus pervenire possunt, est magis remotum a mente humano atque adeo magis occultum. Sed quid sacramenti habeat *Verbum caro factum est* (23), nec suspicari valet philosophia, cum Augustinus, in quo veluti sine mensura fuit haec scientia, hoc de seipso fateatur, libro I *Confessionum,* cap. 9 (24). Ergo haec scientia occultior est.

Probatur tertio antecedens: Scientia cuius principium est occultum, est magis mystica quam illa, quae quantum ad sui principium manifesta est. Sed theologia nostra est quantum ad sui principium manifesta; quia incipit a sensibilibus, ea a Deo removens; scientia autem de divinis Nominibus est quoad sui principium occulta; quia ostendit quomodo de occulto Divinitatis omnia manifesta nobis procedunt. Ergo.

Respondetur quod scientia maxime denominatur et a modo procedendi, et a fine; unde scientia illa, quae ex fine et ex modo procedendi fuerit occultior, mystica inter omnes occultissimas dicenda est. Theologia nostra inter omnes habet suam arcaneitatem et ex modo, et ex fine; eoque mystica est. Quae clariora fient, si hanc doctrinam facto argumento applicemus. Respondetur enim negando antecedens. Ad primam probationem dicas: ita esse quod scientia agens de divinis Personis est occultissima et impossibilis scitu menti fide destitutae. Mens autem fide venusta cognoscit Trinitatis mysterium et scit ex illis tribus Personis unam esse Patrem, aliam Filium aliamque Spiritum Sanctum. Ex quibus prima est ingenita, genita secunda, tertia vero procedens. His aliisque, quae fidei propria sunt, suppositis, ingreditur theologia et ex illis fidei principiis discurrit divina modo non adeo obscuro; intellectus enim fide theologiaque decorus cognoscit Patrem producere Ver-

« Al bujo, e ben sicura
Per la segreta scala trasformata
O felice ventura!
Al bujo, e ben celata
Stando gia la mia casa addormentata ».

(18) Ed. crit., t. II, p. 103: ... *tiniebla más oscura... declara luego David en el mismo Salmo, diciendo: Prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt.*

(19) *Ps.* 17, v. 13. — In I et Neapol. ed. legitur: « Quod in Deo est lux, et altior claritas, est homini obscurae tenebrae (ut ait Apostolus) iuxta Regium Prophetam in eodem Psalmo dicentem: *Prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt* ».

(20) Ed. crit., t. II, pp. 98-132.

(21) *Ps.* 18, v. 6.

(22) *De fide ad Gratianum Augustum,* lib. I, cap. 10, num. 64; Migne, P. L., t. 16, col. 543: *Mihi enim impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed et angelorum.* (Haec dicit S. Ambrosius loquendo de generatione Filii a Patre).

(23) *Ioan.,* c. I, v. 14.

(24) Migne, P. L., t. 32, col. 667.

bum ad eum modum, quo creatus intellectus verbum producit. Similiter alia cognoscit et sibi nota, quantum possibile est, facit per analogiam, licet deficientem, ad res creatas, ablatis semper imperfectionibus. Similiter *Verbum caro factum est* (25) est penitus remotum sine fide, cum illa tamen cognoscitur; qua cognitione supposita, theologia manuducit intellectum ut unionem hypostaticam ad instar unionis personalitatis creatae cum propria natura cognoscat.

Nostra autem theologia diversimode procedit: incipit enim a sibi notis et sic omnes gradus, per quos ascendit, negando ascendit ad terminum sui motus. Egregie haec docuit citatus Dionysius, cap. 4 (26) eandemque materiam prosequens cap. 5 (27) ait: *Rursus autem ascendentes dicimus, quod neque anima est, neque mens, etc...* Et post tot gradus, quos de Deo negando ascendit, venit ultimo in Dei cognitionem? Minime. Non Deum cognoscit, sed cognoscit Deum esse aliquid aliud diversissimum ab iis omnibus, quae de ipso negavit. Quid autem sit haec prima omnium causa non percipit; cum ipsa non solum sit super omnes affirmationes seu positiones, quibus procedit theologia affirmativa, verum etiam supra omnes negationes, per quas mystica haec theologia ascendit. Sic laudatus Dionysius, cap. 1 (28), ubi ait: *Ipsa prima causa est super omnem ablationem et positionem.* Unde post longum motum negationum, nec Deum cognoscit, nec aliquid invenit ad cuius instar cognoscat; videt enim Deum esse ultra id omne, quod sibi cognitum et cognoscibile est. Et hoc est Deum perfectissime cognoscere pro praesenti mortalitatis statu, quae est doctrina D. Thomae, II^{a} II^{ae}, quaest. 8, art. 7, ubi ait: *Duplex est Dei visio, una quidem perfecta, per quam videtur Dei essentia. Alia vero imperfecta, per quam etsi non videamus de Deo quid est, videmus tamen quid non est: et tanto in hac vita Deum perfectius cognoscimus, quanto magis intelligimus eum excedere quidquid intellectu comprehenditur.*

Per quae patet ad primam et secundam antecedentis probationem; quia licet divinae Personae occultissimae nobis sint et similiter Incarnationis mysterium, tamen secundum modum non adeo occulta sunt, cuius contrarium evenit in nostra theologia, ut dictum est. Et sane si philosophi nec suspicari possunt quid sit *Verbum caro factum est* (29), ut argumentum probat; res nostrae theologiae adeo remotae sunt ab eis, ut non solum eas suspicari ex se non possint, verum nec ab aliis audire valeant, dicente laudato Dionysio (30): *Vide autem ut nullus indoctorum ista audiat.* Ubi, ut exponit Albertus Magnus (31): *Primo removet a communicatione huius scientiae Philosophos, secundo Idololatras.*

Ad tertiam probationem respondetur quod, licet principium a quo incipit scientia de divinis Nominibus, sit occultum et non principium nostrae theologiae; modus tamen et finis huius occultissimi sunt, quod non habet scientia illa; quippe ostendit processum ab occulto in manifestum; res enim a Deo procedentes manifestae sunt, et ipse Deus ut talium rerum principium non est adeo arcanus ac ipse ut in se est, quem prout sic nostra mystica theologia seu anima ipsa fulgida satagit apprehendere et non dimittere, donec illum introducat in domum matris suae et in cubiculum genitricis suae, ut illum ibi osculetur et iam a nemine despiciatur (32).

Et haec pro ista ardua materiae difficillimae disputatione dixisse sufficiat; prolixus forsan fui, sed si aliquid utilitati inserviens dictum fuerit, parum refert.

(25) *Ioan.*, c. I, v. 14.

(26) *De Mystica Theologia*, cap. 4; ed. Vivès *operum omnium B. Alberti Magni*, t. XIV, p. 854a-855a; text. graec., Migne, P. G., t. 3, col. 1040.

(27) Iuxta antiquam translationem, cf. ed. Vivès cit., t. XIV, p. 857a; text. graec., Migne, l. c., col. 1045.

(28) *De Mystica Theologia*, cap. 1, §. 3; iuxta antiq. translat., cf. ed. Vivès cit., t. XIV, p. 823a; text. graec., Migne, l. c., col. 1000 (§. 2).

(29) *Ioan.*, c. I, v. 14.

(30) l. c., cap. 1, §. 3; iuxta antiq. translat., cf. ed. Vivès cit., t. XIV, p. 822a; text. graec., Migne, P. G., t. 3, col. 1000 (§. 2).

(31) Ed. Vivès cit., t. XIV, p. 823a.

(32) *Cant.*, c. III, v. 4; c. VIII, v. 1 et 2.

DISPUTATIO SECUNDA

De mystico directore.

Disputationem secundam prooemialem, quam policiti sumus explanandam, aggredimur; in qua quaestiones plures sese offerunt et in illis subtilitas cum utilitate certat. Unde proprio muneri iniuriam irrogarem, si hasce quaestiones silentio praeterirem. Ne autem tanti criminis reus sim, ad ipsarum agitationem accedo.

QUAESTIO PRIMA

Utrum solus Deus sit animarum Magister?

1. Deum optimum maximum esse cuiuscumque animae Directorem supponi in praesenti debet: ipse enim est Praeceptor ac Legifer noster; ipse est via, veritas et vita luxque lucidissima mundi, tenebras ignorantiae dispellens lucemque vivificam animabus dispensans; eoque Apostolos bene dicere dixit, dum eum Magistrum dixere: *Vos vocatis me Magister, et Domine; et benè dicitis, sum etenim* (1). Unde solum quaerimus: An solus ipse Deus et non alius praeter ipsum sit Magister animarum?

§. I. Proponitur catholica veritas.

2. Nostra conclusio: *Non solus Deus est animarum director.* Sic docet D. Thomas *in Disputatis,* quaest. 11, art 1 (2) et I^{a} II^{ae}, quaest. 11, art. 4. Sic etiam docet Seraphica Mater nostra D. Theresia ac Extaticus noster Parens pluribus in locis. Probatur ergo primo assertio nostra ex D. Paulo II *ad Timotheum,* I (3), ubi ait: *Positus sum ego praedicator,... et Magister.* Ergo praeter Deum potest alius esse animarum director.

3. Probatur secundo hac ratione: Illuminare est actus magisterii. Sed praeter Deum aliis competit illuminare. Ergo et magistros esse. Maior certa est eamque docet D. Thomas, loco citato *De Veritate,* in argumento tertio *sed contra* (4). Minor vero nullam difficultatem continet; primo, quia angeli seipsos et homines illuminant; secundo, quia homines homines alios illuminare posse constat ex illo Christi Domini: *Vos estis lux mundi* (5).

4. Confirmatur: quia videmus multos in animarum directione accupatos, quod si fieri non posset, non eveniret; nec Ecclesia pateretur. Ut quid enim munus hoc assumerent, si animas dirigere caelestisque doctrinae pabulo enutrire non esset in ipsorum potestate?

§. II. Solvuntur obiecta.

5. Arguitur *primo :* Apud *Matthaeum,* cap. XXIII (6), prohibet Christus Dominus homines vocari aliorum magistros; assignatque huius prohibitionis motivum, dicens (7): *Unus est enim Magister vester.* Quod adeo impressum in omnium mente voluit Magister supremus, ut, paucissimis interiectis, praeceptum iteraverit his verbis (8): *Nec vocemini magistri: quia Magister vester unus est, Christus.*

(1) *Ioan.,* c. XIII, v. 13.
(2) *De Veritate,* q. 11, a. 1; ed. Vivès, t. XIV, pp. 581b-587a.
(3) v. 11.
(4) l. c., p. 583a.
(5) *Matth.,* c. V, v. 14.
(6) v.. 7-10.
(7) l. c., v. 8.
(8) l. c., v. 10.

Ergo praeter Deum nullus alius est magister.

Respondetur ex D. Chrysostomo (9): Dominum iis verbis retundere turgidum Pharisaeorum et aliorum eos insectantium appetitum, *qui vocari volunt* (magistri) *et non esse: nomen appetunt, et officium negligunt.* Magistri munus egregium est et ignorantes instruere est opus misericordiae; sed vani isti renuunt his misericordiae operibus insudare, appetentes magistros dici et hoc specioso nomine inter ceteros eminere. Quod detestandum a suis monet Dominus, volens eos longe esse ab iis, qui auram popularem ambientes *dilatant phylacteria sua, et magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in coenis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab omnibus Rabbi* (10). Unde non magisterium condemnat, sed otiosum magistri nomen censurat.

6. Dices: hoc glossema textui non convenire; ait enim Dominus quod motivum, quare prohibet suos dici magistros, illud est, quod unus sit eorum Magister: *Unus est enim Magister vester* (11); atque adeo non quia hoc specioso titulo alii abuterentur, hanc nominationem prohibet; sed quia cum hominum Magister sit solus Deus, vanum plane est hominem hoc nomine nominari. Et hanc esse mentem Chrysostomi constat, quia inibi (12) ait: *Nolite vocari Rabbi: ne quod Deo debetur, vobis praesumatis. Nolite et alios vocare Rabbi, ne divinum honorem hominibus deferatis.* Ergo iniuria Deo irrigatur, si nomen Magistri aliis applicetur.

7. Urgetur: Inibi Christus Dominus prohibet suos vocari patres super terram (13), non quia nomen patris vanitati deserviret; quid enim commercii habere potest patris nomen cum vanitate? Prohibetur tamen Christi sectatoribus hoc nomen, quia unum solum Deum debent Patrem nominare : *Unus est enim Pater vester, qui in coelis est* (14). Ergo similiter de magistri nomine.

Respondetur: nomen magistri dupliciter sumi posse: primo simpliciter et absolute, et prout sic solius Dei proprium est, qui relate ad omnes homines angelosque Magister est. Est enim non solum addiscentium, sed etiam docentium Doctor; a nemine doctus omnes docet, quod creaturae repugnat; omnes enim, sive angeli, sive homines, quotquot docent, ab alio instructi sunt; et nomen magistri hac plenitudine nullus assumere, nec aliis deferre potest; esset enim divinum honorem sibi assumere aliisve deferre, uti ait Chrysostomus auctoritate in contrarium adducta (15). Secundo modo sumitur hoc nomen non illa amplitudine, sed modo deficienti; et prout sic Deo non convenit, sed creaturae, quae dupliciter illo uti potest: primo ad iactantiam, quod faciunt illi, qui *vocari volunt, et non esse: nomen appetunt, et officium negligunt,* prout aiebat in prima auctoritate Chrysostomus (16); sicque non vult Christus suos dici magistros cum velit sui suorumque humilitate humanam elationem protelare. Secundo sumitur hoc nomen ad aedificationem aliorum, qui instruuntur in doctrina sana, eos ab ignorantiae tyrannide liberando; et qui hoc faciunt, magistri sunt merenturque sic appellari; cum reflexione tamen quod unus est omnium Magister, Deus, qui cum omni proprietate Magister est et qui creatos magistros praemiabit, si nomine magis-

(9) *Opus imperfectum in Matthaeum,* homilia 43; Migne, P. G., t. 56, col. 879. — *Opus imperfectum in Matthaeum* apud Migne inter « *spuria* » ponitur; si credendum sit auctori *Diatribae ad Opus imperfectum in Matthaeum quod Chrysostomi nomine circumfertur* (Migne, l. c., col. 601-612) esset cuiusdam Ariani et Anomoei haeretici. — Iuxta PETRUM WASTELIUM vero auctor eius esset catholicus, nempe Ioannes XLIV (vel XLII?) episcopus Hierosolymitanus (floruit an. D. 400). cf. PETRUS WASTELIUS, O. Carm., *Ioannis Nepotis Sylvani Hierosolymitani episcopi XLIV... opera omnia cum vindiciis,* t. II, lib. II, sect. 1-4. pp. 211-342b; Bruxellae, typis Ioannis Mommartii, 1643.

(10) *Matth.* c. XXIII, v. 5-7; Hetzenauer, 976:... *ab hominibus Rabbi.*

(11) *Matth.*, c. XXIII, v. 8.

(12) l. c., col. 879-880: ...*vobis sumatis*...

(13) *Matth.*, c. XXIII, v. 9.

(14) l. c.

(15) cf. supra, num. 6.

(16) cf. supra, num. 5.

tri utantur ad aedificationem; plectet tamen, si ad iactantiam.

Quae hactenus diximus per ipsam urgentiam, quae nobis opponitur, confirmantur: Pater enim, si cum omni proprietate loquimur, solus est Pater noster, qui est in caelis. Alii vero nominantur patres, sed non cum hac proprietate: *In mundo enim,* ait laudatus Chrysostomus (17), *quamvis homo hominem generat, tamen unus est Pater, qui omnes creavit... Non enim initium vitae habemus ex Parentibus, sed transitum vitae per eos accipimus.* Quod si nomen patris defertur non generanti, sed aliis; vel celebratur adoptio, vel aetati aut gradui reveremur. *Nos si hominem Patrem vocamus,* ait Hieronymus super hunc locum (18), *honorem aetati deferimus, non authorem nostrae ostendimus vitae.* Unde idem dicendum est de utroque hoc nomine: eodem enim sensu intelligitur pro utroque prohibitio, ut docet D. Thomas, loco citato *De Veritate,* art. 1, in argumento tertio *sed contra* (19), sic disputans: *Matthaei, XXIII, simul dicitur unus est Magister vester, et unus est Pater vester. Sed hoc quod Deus est Pater omnium, non excludit, quin etiam homo vere possit dici Pater. Ergo etiam per hoc non excluditur, quin homo possit dici Magister.*

Omnia, quae tam in argumento quam in eius solutione posita sunt complexus est D. Hieronymus citatus (20) in hunc modum: *Quaeritur autem quare adversus hoc praeceptum, Apostolum Doctorem gentium se esse dixerit, aut quomodo in monasteriis vulgato sermone se invicem Patres vocant? Quod sic solvitur: aliud est esse natura Patrem vel Matrem, aliud indulgentia. Nos si hominem Patrem vocamus, honorem aetati deferimus, non authorem nostrae ostendimus vitae. Magister enim dicitur ex consortio veri Magistri. Et ne infinita replicem: quomodo unus per naturam Deus, et unus Filius, non praeiudicat caeteris, ne per adoptionem Dii vocentur, et Filii: ita et unus Pater et Magister non praeiudicat aliis, ut abusive vocentur et Patres et Magistri.*

8. Arguitur *secundo:* quia in I *Ioan.,* cap. II (21) dicitur: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos de omnibus.* Ac similiter ipse Evangelista Sanctus intonat (22): *Unctio ipsius docet vos de omnibus.* Ad quae D. Augustinus *In Epist. I Ioannis,* tract. III (23), sic fatur: *Quid ergo nos facimus, fratres, quia docemus vos? Si unctio eius docet vos de omnibus, quasi nos sine causa laboramus. Et ut quid tantum clamamus? Dimittamus vos unctioni illius.* Ex quibus omnibus manifestum est solum Deum Doctorem animarum esse.

9. Confirmatur: Nullus praeter Deum potest mentem hominis illuminare. Ergo nullus praeter Deum potest hominem instruere. Patet ista: quia docere nihil aliud est quam mentem illuminare; et antecedens probatur ex illo *Ioannis,* cap. I (24), ubi de solo Deo dicitur: *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Respondetur argumento: acatholicos uti illis et aliis auctoritatibus tum Scripturae, tum Patrum, ut falsum suum dogma tueantur. Doctore opus esse ut animae viva fide proficiant, negant, recurrentes ad internum instinctum Spiritus Sancti intus moventis. Itaque catholi-

(17) l. c., col. 880 *...generet... non initium vitae ab eis habemus, sed transitum vitae per eos accepimus.*

(18) *In Matthaeum* (cap. XXIII, v. 9), lib. IV; Migne, P. L., t. 26, col. 169.

(19) Ed. Vivès, t. XIV, p. 583a.

(20) l. c., col. 169: *Quaeritur quare adversum hoc praceptum, doctorem gentium Apostolus se esse dixerit* (II *Cor.,* V; *Coloss.* I); *aut quomodo vulgato sermone, maxime in Palaestina et Egypti monasteriis se invicem Patres vocent? Quod sic solvitur: Aliud esse natura patrem vel magistrum, aliud indulgentia. Nos si hominem patrem invocamus, honorem aetati deferimus, non auctorem nostrae ostendimus vitae. Magister quoque dicitur ex consortio veri magistri. Et ne infinita replicem, quomodo unus per naturam Deus et unus Filius, non praeiudicat caeteris ne per adoptionem dii vocentur, et filii: ita et unus et pater et magister, non praeiudicat aliis, ut abusive appellentur patres et magistri.*

(21) v. 27; Hetzenauer, p. 1186: *Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio eius docet vos de omnibus.*

(22) l. c.

(23) num. 13; Migne, P. L., t. 35, col. 2004.

(24) v. 9.

ci non negamus, sed necessarium esse dicimus auxilium Spiritus Sancti intus moventis, ut possint fideles in via spiritus proficere, sine qua motione Dei: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat,* ex *I ad Corinth.,* III (25). Et ex hac Apostoli auctoritate habemus, quid auctoritatibus nobis obiectis respondeamus; etenim Apostolus inquit (26): *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Insuperque inquit (27): *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Si ergo nihil est, qui plantat et rigat, ut quid Apostolus plantavit et Apollo rigavit?

Respondetur hoc ob duplex motivum dici. Primum est, quia Doctor principalis est Deus, sine cuius piissimo influxu aliorum directio prodesset nihil. Secundum est, quod etiam, dum aliorum directio prodest, pro nihilo habetur, si cum illa motione conferatur; eo quod *omnes gentes* (similiterque instructio earum) *quasi non sint, sic sunt in conspectu eius,* ut dicitur *Isaiae,* XL (28). Hinc ergo dicimus quod licet instructio aliorum necessaria sit, si tamen cum divina instructione comparetur, inutilis reputatur. Et haec est mens Augustini in verbis oppositis, ut ipse se explicat; atque ideo haec est intelligentia verborum D. Ioannis.

Ad confirmationem similiter respondetur: Deum esse lumen principalissime illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum (29); verum sicuti cum hoc compatitur non solum Deum esse lucem, sed etiam alios, iuxta illud *vos estis lux mundi* (30); ita etiam alii praeter Deum illuminant. De conceptu enim lucis est illuminare; unde in illa ratione, in qua de creatura aliqua dicitur quod sit lux, in illa ipsa ratione illuminat, quod de seipso testatur Apostolus, *ad Ephesios,* III (31), dicens: *Mihi enim omnium sanctorum minimo data est gratia haec in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes.*

10. Arguitur *tertio:* Facilius est docere cuiuscumque scientiae theoricam quam mysticae theologiae practicam. Solus Deus potest esse Magister hominis addiscentis theoricam cuiuscumque scientiae. Ergo potiori iure solus Deus est Magister theologiae mysticae. Consequentia certa est et etiam maior. Minor vero, in qua est difficultas, probatur multipliciter. *Primo:* quia quod requiritur ad intelligendum sunt species et lumen intellectuale. Solus Deus potest hoc lumen speciesque causare; quia cum sint formae simplices, produci non possunt, nisi per creationem, quod omni creaturae repugnat. Ergo. *Secundo:* quia qui alium docet, causat veritatem in eo. Solus Deus potest causare veritatem; quia haec per creationem causatur. Ergo. *Tertio:* quia Augustinus, *libro de Trinitate* (32), docet mentem nostram immediate a Deo formari, nulla interposita creatura. Sed si aliquis praeter Deum posset docere hominem, huius mens non immediate formaretur a Deo, sed interposito illo creato magistro. Ergo. *Quarto:* sicut voluntas nostra terminatur ad Deum, sic et intellectus ad ipsum contemplandum terminatur. Sed Deus, qui est terminus nostrae voluntatis, illam nullo mediante format per gratiae infusionem. Ergo pariter intellectum. *Quinto* denique: qui alium docet, operatur in eius anima. Solus Deus potest in anima operari. Ergo solus Deus potest hominem docere.

Respondetur, concessa maiori, negando minorem, quam nulla ex tot probationibus firmat. Non prima, quia, licet solus Deus causet lumen intellectuale, non ipse solus causat species, sed potest dici quod aliquomodo causantur ab alio, quatenus scilicet potest aliquis homini

(25) v. 7.
(26 *ib.,* v. 6; Hetzenauer, p. 1112: *...rigavit: sed Deus incrementum dedit.*
(27) *ib.,* v. 7.
(28) v. 17; Hetzenauer, p. 702: ..., *sic sunt coram eo.*
(29) *Ioan.,* c. I, v. 9.
(30) *Matth.,* c. V, v. 14.
(31) v. 8 et 9.
(32)*De Trinitate,* lib. XIV, cap. 12, num. 16; Migne, P. L., t. 42, col. 1048, cf. etiam *De Genesi ad litteram,* lib. VII, cap. 22 et 23; Migne, P. L., t. 34, col. 367-368; lib. X, col. 407 sqq.; *De diversis quaestionibus libri LXXXIII,* quaest. 51, num. 4; Migne, P. L., t. 40, col. 33.

proponere signa sensibilia intelligibilium specierum, quas ab illis signis abstrahit intellectus; unde mediis talibus signis ea proponens discipuli intellectum excitat, ut per ea discat quae ignorat.

11. Dices: Excitare ad sciendum non sufficit, ut quis dicatur causa illius intellectualis visionis. Ergo si hoc solum facit, qui illa signa proponit, non sequitur quod sit aliquomodo causa illius. Probatur antecedens primo: qui excitat ad videndum corporaliter nullomodo est causa visionis corporalis. Ergo similiter, qui excitat ad visionem intellectualem, non est causa visionis intellectualis. Secundo probatur antecedens: qui excitat ad videndum intellectualiter eum, in quo scientia supponitur, non est causa talis visionis. Ergo nec qui excitat eum, in quo scientia non supponitur.

Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dic: visum corporalem aequaliter omnia sua obiecta videre; unde non discurrit inter illa, ut haec medio aliquo alio attingat. Potest tamen corporaliter videns ab alio ad videndum excitari; non quia visui virtutem praestet, sed quia obiectum proponit, illud indigitando; quod minime sat est, ut visionis causa sit. Visio autem intellectualis est collectiva, nec sua obiecta aequaliter respicit, sed haec mediantibus aliis cognoscit. Ea enim, quae sunt per se nota, statim intelligit, nec ad eorum cognitionem magistro indiget. Verum quia in his principiis multa implicite continentur, quae mens humana vel summa difficultate, vel nullomodo sine doctore cognoscere potest; propterea, qui haec eum docet mediis signis, quae proponit, magister ipsius est. Sic enim excitans se habet ut motor essentialis educens de potentia in actum; excitans vero ad cognitionem eius, cuius notitia supponitur, non movet ad cognoscendum illa, quae ignorantur, sed ad considerandum ea, quae iam sciuntur; atque adeo tam hic quam excitans ad videndum corporaliter non sunt motores essentiales, sed accidentales. Excitans autem ad cognitionem eorum, quorum scientia non supponitur, non movet ad considerationem scitorum, sed praebet notitiam eorum, quae ignorantur; unde est motor essentialis; eoque illius scientiae causa est. Per quod patet ad utramque antecedentis probationem.

Ad secundam probationem minoris respondet D. Thomas, quaest. citata *De Veritate*, art. 3 (33), sic: *Ad sextum dicendum, quod ille qui docet, non causat veritatem, sed causat cognitionem veritatis in discente. Propositiones enim, quae docentur, sunt verae antequam sciantur: quia veritas non dependet a scientia nostra, sed ab existentia rerum.* Ad tertiam dicas: mentem Augustini non esse excludere creatum magisterium, cum integrum tractatum *De Magistro* scripsisset (34). Ibi tamen improbat opinionem eorum, qui dixerunt, mentem humanam formari per continuationem cum intelligentiis. Hoc improbat Augustinus statuens humanam mentem perfectionem ultimam habere per coniunctionem ad Deum. Ad quod non obest quod ipsa mens ultimo a Deo perficienda, prius instruatur in iis, quibus mediis consecutura est a Deo illam suam perfectionem. Nec ex hoc sequitur quod ille, a quo instruitur, mediet inter Deum et mentem perficiendam; non enim mediante D. Stephano perficitur a Deo mens D. Pauli.

12. Si autem haec doctrina, quae est Angelici Praeceptoris, brevius videre desideras, dic cum eodem Angelico Praeceptore, quaest. 9 *De Veritate*, art. 1, ad 1 (35): *Dicendum quod Augustinus loquitur de formatione ultima, qua mens formatur per gratiam; quae est immediate a Deo.*

Ad quartam probationem dicendum inter intellectum et voluntatem dari hoc discrimen quod, licet intellectus non possit cogi a subiecto, sicut potentiae sensitivae, quia non est potentia organo affixa; cogitur tamen ab obiecto: *Quia ex*

(33) Ed. Vivès, t. XIV, p. 592a.
(34) *De Magistro liber unus;* Migne, P. L., t. 32, col. 1193-1220.
(35) Ed. Vivès, t. XIV, p. 528a.

efficacia demonstrationis cogitur quis conclusioni consentire, ait Angelicus Doctor, quaest. 11 praecitata (36). Voluntas autem nec a subiecto, nec ab obiecto cogitur; unde nemo potest in eam imprimere, nisi solus Deus, qui interius operatur. Ast in intellectum quodammodo imprimit, qui obiecta quibus cogitur, repraesentat. Eoque licet solus Deus possit in voluntatem imprimere, in intellectum imprimunt quotquot modo dicto operantur, illum media doctrina formantes.

Ad ultimam respondetur: solius Dei esse operari immediate in anima; at mediate operatur doctor, quatenus signa sensibilia proponit, a quibus intellectus agens abstrahit species intelligibiles, quas imprimit in intellectu possibili; ac per hoc dicitur illius scientiae causa scientisque magister.

13. Arguitur *quarto* (37): Deus est animae Magister, quia lumen illi communicat, ut initio quaestionis dicebamus. Ergo alius praeter Deum non potest animam illuminare. Probatur consequentia: quia sicut se habet corpus ad lumen corporale, ita spiritus ad lumen spirituale. Sed corpus illuminatum a lumine superexcellente non illuminatur simul a minori lumine, sicut aer illuminatus a sole non simul illuminatur a luna. Ergo nec anima illuminata a Deo potest simul illuminari ab alio.

Hoc argumentum proponit D. Thomas, quaest 9 citata (38) solvitque sequenti doctrina: *Ad tertium dicendum, quod non est simile de lumine corporali et spirituali. Quodlibet enim corpus potest indifferenter illuminari a quocumque lumine corporali; quod ideo est, quia omne lumen corporale ad formas visibiles aequaliter se habet. Sed non quilibet spiritus potest aequaliter illuminari quolibet lumine; quia quodlibet lumen non aequaliter continet formas intelligibiles; lumen enim supremum continet formas inteligibiles magis universales. Et ideo cum inferior intellectus sit proportionatus ad accipiendam cognitionem per formas magis particulares, non sufficit ei, quod illuminetur a superiori lumine; sed oportet, quod illuminetur lumine inferiori ad hoc quod in cognitionem rerum adducatur.* Sic Angelicus Praeceptor ostendens discrimen inter lumen corporale et spirituale. Ut enim anima a Deo illuminetur, mediant alia lumina inferiora proportionata inferioritati animae. Et hoc lumen praestatur a doctore creato, qui, ut saepius diximus, media proportione signorum sensibilium offert id, a quo intellectus agens species intelligibiles abstrahat, quas in intellectu possibili imprimat.

14. Dices: Si, quia doctor sensibilia proponit, a quibus intellectus agens abstrahit intentiones illas intelligibiles, quae describuntur in intellectu possibili, est magister eius, in quo tales species describuntur; sequitur quod munus hoc magistri potius intellectui agenti discipuli conveniat. Hoc non est dicendum. Ergo nec illud ex quo sequitur. Probatur sequela: idipsum, quod doctor mediate facit, facit immediate intellectus agens describens in intellectu possibili eas ipsas intelligibiles intentiones iam ab ipso abstractas. Ergo munus magistri potius intellectui agenti discipuli attribui debet quam doctori.

Objectio haec seria attentione est digna, nec potest adaequate solvi, nisi plurima ad eius expensionem inculcentur; quod ut fiat, exsurgat

QUAESTIO SECUNDA

Utrum aliquis possit esse magister suiipsius?

Prorsus idem est quod homo aliquis sit suiipsius magister ac quod talis ho-

(36) Quoad sensum; ed. Vivès, t. XIV, p. 581b sqq.
(37) In antiquis editionibus erronee ponitur: « *tertio* ».
(38) art. 1; ed. Vivès, t. XIV, p. 528.

minis intellectus agens subire possit magistri denominationem per illam in intellectu possibili specierum impressionem, de qua quaestione praecedenti locuti fuimus.

§. I. Breviter aliqua supponuntur dubiumque duplici conclusione deciditur.

15. Ante quaestionis resolutionem scias primo, magistri nomen non improprie in praesenti sumi, sed proprie et rigorose; sic enim illud accipit D. Thomas, dicta quaestione 11 *De Veritate,* art. 2 (1), sicque difficultatem habet. Si autem improprie sumatur, nullam difficultatem continet expensione dignam. Certum enim est, posse quemquam suiipsius esse magistrum, si hoc nomen sumatur improprie, ut ex progressu patebit.

16. Scias secundo: nos in praesenti loqui non solum de practica mysticae theologiae, sed etiam de ipsius theorica. Unde quaestionis titulus sic paraphrasandus est: an aliquis possit esse dicique proprie et cum omni rigore suiipsius magister, non solum ut speculative addiscat mysticam theologiam, in quo haec scientia cum theologia scholastica aliisque scientiis convenit; sed etiam ut practice imbuatur exerceatque quae huius arcanae scientiae propria sunt.

17. Nostra prima conclusio: *Nemo potest suiipsius esse magister in addiscendo theologiam mysticam quoad speculationem.* Sic D. Thomas, art. citato (2), a quo nemo dissentire debet. Probaturque conclusio ex Philosopho, VIII *Physicorum* (3), adducto a D. Thoma, citato loco (4), ex quibus haec ratio construitur: Impossibile est docentem ut docentem addiscere. Ergo impossibile est quempiam posse esse sui magistrum in speculatione scientiae mysticae comparanda. Patet ista ex antecedenti, quod praeterquam quod est citati Philosophi, probatur: docens ut talis habet scientiam, qua caret addiscens. At impossibile est quemquam simul habere scientiam aliquam eaque carere. Ergo.

18. Confirmatur: Magistri nomen proprie convenire non potest ei, qui non est ter magis doctus quam ille, quem docet. Sed omnino impossibile est quempiam esse ter magis doctum respectu suiipsius et relate ad eandem scientiam. Ergo. Minor est evidens tum ex se, tum quia, si implicat, ut vidimus, aliquem simul scire et ignorare, potiori titulo repugnabit scire ter magis et penitus non scire. Maior probatur ex ipso *magistri* nomine: eo enim magister sic dicitur, quia magis ter debet scire quam discipulus, ut notavit Illustrissimus Caramuel (5). Ergo non scienti ter magis quam discipulus convenire non potest magistri nomen, nisi ad summum improprie.

19. Secunda conclusio: *Nemo potest esse director suiipsius in exercitio mysticae theologiae.* Assertionem istam mystae omnes defendunt, requirentes ductum spiritualis magistri, ut in via spiritus procedatur, et huius magistri seriam electionem admonentes; cum autem nullus seipsum eligere in magistrum possit, supponunt alium ab addiscente debere esse magistrum. Hanc etiam esse D. Thomae mentem articulo citato clare constat hoc discursu: minus difficile est speculationem scientiae mysticae addiscere quam eius exercitium, ut diximus quaestione praecedenti. At nemo potest suiipsius esse magister in addiscenda speculatione scientiae mysticae, ut vidimus in prima conclusione et ex Philosopho et Angelico Praeceptore comprobavimus. Ergo nec in addiscenda eius practica.

---

(1) Ed. Vivès, t. XIV, pp. 587b-588b.
(2) l. c.
(3) cap. 5, num. 8; ed. Didot, t. II, p. 352; Bekk., 257b, 4.
(4) *Sed contra,* ed. cit., p. 588a.
(5) IOANNES CARAMUEL, *Caramuelis Dominicus: hoc est, Venerabilis P. Dominici a Iesu-Maria, Parthenii Ordinis Carmelit. Excalceat. Generalis, virtutes, labores, prodigia, ecstases, et revelationes; quibus lectorum instruitur ingenium, et voluntas formatur.* Viennae in Austria, apud Matthaeum Cosmerovium 1655 (in fol.) lib. VI, cap. 3, §. 1, p. 401b: *Qui enim ter doctior aliis dicitur, Magister est (inde nomini occasio) et legendo, scribendo, docendo, debet allaborare.*

20. Deinde probatur assertio iisdem fere motivis, quibus praeteritam probavimus. Etenim magister spiritualis debet esse expertus in scientia mystica non solum in speculatione, sed etiam in practica; quod non solum intelligitur de practica alios dirigendi, sed etiam, et maxime, quia debet ipse esse exercitatus in via spirituali scireque experimentaliter, quae in hoc difficillimo itinere se offerunt; aliter suum munus obire non poterit. Ergo nullus potest esse suiipsius magister in addiscendo hanc practicam. Patet ista: quia qui hanc arcanam scientiam addiscit, de ea experientiam non habet. Antecedens autem est Sanctissimae Matris nostrae Theresiae, libro *Vitae,* cap. 13 (6), ubi ait: *Importa mucho el ser Maestro avisado, digo de buen entendimiento, y que tenga experiencia, y si con esto tiene letras, es de grandissimo negocio: mas si no se pueden hallar estas tres cosas, las dos primeras importan mas; porque Letrados pueden procurar para communicarse con ellos, quando tuvieren necessidad.* Est dicere: Multum interest quod magister sit bono intellectu praeditus et expertus; si alterius doctus fuerit, ab hoc pondus maximum erit ad utilitatem animarum. Ast si tria haec reperiri (7) non possint, duo priora magis conferunt ad animarum utilitatem; quia viri docti consuli possunt in casu necessitatis (8). Consonat (9) D. Laurentius Iustinianus apud Vallgorneram, quaest. 2, disp. 6, art. 16, num. 3 (10), dicens: in magistrum *eligatur ille, qui discretione sit providus, experientia probatus, ordinatus moribus.* Quod ideo dicit, quia ut ipse subdit (11): *Quemadmodum caecus a nativitate, quanvis naturalis ingenii acumine polleat, non nisi opinative valet de coloribus iudicare; ita nec spiritualibus potest ad plenum sensum proferre, qui eorum steterit inexpertus.* Et sane cum sit effatum Philosophi (12) *experientia excedit artem,* plane sequitur experientiam in docente practicam mysticae theologiae requiri, nec sufficere theoricam.

21. Nec solum ex hac parte implicat aliquem posse esse suiipsius magistrum in exercitio mysticae theologiae, sunt et alia motiva; inter quae eminet quod ambulans per viam spiritus debet propriam voluntatem sacrificare, dictamen proprium in omnibus deponere et ductum alterius sequi. Sed hic idem est ac non posse seipsum dirigere; si namque seipsum dirigere posset, non teneretur quaerere ductum alterius, nec illi subiici propriumque dictamen deponere. Ergo.

22. Confirmatur: quia magister spiritualis debet esse iudex eorum, quos dirigit, iam tempus ad meditationem assignans, iam transitum ad contemplationem disponens, iam alia plurima exercens, de quibus libri mystici (nec finem faciunt) loquuntur. Inter quae multoties ferula ad correctionem et experimentum uti debet. Sed nemo in propria causa et adeo ardua iudex esse potest. Ergo nec seipsum dirigere.

23. Dices: In examine conscientiae quisque est suiipsius iudex, immo et alia munia exercet requirentia maximam personarum distinctionem ; siquidem defectus proprios inquirit, de illis seipsum accusat, quam accusationem coram seip-

(6) Ed. crit., t. I, p. 98: *Importa mucho ser el maestro avisado, digo de buen entendimiento, y que tenga experiencia; si con esto tiene letras, es grandisimo negocio. Mas si no se pueden hallar estas tres cosas juntas, las dos primeras importan más; porque letrados puede procurar para comunicarse con ellos cuando tuvieren necesidad.*

(7) In IV ed. legitur: « *Ast si tria haec si reperi* ».

(8) In I ed. legitur: « Permagni ergo refert, instructorem virum prudentem, et cordatum esse, boni, inquam, ingenii, et multae experientiae: si praeterea doctus sit, et litteratus, hoc magnum quid est et peroptandum. At si tria haec simul in uno reperiri nequeant, duo priora potiora, et maioris momenti sunt: doctos quippe viros facile aliunde habere, et comparare possunt, ut, si quando opus habebunt, cum illis de rebus suis conferant ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: « Nimis ergo refert instructorem prudentem... et majori (sic) momenti sunt: doctos quippe viros facile aliunde haberi, possunt, ut cum opus fuerit, cum illis de rebus suis conferant ».

(9) In I et Neapol. ed.: « *Consonant* ».

(10) Ed. 1911, t. I, p. 267, num. 371.

(11) l. c.: *Quemadmodum nullus a nativitate caecus, quamvis... ita neque de spiritualibus..., quisquis eorum extiterit inexpertus.*

(12) ARISTOTELES, *I Metaphys.*, cap. 1, num. 4; Didot, t. II, p. 468; Bekk., 981a, 4.

so facit, adversus seipsum sententiam ut iudex pronuntiat, coram seipso ut reus sistitur, et poenam a seipso taxatam sustinet applicatque. Ergo pariformiter non implicat quod sit suiipsius iudex seipsum dirigens in practica mysticae theologiae.

Respondetur : causam propriam arduam substerni minime posse iudicio proprio ob plurima imminentia pericula. Quod patet vel in exemplo allato examinis conscientiae. Etenim, si in illo reum quis seipsum inveniat gravis criminis, non sat est ut coram seipso de illo crimine se accuset, nec ad hoc iudex est, sed debet culpa illa per sacram exomologesim expiari. Potest enim sua delicta inquirere, de illis se accusare et applicare sibi paenitentiam iniunctam; quod omne arduum non est; nec duo priora ab alio fieri possent; unde ob hoc quisque erga seipsum potest facere, et hoc non solum in examine conscientiae, sed etiam in confessione sacramentali; ceterum, quod arduum est et ab alio fieri potest, ut est absolutionem sacramentalem obtinere, non potest quis sibiipsi illam praebere, sed ab alio obtinenda est. Ex quo habetur quod, cum mysticae theologiae exercitium sit inter res arduas summe arduum et ab alio possit regulari; pro ilius regulatione director quaerendus est.

§. II. Argumenta contra utramque conclusionem soluta.

24. Contra primam conclusionem arguitur *primo* argumento posito ad calcem quaestionis anterioris, quod praesenti quaestioni ansam praebuit, potestque sub hac forma proponi: Intellectus agens facit immediate quod mediate facit doctor; siquidem describit in intellectu possibili intelligibiles species ab ipso abstractas. Ergo intellectus agens magistri munus exercet; eoque potest quisque suiipsius esse magister.

25. Confirmatur: Qui intellectum possibilem illuminat ad veritatis cognitionem, magister est subiecti illuminati. Sed intellectus agens illuminat intellectum possibilem. Ergo. Consequentia bona est et utraque praemissa est D. Thomae iam citati.

Respondetur argumento: ita esse, quod intellectus agens immediate adscribit in intellectu possibili species illas, quas abstrahit a signis intelligibilibus propositis a magistro; verum ex hoc non sequitur quod magisterium exerceat, nisi valde improprie. Ratioque ea est quam tradidit Angelicus Doctor articulo citato, ad primum (13), videlicet quod intellectus agens non habet scientiam perfecte et complete, quam certe magister habet; unde licet species illas describat illuminetque intellectum possibilem, magistri nomen non meretur. Per quod patet ad confirmationem.

26. Dices: Praeter Deum nullus datur, qui sit proprie magister, sed improprie et *abusive,* ut supra num. 7 dicebat D. Hieronymus. Ergo si quod facit intellectus agens, sat est ut improprie magisterium exerceat, idem ipse facit ac quilibet creatus magister.

Respondetur: creatum directorem non improprie, sed cum omni proprietate magistrum esse; quia id facit quod magistri proprie dicti proprium est, scilicet discipuli mentem illuminare ea luce, quam ipse perfecte habet. Si autem hoc magisterium cum divino conferatur, *abusive* tale ac deficiens est, non tamen improprium. Est *abusive* ac deficiens, quia omnis eius scientia cum divina comparata summa ignorantia est; et etiam, quia discipulum instruere non potest nisi valde aegre et aliquando opinative procedens; ac denique (et hoc solum sufficeret) quia illa scientia, qua fulget, non a se, sed veluti mutuatam habet. Quod egregie tradidit D. Thomas, *super cap. XXIII D. Matthaei* (14) dicens: *Ille*

(13) Ed. Vivès, t. XIV, p. 588b.

(14) Ed. Vivès, t. XIX, p. 557b-558a: *...et sic solum unus...*

proprie dicitur Magister, qui doctrinam habet a se, non ille, qui traditam ab alio, aliis dispergit: et sic solus unus est Magister, scilicet Deus, qui proprie doctrinam habet, sed ministerio multi sunt Magistri. Videatur idem Angelus *super Isaiam* (15) ad illa verba: *Mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi Magistrum.* Videatur etiam Extaticus noster Parens in *Flamma,* cantione III, §. 9 (16). Ex quibus patet, quare magisterium humanum licet in se proprium ac perfectum sit, collatum tamen cum divino magisterio deficiens ac summa ignorantia sit; consequenterque patet discrimen inter illud et intellectum agentem.

27. Arguitur *tertio:* Scire aliquid per inventionem perfectius est quam ab alio discere, teste Philosopho I *Ethicorum* (17). Ergo qui per inventionem aliquid addiscit, meretur magistri nomen. Modo sic: sed multi per inventionem plurium veritatum sibi comparant cognitionem. Ergo isti suiipsorum sunt magistri.

28. Confirmatur: Sicut doctor est causa scientiae in discipulo, sic medicus est causa sanitatis in infirmo. Sed medicus non solum aliis, sed etiam sibi dum infirmatur, medetur, estque causa propriae sanitatis. Ergo etiam potest aliquis seipsum docere.

Respondetur argumento quod, ut dictum est, nomen magistri non sumitur a modo perfectiori influendi in scientiam, ut vidimus de intellectu agente; sed ex eo quod influens habeat plene scientiam illam, qua alium imbuere satagit. Verum quidem est quod acquirens scientiam per inventionem perfectiori modo procedit quam illam ab alio accipiens, quia exprimit superiorem habilitatem, cum sibiipsi scientiam comparet, quin egeat alterius ductu. Ceterum ex parte scientiam causantis perfectior est qui illam aliquem doctrinaliter docet, quam qui sibi eam per inventionem lucratur; quia iste eam perfecte non habet, alias non inveniret illam de novo; ille vero eam plene possidet; unde expeditius procedit quam ille alius.

Ad confirmationem respondetur, quod medicus infirmus habet sanitatem in cognitione artis, licet ea careat actu. Et prout habet perfectam cognitionem sanitatis ac modi, quo curari debet, sibiipsi medetur. Ast qui scientia caret, nullo modo habet scientiam nisi in suis principiis sub quadam communitate et confusione, quae cognitione imperfecta est; atque adeo per eam nomen magistri sibi comparare non potest.

29. Contra secundam conclusionem arguitur *primo :* potest quis habere eas omnes dotes, quae in directore desiderantur. Ergo iste poterit seipsum dirigere. Antecedens certum videtur; et consequentia probatur: ideo medicus corporum potest non solum aliis, sed etiam sibiipsi mederi (18), quia habet in mente quidquid requiritur ad medendum. Ergo ille, qui scit quod requiritur ad dirigendum alios, potest seipsum dirigere.

30. Confirmatur ex glossa Hieronymi ad cap. XXVII *D. Matthaei* (19), ubi contra Iudaeos Christo Crucifixo dicentes : *Alios salvos fecit seipsum non potest salvum facere,* inquit: *Vestra vos condemnat sententia, qui enim alios salvos fecit, utique si vellet, et seipsum salvare poterat.* Quod certe non absimiliter verificatur in nostro casu, siquidem homo, de quo loquimur, posset alios media sua directione salvos facere, cum seipsum dirigere et media sua directione salvum facere non valeret. Ergo ne hoc inconveniens sequatur, dicere debemus homo iste seipsum dirigere potest.

Respondetur argumento negando antecedens cum D. Thoma, quaestione citata *De Veritate,* art. 2, argumento 2

(15) Cap. L, v. 4; ed. Vivès, t. XIX, p. 25b.

(16) *Llama de Amor viva,* canc. III, v. 3, §. 9; ed. crit., t. II, pp. 452 sqq. — *Primera Llama de Amor viva,* canc. III, v. 3, §. 9; t. II, pp. 659-660. — cf. *Isagoge,* lib. I, n. 60, p. 30.

(17) scil. Hesiodi versus, quos refert ARISTOTELES *I Ethic.*, cap. 4 fine, num. 7; ed. Didot, t. II, p. 3; Bekk., 1095b, 10.

(18) Sic in Neapol. ed.; in I et IV vero legitur : « *medere* ».

(19) v. 42, Migne, P. L., t. 26, col. 211: *Vos vestra condemnat... vellet, seipsum salvare poterat.*

sed contra (20), ubi ait Angelicus Doctor: quod *magisterium importat relationem superpositionis, sicut et Dominus. Sed huiusmodi relationes non possunt esse alicuius ad se ipsum, non enim est aliquis Pater sui ipsius, aut Dominus. Ergo nec aliquis potest dici sui ipsius Magister.* Ex qua Angelica doctrina cognoscitur falsitas antecedentis; nemo enim habere potest omne, quod requiritur, ut magister sit, si non adsit personarum differentia. Non negamus posse aliquem eximie illis dotibus fulgere, quibus possit alios dirigere. Ceterum iste seipsum dirigere non valet; tum propter modo dicta; tum etiam propter abnegationem propriae voluntatis, quam habere debere dictum est. Unde sicut habens quidquid requiritur ad confessiones audiendas, seipsum absolvere non potest, sic etiam nec qui alios dirigit in theologiae mysticae practica, seipsum dirigere potest.

Ad confirmationem respondetur glossam Hieronymi pro nobis esse. Si namque Christus vellet, posset seipsum in cruce liberare; sed non voluit; et quare non voluit? Quia *oportuit Christum haec pati, et ita intrare in gloriam suam* (21). Sic enim decretum erat a Patre, cuius voluntati obsequens Salvator noster non voluit intrare in gloriam suam, nisi per viam crucis. Similiter ergo decretum a Deo est (de quo postea) omnes quotquot viam spiritus lustrant, quamquam sapientisimi sint, propriam voluntatem abnegare et tollere crucem obedientiae, eius ductum promptissime insequentes. Quiaque haec requirunt personarum distinctionem, propterea seipsum dirigere potest nemo.

31. Sed obiicies, et sit *secundum* argumentum: Sicut magisterium respicit alium, quem doceat, ita lex respicit alium quem liget. Sed potest quis sibi esse lex. Ergo et magister. Minor, in qua est difficultas, probatur ex *ad Rom.* II (22), ubi dicitur: *Cum gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Cui consonat idem Paulus I *ad Timotheum,* I (23), ubi ait: *Iusto lex non est posita;* quod non ob aliud esse potest, nisi quia ipse est sibi lex; propter quae D. Thomas, art. 2 dictae quaestionis, ad 5 (24), concedit aliquem posse sibi legem esse.

Respondetur primo negando minorem, ad probationem dicas: Apostolum loqui de gentibus, qui, iuxta D. Thomae expositionem (25), conversi ad legem evangelicam *naturaliter, hoc est, per naturam gratia reformatam:* vel *naturaliter, id est, per legem naturalem ostendentem eis quid sit agendum... naturaliter faciunt ea, quae sunt legis, id est, quae lex mandat, scilicet quantum ad praecepta moralia, quae sunt de dictamine rationis naturalis.* Isti autem non sunt ipsa lex, dicuntur tamen esse, quia lex, ex Philosopho, *X Ethicorum* (26), est *sermo coactionem habens ab aliqua prudentia, et intellectu procedens.* In his autem nulla coactio datur, ut faciant ea, quae legis sunt, cum *naturaliter,* hoc est, ultronei illi obtemperent; unde sibiipsis sunt lex, hoc est, seipsos cogunt ut legis mandata observent. Distinctio autem inter legislatorem, legem et lege ligatum semper adest.

Ast, quia praecipua intentio argumenti est quod quis potest sibi legem imponere, ut aliquod opus bonum faciat; atque adeo potest sibi esse legislator et subditus, consequenterque poterit esse magister et discipulus; ideo

Respondetur secundo: esse discrimen inter legem et magisterium; quamobrem D. Thomas in oppositum adductus ait: (27): *Ad quintum dicendum quod hoc modo se habet lex in operabilibus,*

(20) Ed. Vivès, t. XIV, p. 588a.
(21) *Luc.*, c. XXIV, v. 26; Hetzenauer, p. 1039: *Haec oportuit pati Christum, et...*
(22) v. 14; Hetzenauer, p. 1099: *Cum enim Gentes....*
(23) v. 9; Hetzenauer, p. 1154: *Lex iusto...*
(24) l. c., p. 588b.
(25) *In epist. ad Romanos,* cap. II, lect. 3; ed. Vivès, t. XX, p. 417: *Naturaliter, id est per naturam...*
(26) cap. 9, num. 12; ed. Didot, t. II, p. 128; Bekk., 1180a, 21.
(27) *De Veritate,* q. 11, a. 2, ad 5; ed. Vivès, t. XIV, p. 588b: *...sibi lex, possit sibi esse magister.*

sicut principium in speculativis, non autem sicut Magister: unde non sequitur, quod si aliquis est sibi lex, quod possit sibi esse Magister. Ex quo habemus disparitatem inter legem et magisterium, consistitque in eo, quod lex in operabilibus se habet ut principium in speculativis; et sicut principia habet homo sine magistro, sic et legem. Unde sicut cognitionem principiorum habet naturaliter homo, sic etiam in operabilibus habet cognitionem eorum, quae sunt legis. Ex qua cognitione oritur quod sibiipsi possit imponere legem, ut faciat ea, quae cognoscit legis esse. Non autem assimilatur lex magistro. Videatur D. Thomas locis citatis *ad Rom.* et *ad Timotheum* (28), ubi aliqua habet praesentis materiae propria.

QUAESTIO TERTIA

Utrum in mysticis possit angelus hominem edocere?

32. Explorantes quis sit ille alius, qui hominem docere valet praeter Deum, quaerimus: an iste sit bonus angelus, qui taliter animam instruat ut non egeat alterius directione? Et observa quod non loquimur de angelo visibiliter et in corpore assumpto apparenti loquentique cum homine locutione sensibili, sic enim *non aliter Angelus quam homo docet*, ait D. Thomas, dicta quaestione, art. 3, in corpore (1). Loquimur autem de angelo prout modo sibi proprio, videlicet invisibiliter operatur; et loquimur etiam secundum ea, quae praesentis providentiae propria sunt, non extendentes considerationem ad ea, quae possent alias fieri.

§. I. Deciditur dubium.

33. Sit prima assertio: *Angelus potest esse hominum magister in addiscenda mystica theologia.* Sic D. Thomas praecitatus, estque conclusio haec apud omnes indubitata, quae probatur ratione simul et auctoritate. In republica supernorum agminum statutum est a divina providentia, ut primi doceant immediate sibi inferiores et isti alios usque ad ultimum. Ergo etiam homines ab angelis instruuntur. Antecedens est D. Dionysii, cap. 7 *De caelesti Hierarchia* (2), ubi ait: *Hoc theologi plane tradunt, inferiores caelestium naturarum ordines a superioribus rite divina opera explicantibus scientias discere, summos autem a Deo doceri mysteria.* Idem habet passim D. Thomas, ex quo probatur consequentia: nam quaest. 12 *De Veritate*, art. 8, ad 4 (3), ait: *Operatione Angeli lumen naturale in intellectu humano divinitus confortatur, et secundum hoc hominem Angelus illuminare dicitur.* Deinde probatur ratione dicta consequentia: eo enim angeli inferiores docentur a superioribus, quia non immediate, sed his mediis a Deo in illos divina lux derivatur. Sed etiam mediis angelis derivatur ad homines lux divina. Ergo, Probatur minor: eo enim mediis superioribus angelis confertur inferioribus lux divina, quia isti illam percipere non possunt, quin eorum captui attemperetur virtute angeli superioris. Ergo similiter, ut homines lucem divinam percipere valeant, requiritur angelorum mediatio.

34. Confirmatur: Corpora suprema influunt in infima corpora. Ergo etiam spiritus superiores influunt in inferiores spiritus, quorum omnium inferior est anima rationalis, qua homo constat. An-

(28) *In epist. ad Romanos*, cap. II, lect. 3; ed. Vivès, t. XX, p. 417. — *In epist. I ad Timotheum*, cap. I. lect. 3; ed. Vivès, t. XXI, pp. 456 sq.

(1) *De Veritate*, q. 11, a. 3; ed. Vivès, t. XIV, p. 591a.

(2) Text. graec., Migne, P. L., t. 3, col. 209 (§. 3).

(3) Ed. Vivès, t. XIV, p. 618a.

tecedens certum est; et consequentia constat a paritate doceturque a D. Thoma quaest. dicta, art. 3, in argumento 3 *sed contra* (4), ubi ait: *Ordo divinae sapientiae non minus est in Angelis, quam in corporibus coelestibus, quae imprimunt in haec inferiora.* Et similiter inibi, quaest. 9, art. 1 (5), probat idem D. Thomas angelos superiores inferiores angelos docere simili paritate, quae potest sic ad nostrum intentum applicari: *Lumen spirituale est efficacius, quam corporale; sed superiora corpora illuminant inferiora.* Ergo et angeli homines illuminant.

35. Praedicta omnia robur accipiunt doctrina nostri Extatici Doctoris, qui nostram conclusionem tuetur in suo *Cantico spirituali,* ubi cantione secunda angelos animarum pastores vocat assignatque rationem, quae consistit in eo quod explicat hisce verbis (6): *Tambien se pueden entender estos Pastores de el alma por los mismos Angeles: porque no solo llevan á Dios nuestros recados; sino tambien traen los de Dios á nuestras almas, apacentandolas, como buenos Pastores de dulces communicaciones, é inspiraciones de Dios, por cuyo medio Dios tambien las haze, y ellos nos amparan, y defienden de los lobos, que son los Demonios.* Hoc est: Per hos pastores etiam possumus intelligere angelos; quia isti non solum offerunt Deo nostras deprecationes, verum etiam de Dei dispositionibus certiores faciunt animas nostras pascentes illas tanquam boni Pastores salutaribus communicationibus et inspirationibus Dei, qui etiam ipsis angelis ministrantibus caelestia nobis communicat et inspirat; et iidem angeli nos protegunt ab infernalibus lupis (7). Hactenus Eximius hic mysticus, qui cantione VII (8) eandem materiam prosequens ait:

Y todos quantos vagan,
De ti me van mil gracias refiriendo,
Y todos mas me llagan,
Y dexanme muriendo
Un no sé qué, que quedan balbuciendo (9).

In cuius cantionis declaratione inquit (10): *Da á entender* (scilicet anima) *estar llagada de amor á causa de otra noticia mas alta, que de el Amado recibe por medio de las criaturas racionales, que son mas nobles que las otras, las quales son angeles y hombres.* [Indicat se (scilicet anima) esse amore plagatam ob altiorem notitiam, quam ab Amato accipit per medium creaturarum rationalium, aliis nobiliorum, quae sunt angeli et homines (11).] Et ista doctrina, seu lux quae ab angelis in homines descendit, explicat versu 2 (12) sic: *Dandome á entender admirables cosas de*

(4) Ed. Vivès, t. XIV, p. 590b: *Praeterea, ordo divinae sapientiae perfectius invenitur in spiritualibus quam in corporalibus; sed ad ordinem inferiorum corporum hoc pertinet ut inferiora corpora perfectiones suas consequantur ex impressione corporum superiorum: ergo etiam inferiores spiritus, scilicet spiritus humani, perfectionem scientiae assequuntur ex impressione superiorum spirituum, scilicet Angelorum.*

(5) 3 argument. *sed contra;* ed. Vivès, t. XIV, p. 527b.

(6) *Cántico espiritual* (II escritura), canc. II, v. 2; ed. crít., t. II, p. 184: *...nuestros recaudos,...* — *El primer Cántico espiritual,* l. c.; ed. crít., t. II, p. 506: *También se pueden entender por estos pastores que aquí dice el alma, por los mesmos ángeles, porque no sólo llevan á Dios nuestros recaudos, sino... de dulces inspiraciones y comunicaciones de Dios, por cuyo medio también Dios las hace, y ellos nos amparan de los lobos que son los demonios.*

(7) In I ed. sequens versio legitur: « Pastores isti possunt etiam intelligi ipsos Angelos esse; quia non solum ad Deum subeunt offerimenta nostra, sed etiam quae a Deo sunt, in animas nostras descendunt, illas, ut boni pastores, communicationibus, Deique inspirationibus pascentes, per quorum medium etiam Deus illas efficit, ipsique nobis subveniunt adversus lupos, scilicet Daemones ». — Similiter in Neapolit. ed., praeter : « ...ad Deum efferunt nostras oblationes, sed etiam quae a Deo sunt, in animas nostras deferunt, illasque ut boni... Deus illas operatur: ipsique... ».

(8) Ed. crít., t. II, pp. 200 y 517... *Y déjame muriendo...*

(9) In ed. Neapol. additur:

« Tutti quei, che à te vacan
Mille grazie di te mi van dicendo.
E tutti più d'impiagan,
E mi lascian morendo
Un no so che, che restan balbutendo ».

(10) *El primer Cántico espiritual,* canc. VII; ed. crít., t. II, p. 517. — *Cántico espiritual* (II escritura), canc. VII; ed. crít., t. II, p. 200: *...son los angeles y hombres.*

(11) Sic in I ed.; similiter in Neapolitana, praeter: « ...se esse amore plagatam..., per aliud medium creaturarum, scilicet rationalium,... ». Haec versio deest in IV editione.

(12) Ed crít., t. II, p. 202-203. — *El primer Cántico espiritual,* l. c., p. 519: *Danme á entender... de tu Encarnación...*

gracia, y misericordia tuya en las obras de la Encarnacion, y verdades de fee, que de ti me declaran. [Tribuendo mihi intelligentiam rerum mirabilium gratiae et tuae misericordiae in operibus Incarnationis atque fidei veritatum, quas mihi de te ostendunt (13).]

36. Secunda conclusio: *Solus angelus non sufficit ad hominis directionem.* Loquimur iuxta modum, quem stabilitum habet divina providentia. In quo sensu licet fateamur angelorum erga homines magisterium, hoc solum non sufficere asserimus. Conclusio haec est de mente omnium mysticorum asserentium necessarium esse ductum spiritualis magistri, ut via spiritus ambuletur; qui omnes non loquuntur de magisterio angelico; ei enim convenire non possunt conditiones ab hoc spirituali magisterio requisitae, ut ex dicendis constabit.

Probatur ergo primo conclusio hac ratione: Discipulus requirit magistrum, ut eum dirigat auferens dubia occurrentia. At haec per angelum minime auferri possunt. Ergo eius magisterium non sufficit. Maior certa est; nec dubitamus directorem requiri ad alia plura, ex quibus multa ab angelo fieri valent; ponimus tamen id, quod ab eo non potest fieri, ut sic necessitas alterius directoris adstruatur (14). Deinde probatur minor: quia frequenter occurrit dubium circa locutionem, circa revelationem et circa alia huiusmodi an sint a Deo vel a spiritu nequam. Sed hoc dubium dirimi ab angelo non potest. Ergo. Probatur minor: quia ignotum nequit per aeque ignotum declarari. Sed quidquid angelus circa haec doceret, aeque dubium foret. Ergo. Probatur minor: quia circa idipsum, quod doceret angelus, idem dubium exsurgeret; cum aequaliter posset dubitari an talia docens foret angelus lucis vel non. Ergo.

37. Confirmatur nam animarum directio debet esse Ecclesiae subordinata, ita ut possit iudicium de ipsa facere. Ergo angeli magisterium non sufficit. Probatur consequentia: quia angelus subiectus non est Ecclesiae; unde non potest ab illo petere Ecclesia rationem suae villicationis.

38. Dicis: Sufficit quod discipulus subiectus Ecclesiae sit, ut ab ipso petatur directionis ratio et quae in eo correctione indigent, reparentur.

Sed contra primo: nam si supponitur ab angelo traditum, quod discipulus facit, reformari non potest. Contra secundo: quia ut directio sit adaequate, ut par est, subiecta iudicio Ecclesiae, debet non solum discipulus, sed etiam magister illi subdi. Ergo cum angelus subditus Ecclesiae non sit, si eius magisterium sufficeret, directio Ecclesiae adaequate subordinata non esset. Contra tertio: quia ex quo director subditus Ecclesiae non sit, sequitur quod directio nullatenus sit Ecclesiae subordinata. Ratio est clara: quia si cum Ecclesia iudicare vult dictum factumve discipuli, hic asserat se ab angelo instructum talia dicere vel facere; nec habet Ecclesia quo hoc sciat, nec potest in discipulum procedere, quia hic suo directore excusatus manet. In quo iam incipit apparere aliud inconveniens, quod dictorum fundamentum est et nostrae conclusionis probatio urgens. Etenim si angelorum magisterium sufficeret, ianua aperiretur ut quisque somnia sua angelo dirigenti adoptaret, dicens: haec, quae facio, angelo suggerente facio; unde a censura immunis sum, quia numine inspirante procedo. Quod certe damnatum ab Ecclesia est in casu fere eodem. Dicebant enim aliqui fidem nostram procedere ex instinctu Spiritus Sancti, in quem tota credulitas resolvi debet. Hoc, inquam, damnavit Ecclesia, ut viam occluderet ne multi sua deliria seminarent dicentes illa a Spiritu Sancto inspirante esse. Quod ut vitaret Ecclesia, ad regulam visibilem reducendam esse fidem nostram statuit; nempe ad

(13) Sic in I ed.; similiter in Neapol., praeter initium: « Tribuentes mihi... ». Deest vero in IV ed.

(14) Sic in Neapol. ed.; in I et IV vero legitur: « *abstruatur* ».

caput Ecclesiae, cuius est actus nostrae fidei dirigere proponereque quid credendum nobis sit. Similiter ergo debet esse visibilis directio, ut non excusentur mali invisibili directione.

39. Nec valet dicere quod ab angelo inspirata communicanda cum viro docto sunt, quae si inveniantur statutis Ecclesiae, sanctorum dictis bonisque moribus conformia, credenda sunt et facienda; sin minus nec facienda, nec credenda sunt.

Sed contra primo: nam idem possent dicere haeretici, asseverantes fidem catholicam vel ea quae fidei sunt credere provenire ex instinctu Spiritus Sancti; quibus Ecclesia hoc effugium non admittit. Contra secundo: nam ille, ad quem discipulus tendit, ut communicet quae dubitat circa angelorum directionem, ille ipse est, quem nos magistrum dicimus. Vere enim munus magistri facit illuminans discipulum, ut luce ambulet et non illum tenebrae comprehendant.

40. Instas: Inter homines non est magister ille ad quem aliquando pro aliqua difficultate emergenti acceditur; sed ille qui regulariter docet. Ergo si solum dum adest aliquod dubium alius ab angelo consulendus est, non iste qui consulitur, sed solus angelus est magister.

Respondetur primo: non solum ut enodentur dubia occurentia requiritur magisterium diversum a magisterio angeli, sed etiam ob alia plura, ut est id, quod nuper diximus et quod ratione sequenti dicemus, omittentes plura, quia non omnia scribere possumus, sed quae sufficiant ad nostram positionem firmandam. Respondetur secundo: quod ille, qui inter homines consulitur, vere magister est, nec motivum adest ut hoc ipsi disputetur; unde sequitur quod angeli magisterium non sufficit, sed requiritur alius.

41. Probatur secundo conclusio: Qui viam Dei in veritate quaerit, quaerit magistrum ut in humilitate exerceatur. Ergo requirit aliud magisterium praeter angelum. Antecedens patet: quia si vis *magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis* (15). Et consequentia probatur: in hoc quod angelo homo pareat, parum lucet hominis humilitas. Est enim angelus natura superior, scientia valde excellens, aliaque plura habet, quae petunt ut homo subordinetur ipsi. Ergo ut humilitas in ipsa subiectione reluceat, debet homo aliud magisterium praeter angelicum habere.

§. II. Respondetur argumentis contra primam conclusionem.

42. Contra secundam conclusionem nihil speciale est, cui non occurratur per motiva, quae adsunt, ut detur magisterium humanum, de quo infra quaest. 5 et 6 disputabimus. Contra primam vero arguitur *primo:* Implicat hominem posse percipere doctrinam ab angelo. Ergo implicat angelum docere hominem. Probatur antecedens: implicat angelum superiorem docere angelum sibi mediate inferiorem, quin illuminatio proportionetur per angelum inter utrumque mediantem. Sed maior longe est distantia, quae datur inter hominem et angelum, quam distantia, quae est inter angelum inferiorem et angelum sibi mediate superiorem. Ergo ab angelo doceri non potest homo.

43. Confirmatur: quia si angelus hominem doceret, vel esset interius, vel exterius. Non primum, quia hoc solius Dei est; nec secundum, quia non loquimur de angelo visibiliter apparenti, ut praenotavimus. Ergo.

Respondetur argumento: ita esse quod Deus hunc ordinem statutum habet, ut ipse superiorem angelum et hic immediate sibi inferiorem, et sic de aliis usque ad ultimum illuminent, de quo D. Thomas, I part., quaest. 106, art. 1 atque ibi nostri Salmanticenses, disp. 14, dub. 1 (16); qui ordo ita perseverans est, *ut nunquam praeter ipsum aliquid accidat,*

(15) S. AUGUSTINUS, *Sermo 69* (alias, de Verbis Domini, 10), num. 2; Migne, P. L., t. 38, col. 441: *Cogitas magnam fabricam...*

(16) Tract. VII (*De Angelis*), disp. 14, dub. 1; t. IV, pp. 795b-801.

sed in omnibus, et semper hic ordo servetur, dictat ex aliorum opinione, quam suscipit, D. Thomas, *De Veritate,* quaest. 9, art. 2, in corpore (17). Quod accipi non debet ita ut angelus supremus, attenta sua natura et conditione, non possit illuminare immediate angelum omnium infimum; potest quidem, sed non faciet propter ordinem a Deo impositum, ut scilicet angelus supremus illuminet sibi immediatum, et hic immediatum sibi, et sic de aliis; qui ordo est lex inviolabiliter observata ab angelis; sic enim illum ordinem appellat Dionysius, IV *De caelesti Hierarchia* (18) dicens: *Haec lex a Deo sancita est, ut in quacumque hierarchia, et primi sint, et medii, et postremi ordines, inferiorumque superiores sint, eisque quasi digito viam monstrent, additumque ostendant ad divinitatem, illustrationem, atque consociationem.* Et quod magis est, non solum angelis imposita fuit haec lex, sed etiam Deus ipse voluit illam observare; ita ut ipse angelum supremum doceat et eo mediante alios. Cuius ratio ea est, quam ex D. Thoma asserunt nostri Salmanticenses, tract. VII, disp. 14, dub. 4, num. 47 (19).

Ex quibus omnibus habetur quod angelus supremus non potest angelum sibi mediatum docere; non quia absolute non potest, sed quia lex illa a Deo imposita prohibet. Sicut ipse Deus potest infimum angelum illuminare immediate, non tamen facit, quia non vult; sed illuminat supremum et hic alios usque ad ultimum. Unde patet distantiam inter angelos nihil obesse ad illuminationem, circumscripta illa lege data a Deo. Quod praeterquam ratio convincit, paritas haec demonstrat. Etenim supremus angelus, ut dictum est, immediate illuminatur a Deo; cum ex illo angelo ad Deum sit distantia infinite maior quam est inter angelos. Et ex dictis patet ad factum argumentum negandum esse antecedens; ad probationem dicas: angelum superiorem non illuminare illum angelum, qui est sibi mediate inferior, quia debet observare ordinem a Deo sibi impositum, non quia, praeciso hoc ordine, detur aliqua repugnantia. Quod ex dictis patet; et ex ipsis constat etiam angelum illuminare hominem, quin distantia obsit.

Ad confirmationem respondet D. Thomas, dicta quaest. 11, art. 3 (20) sic: *Ad primum ergo dicendum quod Angelus invisibiliter docens, docet quidem interius per comparationem ad doctrinam hominis, qui sensibus exterioribus doctrinam proponit; sed per comparationem ad doctrinam Dei, qui intra mentem operatur lumen infundendo, doctrina Angeli exterior reputatur.* Ubi, ut vides, non est doctrina angeli exterior ea exterioritate, qua gaudet doctrina hominis docentis mediis signis sensibilibus; sed nec interior est eo modo, quo doctrina Dei intra hominis mentem lucem inferentis. Sed est medium inter illuminationem Dei hominisque doctrinam; unde partim est interior et partim exterior. Est exterior, quia non operatur intra mentem; et est interior, quia visibilibus non utitur, *Sed per continuationem luminis eius cum lumine intellectus nostri noster intellectus potest efficacius phantasmata illustrare,* ait citatus D. Thomas ad duodecimum (21).

44. Arguitur *secundo:* Non obstante inferioritate hominis ad Angelum Deus immediate illuminat hominem per fidem, et instruit infunditque ei species ad haec necessarias. Ergo non mediante angelorum influxu homines instruuntur. Antecedens est certum; et consequentia probatur: nam vel ad ea, quae continentur in antecedenti reducuntur omnia, quae posset angelus hominem docere, vel si superest aliquid aliud, eo modo docebitur a Deo, sicut illa docentur.

45. Confirmatur: Ordo qui est inter homines et angelos, non impedit quin

(17) Ed. Vivès, t. XIV, pp. 530a-531b.

(18) §. 3; text. graec., Migne, P. G., t. 3, col. 181.

(19) t. IV, p. 814. In antiquis editionibus erronee ponitur: « *tract. 1* ».

(20) *De Veritate,* q. 11, a. 3, ad 1; ed. Vivès, t. XIV, p. 592a.

(21) l. c., p. 592b.

Deus immediate influat in hominis voluntatem. Ergo dictus ordo non impedit quod immediate instruat hominis intellectum.

Respondetur argumento ex D. Thoma, *De Veritate,* quaest. 12, art. 8, ad 4 (22), ubi ait: *Angelus nec lumen in intellectu humano creat, nec species in vi imaginativa; sed operatione Angeli lumen naturale in intellectu humano divinitus confortatur, et secundum hoc hominem Angelus illuminare dicitur.* Quibus, suppositis iam dictis, nihil addendum est, nisi quae elegantissime tradit D. Augustinus, *in Psal. 118,* cantione 18 (23), cuius aliqua exscribere placet, ait enim: *Si ad hoc ministro utitur Angelo potest quidem aliquid agere in mentem hominis, ut capiat lucem Dei, et per hoc intelligat; sed ita dicitur intellectum dare homini (ut ita dicamus) intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur lucem dare domui vel domum illuminare, cui fenestram facit. Deus autem et mentem hominis rationalem, atque intellectualem fecit, quod posset capere lumen eius; et Angelum talem fecit, qui operari posset aliquid unde ad capiendum lumen Dei mens adiuvaretur humana.*

Confirmatio multum probaret, si verum contineret; siquidem probaret angelos superiores non illuminare inferiores, cum in eorum voluntatem non influant; quod falsum esse constat ex iis, quae tota hac quaestione supposuimus et tradidit D. Thomas, quaest. citata ex I part. (24) et *De Veritate,* art. 2, ad 1 (25), ubi solvens praesentem difficultatem ait: *Ad primum ergo dicendum quod de gratia, et illuminatione dat Deus Angelis secundum eorum capacitatem: differenter tamen, quia gratia, quae ad affectum pertinet, immediate a Deo omnibus datur, eo quod in voluntate eorum non est ordo, ut unus in alium imprimere possit; sed illuminatio descendit a Deo in ultimos per primos, et medios.* Unde quia in voluntatibus angelorum *non est ordo,* formantur inferiorum voluntates immediate a Deo. Non sic autem evenit in intellectus illuminatione; quia hic datur ordo a Deo statutus iuxta dignitatem angelorum, ut sic, qui sunt gratia sublimiores, sint inferiorum magistri. Quod idem verificatur in angelis relate ad homines, modo saepius dicto et a nostro Extatico Doctore, libro II *Noctis,* cap. 12 (26) edocto his verbis: *De aqui tambien inferimos, que purga estas almas, y las ilumina la misma sabiduria de Dios, que purga los angeles de sus ignorancias..., derivandose de Dios por las Gerarquias primeras hasta las postreras, y dè ai á los hombres.* Id est: Hinc quoque scimus quod ipsa Dei sapientia, quae angelos a suis ignorantiis purgat, procedens a Deo per Hierarchias superiores usque ad infimas et ab his ad homines; haec, inquam, Dei sapientia purgat has animas ipsasque illuminat (27). Videatur inibi idem Extaticus Doctor, qui doctrinam hanc egregie elucidat.

46. Arguitur *tertio:* Homo solet esse angelorum magister. Ergo inferioritas hominis non arguit angelorum erga homines magisterium. Antecedens probatur primo ex *ad Ephes.,* III (28), ubi Paulus ait: *Ut innotescat Principatibus, et Potestatibus in coelestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei.* Ad quae verba *Glossa* (29), teste D. Thoma, ibi, lectione tertia (30), innuit Apostolos in Ecclesia

(22) t. c., p. 618a

(23) *Enaratio in Psalmum 118,* sermo 18; Migne, P. L., t. 37, col. 1553: *...agere in mente hominis,... dare homini, et quasi, ut ita dicamus, intellectuare... vel illuminare domum, cui fenestram facit... Deus autem et hominis mentem rationalem atque intellectualem fecit, qua posset...*

(24) scil. quaest. 106.

(25) quaestio 9; p. 531a: *...de gratia et de illuminatione...; eo quod in voluntatibus eorum...*

(26) *Noche oscura del espiritu,* canc. I, v. 2, §. 2 (cap. 12); ed. crít., t. II, p. 89.

(27) In I ed. legitur: « Hinc quoque educimus ipsam Dei sapientiam animas depurgare, easque illuminare, quae etiam Angelos ab eorum ignorantiis emundat; cum ex Deo per primas usque ad ultimas Hierarchias derivetur, illincque ad homines ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: « Hinc quoque inferimus ipsam Dei... Hierarchias haec sapientia derivetur, illincque ad homines ».

(28) v. 10.

(29) *Biblia sacra cum glossa ordinaria a* STRABO FULDENSI *Monacho Benedict. collecta... et Postilla* NIC. LIRANI FRANC...; Glossa in epist. Pauli ad Ephes., cap. III, v. 10; Antverpiae, 1634, t. VI, col. 542.

(30) Ed. Vivès, t. XXI, p. 297b-298a.

praedicantes docuisse Principatus et Potestates hanc multiformem sapientiam. Probatur secundo antecedens ex D. Hieronymo, in cap. III eiusdem Epistolae (31), asserente angelos ab hominibus didicisse mysterium Incarnationis.

47. Confirmatur: Eo per nos angeli homines docent; quia superior gratia, qua fulgent, petit hanc subiectionem. Sed multi homines superant in gratia omnes vel plures angelos. Ergo. Minor probatur: tum quia hoc infra ex proposito dicemus; tum quia ex hominibus aliqui assumuntur ad sedes vacantes per malorum angelorum lapsum, quorum multi superiores erant iis, qui perstiterunt. Ergo tenet minor. Et consequenter, cum isti notitiam habuerint plurium mysteriorum gratiae, quae angelos latebant, non est cur non possint illos illuminare.

Respondetur argumento negando antecedens. Ad probationem sunt qui concedant Apostolos, idem verificatur de aliis superiori gratia decoris, docuisse angelos aliqua mysteria latentia ipsos. Quae opinio non spernitur a D. Thoma dicente ibi (32): *Et hoc videtur quandam rationem habere.* Et post pauca addit (33): *Sed hoc quidem satis sufficienter dici posset, nisi aliud occurreret.* Hac tamen opinione admissa, veritas nostrae conclusionis non infringitur; loquitur enim de his hominibus, qui adeo exempti non sunt, immo de ipsis etiam privilegiatis loquitur, non in illa ratione, in qua privilegiati sunt, scilicet secundum quod illas notitias habent, quibus carent angeli, sed in omnibus aliis. Et ratio est: quia omnis purus homo, quantumvis valde superiori gratia fulgens, habet custodem angelum; quiaque custodia fit media illuminatione, propterea non est homo, cuius angeli magistri non sint. Unde illi, de quibus obiectio, erunt angelorum discipuli et magistri, quod relate ad diversas veritates non implicat.

Et hoc, praeterquam quod est clarum, constat ex eo, quod si Deus vellet, ut potest, dispensare in ordine quem statuit inter angelos, ut notitiae deriventur a se in angelum supremum et ab hoc in alios usque ad infimum, et immediate aliquid revelaret infimo angelo; tunc iste posset hanc veritatem docere omnes angelos superiores, a quibus certe ipse in omnibus aliis docebatur. De quo vide Magistrum Ferre, *De Angelis,* quaest. 27, §. 5 (34). Ergo similiter in nostro casu. Verum, quia haec doctrina non est de mente D. Thomae,

Respondetur secundo ex eodem Angelico ibidem (35): *Quod innotuit Angelis per Ecclesiam, id est, per Apostolos praedicantes, ut dicit Glossa* (36): *non quod Angeli hoc didicerint ab eis, sed in eis.* Paucissimis rem totam absolvit Angelica haec mens. Discere aliquid ab aliquo, est munus discipuli a magistro edocti; discere in aliquo, non arguit in addiscente discipulatum, nec in illo *aliquo* magisterium. Aptissimo exemplo se explicat Doctor Angelicus, nobis suggerens quid sit discere in aliquo; sic enim prosequitur (37): *Sicut domum, quae est in mente artificis, vel conceptum de domo nullus scire potest, quandiu latet in mente, nisi solum ille, qui solus illabitur animabus, scilicet Deus: sed postquam conceptus est iam in effectu extrinseco explicatus, quia domus est iam facta, quae prius erat in mente artificis, edocetur; non tamen edocetur per domum, sed in domo.* Et hoc est, quod per apostolos praedicantes multa angeli cognovere, quae prius ignorabant; non tamen ea didicerunt ab Apostolis seu per Apostolos, sed in Apostolis praedicantibus.

Ad secundam antecedentis probationem, negamus cum D. Dionysio (38) et

(31) *Commentarii in epist. ad Ephesios,* lib. II, cap. III, v. 10; Migne, P. L., t. 26, col. 483.
(32) l. c., p. 298a.
(33) l. c.
(34) Sic in antiquis editionibus; requiritur: quaest. 21, §. 5, Salmanticae, 1678, p. 932.
(35) l. c.
(36) *Biblia sacra cum glossa ordinaria,* l. c.
(37) l. c., p. 298b: *...de domo facienda, nullus... quia domus jam facta est, sic aliquis de domo jam facta, quae prius latebat in mente artificis, edocetur, non autem edocetur...*
(38) l. c.

D. Augustino (39), adductis a nostris Salmanticensibus (40), angelos ab hominibus didicisse mysterium illud; cuius contrarium traditur a D. Hieronymo (41); sed litem dirimit D. Thomas (42) dicens, D. Dionysium et Augustinum negare doctrinam per modum magisterii seu illuminationis; non autem doctrinam *per modum explicationis rerum, quas Angeli completas vident in praedicatione, et doctrina Apostolorum,* aiunt citati Salmanticenses (43). Et hunc modum doctrinae a D. Hieronymo assertum non negamus, ut constat ex proxime dictis.

Ad confirmationem respondetur: veram esse maiorem, si illa superior gratia supponat in eam habente statum et naturam superiorem statui vel naturae subiecti illuminandi; sin minus, quamvis superior gratia detur, non est illuminationi locus. Ita praecitatus D. Thomas (44) subdens: *Dicendum, quod ista illuminatio, de qua loquimur, fit per lumen gratiae perficiens lumen naturae. Nec tamen sequitur, quod homo in statu viae possit illuminare Angelum: non enim habet maiorem gratiam in actu, sed solum in virtute; quia habet gratiam per quam vel ex qua potest mereri perfectiorem statum.*

48. Nec dicas: istos in patria illuminare angelos; quia horum natura hoc non habet, nedum relate ad angelos, verum nec respectu hominum viatorum, nisi ex speciali aliquo privilegio, ut tradit D. Thomas, quaest. citata ex I part., art. 8, ad secundum (45), dicens: *Homines autem sancti etiam post hanc vitam erunt eiusdem naturae nobiscum: unde secundum legem communem non administrant humana, nec rebus vivorum intersunt, ut Augustinus* (46) *dicit in libro de cura pro mortuis. Ex quadam tamen speciali dispensatione interdum aliquibus sanctis conceditur vel vivis, vel mortuis huiusmodi officia exercere, vel miracula faciendo, vel Daemones arcendo, vel aliquid huiusmodi.*

49. Arguitur *quarto:* Si angeli nos docerent ordine dicto, infimus angelus esset qui omnes homines doceret. Hoc dicendum non est. Ergo nec quod angeli nos mysticam theologiam doceant. Patet minor: quia si sic fieret, esset dictus angelus in quampluribus locis simul. Maior autem probatur: quia doctrina descendit a Deo et transit per angelos usque ad ultimum. Ergo hic est, qui homines doceret.

50. Confirmatur: Homo est diversi speciei ab angelo. Ergo nequit ab illius lumine illuminari. Probatur consequentia: quia lumen unius speciei nequit aliam illuminare; sicut lumen materiale non illuminat spiritum, nec lumen spirituale corpus illuminat.

Respondetur : argumentum procedere ex prava intelligentia angelici ministerii. Itaque inter angelos datur hierarchia assistentium et hierarchia exsequentium; huius ultimae omnes Principis iussa exsequuntur, secundum quod ministerium est nobilius vel minus nobile. Ad minus nobile enim mittitur non sublimis angelus, nec ad ministerium sublime mittitur angelus infimus; omnes tamen illi exsequentes sunt; unde non sequitur eundem angelum omnia exsequi: *Quia in divinis ministeriis,* ait D. Thomas (47), *est multiplex gradus. Unde nihil prohibet inaequales angelos ad ministeria mitti: ita tamen, quod superiores mittantur ad altiora ministeria, inferiores vero ad inferiora.*

Ad confirmationem respondetur: quod sicut corpora specie differentia habent eundem colorem; sic et res specie diffe-

(39) *De Genesi ad litteram,* lib. V, cap. 19; Migne, P. L., t. 34, col. 334-335.

(40) Tract. VII, dub. 14, dub. 1, num. 9-12; t. IV, p. 798b-800b.

(41) l. c.

(42) l. c., p. 297b-299b.

(43) l. c., num. 111; p. 800a.

(44) *De Veritate,* quaest. 9, a. 1, ad 14; ed. Vivès, t. XIV, p. 529b.

(45) scil. quaestio 108; ed. Leonina, t. V, p. 505: *...sunt eiusdem naturae... libro « de Cura pro mortuis agenda ». Ex quadam... huiusmodi; sicut Augustinus in eodem libro* (cap. XVI) *dicit.*

(46) cap. 13 et 16; Migne, P. L., t. 40, col. 604-605; 606-607.

(47) Ia, quaest. 112, a. 2, ad 4; ed. Leonina, t. V, p. 522b: *Ad quartum dicendum quod in divinis... inaequales angelos immediate ad ministeria.*

rentes illuminantur eodem lumine; eo vel maxime, quia radix huius angelicae illuminationis gratia est, quae est eiusdem speciei in angelis et hominibus. Videatur D. Thomas dicta quaest. 9 *De Veritate*, art. 1, ad 17 (48).

QUAESTIO QUARTA

Utrum diabolus esse possit hominum doctor ac director?

Novitatum ambitio ingens, quam hisce vanissimis temporibus animarum pernicie grassantem lacrimamur, praesenti quaestioni locum offert, quae sine hac lue non disputanda foret; constat enim, si sanae doctrinae aurem non negemus, quid sentire et propugnare debeamus.

§. I. Daemonem non posse esse instructorem animarum asseritur post brevem aliquorum praemissionem.

51. Ante resolutionem quaestionis prae oculis habere debes idem iudicium ferendum esse in hac parte de diabolo, sive visibiliter cum homine conversanti, sive invisibiliter apparenti. Dum autem quaerimus, an diabolus possit esse praeceptor hominis, sensus est, an Deus aliquando diabolum mittat ad hominis eruditionem, sicut bonos angelos mittit. In his enim id possumus, quod licite possumus; nam alias, quod homo possit a diabolo plura discere, quis ignoret?

52. Observanda etiam est illa communissima divisio potentiae Dei in ordinariam et absolutam, quibus Thomas Hurtado, I. p. *Resolut. moral.*, tract. V, cap. 6, resolut. 61 (1), addit aliud membrum, scilicet potentiae absolutissimae, quae consistit in Dei dominio, prout respicit praecise rerum possibilitatem non connexam cum aliquibus circumstantiis. Et in hoc differt haec Dei potentia ab aliis duabus, quarum prima, scilicet ordinaria, de se nota est; extraordinaria autem, licet absoluta sit, non inspicit rerum possibilitatem ea nuditate ac praecisione, qua respicit absolutissima; atque ideo videndum nobis est, an Deus sua potestate ordinaria vel, ut minus, extraordinaria et absoluta usus mittere diabolum possit ut hominem instruat, tum in speculatione scientiae mysticae, tum in ipsius practica, eum ad perfectionis viam dirigendo media notitia veritatis divinae? In quo non desunt, qui asserant hoc evenire posse. Alii autem affirmant hoc penitus esse impossibile sine dispensatione in his, quae Deus iussa tenet in scriptura et in eius veritatis organo Sanctis Patribus; quamquam, si absolutissimo suo dominio utatur, hoc posse fieri non negent, sicut nec nos negamus.

53. Nostra prima conclusio: *Implicat daemonem hominis magistrum esse, eius animam dirigendo vel congruis documentis, vel revelatione supernarum veritatum.* Assertio haec certissima est et probatur primo ex illo *Ecclesiastici*, cap. XXXIV (2), ubi dicitur: *A mendace quid verum dicetur?* Quasi dicat impossibile est a mendace veritatem sperare. Atqui diabolus iuxta Evangelium Ioannis, cap. VIII (3): *Mendax est, et Pater eius*, nempe mendacii. Ergo impossibile est quod verum dicat; atque adeo non potest notitiam veritatis tradere animamque in perfectionem dirigere.

54. Probatur secundo conclusio sequenti discursu: Implicat aliquem ponere media necessaria ad consequendum aliquem finem, quin habeat animum talem

(48) Ed. Vivès, t. XIV, p. 530a.
(1) *Tractatus varii Resolutionum moralium...* num. 1273; Lugduni, 1561, t. I, p. 404.
(2) v. 4.
(3) v. 44.

finem consequendi, immo cum evidenti aversione a tali fine. Sed practica instructio theologiae mysticae est medium ad finem, cuius consecutio a diabolo non solum non intenditur, verum respuitur. Ergo. Maior certa est: loquimur enim de medio ut formaliter medium est, qualiter non nisi ab intendente finem poni potest. Deinde probatur minor: finis, quem certe respicit directio practicae mysticae, est animarum perfectio et beatitudo. Sed hunc finem non solum non intendit, verum abominatur diabolus. Ergo. Probatur minor ex illo quod de daemone ait Ecclesia agens de sanctis Angelis (4): *Ardens invidia pellere nititur, quos caelo Deus advocat.* Quomodo ergo in caelum diriget hominem, qui hominem a caelo avertere nititur invidia plenus?

55. Confirmatur: Director animae eam protegit defenditque a malis omnibus profectum eius vel impedientibus vel retardantibus. Sed *diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret* (5). Ergo hominis profectum sollicitare non potest; quomodo enim homo operam dare poterit leoni rugienti, ipsius perditionem sollicitanti? Aut quomodo hominis magister dicetur, qui hominis adversarius est et quidem obstinatissimus.

56. Secunda conclusio: *Implicat daemonem hominis doctorem esse in speculatione mysticae theologiae seu alterius facultatis.* Non negamus esse in diabolo scientiam, quam certe posset hominibus imprimere, nisi aliud obstaret; dari tamen asserimus hoc obstaculum, ob quod homo non potest esse daemonis discipulus, nec iste doctor illius. Probaturque sic: non potest homo esse diaboli discipulus, quin detur inter utrumque commercium. Sed hoc commercium dari non potest; est enim omni iure prohibitum. Ergo.

57. Confirmatur: Docere aliquem est opus misericordiae. Implicat diabolum aliquod opus misericordiae facere. Ergo et quod aliquem doceat.

58. Probatur secundo conclusio ratione eruta ex D. Thoma, I p., quaest. 109, art. 3. Docere est illuminare discipulum de eo, quod ignorat. Non potest daemon mentem hominis illuminare. Ergo nec illum docere. Probatur minor: ideo, ex laudato D. Thoma, non potest daemon superior inferiorem illuminare, quia non potest ei manifestare veritatem prout dicit ordinem ad Deum, qui est primum illuminans: *Et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (6). Ergo similiter non potest hominem illuminare; quia implicat quod ei ostendat veritatem dicentem ordinem ad primum illuminantem.

59. Dices: D. Thomam non negare daemoni superiori omnem illuminationem relate ad inferiorem, sed solum illuminationem propriam; improprie tamen eum illuminare docet, quae illuminatio sufficit, ut illum doceat ea, quae ipse aliter nunquam sciret. Ergo pariformiter, licet improprie hominem illuminet, poterit esse eius doctor.

Respondetur: illuminationem propriam, quae, ut vidimus, est revelatio veritatis prout ordinem dicit ad Deum, a diabolo provenire non posse. Quod autem improprie illuminet manifestando abscondita absque illo ordine, concedimus; sed hoc nobis praeiudicare non potest, loquimur enim de doctrina sana sane edocta et virtuose recepta.

§. II. Occurritur argumentis contra utramque conclusionem.

60. Arguitur *primo* ex D. Thoma, II^{a} II^{ae}, quaest. 172, art. 6, in corpore dicente: *Ipsa doctrina daemonum, qua suos prophetas instruunt, aliqua vera continet.* Et ad primum in fine ait: *Verum, quod daemones annuntiant* (7), *a Spiritu Sanc-*

(4) *Breviarium Romanum,* Hymnus ex I vesperis officii Ss. Angelorum Custodum, die 2 Octobris.
(5) *I Petri,* c. V, v. 8.
(6) *Ioan.,* c. I, v. 9.
(7) Ed. Leonina, t. X, p. 384a: « *enuntiant* ».

to est. Et ad secundum inquit: *Ipse etiam spiritus falsitatis quandoque nuntiat* (8) *vera, quandoque falsa.* Ac denique ad tertium docet: *Per virtutem autem propriae naturae quandoque vera praenuntiant, ut dictum est, utitur etiam eis Deus ad veritatis manifestationem per ipsos fiendam, dum divina mysteria* (9) *per Angelos revelantur.* Quibus nil clarius contra nostras conclusiones afferri potest. Ergo non sunt de mente Sanctissimi Praeceptoris, cuius discipulatu iactamur.

61. Confirmatur primo haec ratio exponendo quae loco ultimo asserit D. Thomas: etenim ibi explicans verba D. *Ioannis,* cap. VIII, ait distinguendum esse in daemonibus id quod habent ex propriis seu a seipsis, et id quod habent per propriam naturam, quam quidem *non habent a seipsis, sed a Deo,* et licet a seipsis non habent nisi *peccata, et mendacia. Per virtutem autem propriae naturae quandoque vera praenuntiant* (10). Ergo licet non possimus credere diabolo ex propriis loquenti; ei tamen credere possumus, si ex propria natura loquatur.

62. Confirmatur secundo: Docemur non raro a ministris diaboli ipsis veritates, quas nobis proponunt, suggerentis. Ergo et ab ipso doceri possumus. Patet ista ex se; et antecedens probatur casu Balaam, Caiphae et Sibillarum, quae *multa vera praedixerunt de Christo,* ait D. Thomas, inibi, ad primum.

Non dicant adversarii nos in eorum favorem aliquid dissimulasse, cum videant idipsum, cui suae opinionis robur committunt, comprobatum non historia aliqua suspecta vel dicto alicuius vetulae, ut ipsi faciunt; sed auctoritate Angelici Praeceptoris, cui omnes assurgere debent, nos autem ingeniculamur. Et quia susquedeque repetunt non implicare quod diabolus vera loquatur. Ex quo principio, quo nostras conclusiones impetunt, suae opinionis certitudinem iactant. Ceterum, admisso fundamento, quod iaciunt in fabricam, quam moliuntur, sic disputo *primo:* rationibus supra factis, dum nostras assertiones probaremus, quas vel sic placuit refricare. *Secundo* disputo: Veritatem, quam summa veritas Christus prohibet, non licet nobis audire aut discere. Veritatem prolatam a diabolo Christus prohibet. Ergo illam discere non valemus. Consequentia est bona; et maior certa: quia si nos illam veritatem possemus discere, illam dicere Christus non prohiberet. Minor autem probatur: nam diabolo dicenti apud *Lucam* (11): *Iesu Nazarene, etc.* prohibuit Christus et imperavit ut taceret (12), quod fecit, ait ex Athanasio (13) D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 95, art. 4, in corpore, quia *quamvis vera fateretur Daemon, compescebat tamen Christus eius sermonem.* Ergo quamvis vera dicat, loqui prohibetur.

Tertio: dicenti aliquando verum credi non debet, si fere semper mentiatur. At daemon fere semper mentitur. Ergo cum verum dicit, credi non debet. Minor constat: quia mentiri habet ex propriis (14). Maior autem probatur: quia (15) qui mentitur ex habitu, fidem non meretur. Sic est diabolus, quia mentitur *ex propriis, id est,* ait Lyra (16), *ex habitu malo, in quo est obstinatus.* Ergo. Probatur maior: quia haec est poena seu *hoc consequitur mendax, ut nec verum dicenti credatur,* ait Plutarchus in *Apophtegmatibus* (17); similiter Aristoteles dixit, quod mendaces hoc sibi comparant, *ut vera loquentibus fides non adhibeatur.* Plura mitto ex D. Hieronymo, Victore Antiocheno et aliis; si ergo hac poena iuste plectuntur homines mendaces, liber ab ea erit mendacii pater?

(8) l. c., p. 384b: « *enuntiat* ».
(9) *ib.* additur: « *eis* ».
(10) IIa IIae, q. 172, a. 6, ad 3 ; ed. Leonina, t. X, p. 384b: *Mendacia et peccata... Per virtutem.*
(11) c. IV, v. 34.
(12) *ib.,* v. 35.
(13) *Fragmenta in Lucam;* Migne, P. G., t. 27, col. 1397.
(14) *Ioan.,* c. VIII, v. 44.
(15) « *quid* » deest in I et Neapol. ed.
(16) *Biblia sacra cum glossa ordinaria a* STRABO FULDENSI *Monacho Benedict. collecta... et Postilla* NIC. LIRANI FRANC...; *In Ioan.,* cap. VIII, v. 44; Antverpiae, 1634, t. V, col. 1157.
(17) Non inveni in editione Ambr. Firmin-Didot, Parisiis, 1868: *Plutarchi Chaeronensis opera moralia, graece et latine;* nec in aliis editionibus.

Quarto: cum angelo nobis apparenti, si ignoremus, an sit malus, loqui non possumus ob periculum, ut tenent communiter mystici. Ergo multo minus credere poterimus daemoni loquenti.

Quinto denique disputo: fugere debemus veritatem, quae nobis dicitur animo nos fallendi. Sed diabolus veritatem, quam dicit, dirigit ut decipiat. Ergo. Maior certa est: illa enim veritas non est lux, sed laqueus. Minor vero probatur ex citato art. 4 D. Thomae (18), ubi ait: Diabolus *etiam si aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere ad hoc quod ei credatur: et sic intendit perducere in aliquid, quod sit saluti humanae nocivum.* Unde subdit Christum prohibuisse eius locutionem duplici motivo. Primum fuit: *Ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget* (19). Secundum fuit: *Ut nos etiam assuefaciat, ne curemus de talibus, etsi vera loqui videatur: nefas enim est, ut cum adsit nobis scriptura divina, a Diabolo instruamur* (20).

Brevissime totam hanc doctrinam tradit Extaticus noster Parens, lib. II *Ascensus,* cap. 21 (21), ubi inter alia ait: *El demonio para ir engañando, é ingiriendo mentiras, primero ceba con verdades, y cosas verisimiles para asegurarse.* Hoc est: Diabolus, ut facilius homines mentiendo praecipitet, solet quandoque verum dicere (22). Ex quibus omnibus patet, quam debile fundamentum sit, quod diabolus vera potest loqui, ut nos ab eo discamus. Directe tamen

Respondetur argumento: Ad primam auctoritatem concedimus quod aliquid verum potest esse in dictis diaboli sive per se, sive per alium loquentis; quod verum a Spiritu Sancto est; quia omnis veritas secunda est a prima veritate. Ast hinc non sequitur nos ab eo discere posse, ut dictum est. Ultima auctoritas allata in hoc argumento duas partes habet. Ad quarum primam respondetur ex modo dictis et ex dicendis ad primam confirmationem. Ad secundam autem partem aliter respondetur, quia dum Angelicus Doctor (23) ait: *Utitur etiam eis Deus, etc...* loquitur in sensu, quo locutus fuerat I p., quaest. 109, art. 4, ad 1, ubi ait: *Quod per Sanctos Angelos multa de divinis mysteriis Daemonibus revelantur, cum divina Iustitia exigit, ut per Daemones aliqua fiant vel ad punitionem malorum, vel ad exercitationem bonorum.* Prosequitur idem Sanctus Doctor dicens, ex daemonibus, bonis angelis et Deo compleri divinum tribunal, in quo Deus Iudex est, boni angeli assessores et diaboli tortores. Iudex revelat sententiam assessoribus et isti tortoribus, ut eam exsequantur vel puniendo malos, vel exercitando bonos; et sic verificatur quod *Deus eis utitur ad veritatis manifestationem per ipsos fiendam* (24). Per hoc enim quod ipsi Iudicis sententiam exsequantur, ipsam sententiam manifestant; unde nihil est in hac auctoritate, quod nobis opponatur.

Ad primam confirmationem respondetur admittendo discrimen illud in illo articulo non semel tactum a D. Thoma; ex eo tamen robur nullum accrescit sententiae oppositae. Vel dicant eius patroni, qua arte scire poterimus quando loquitur diabolus ex propriis, quando autem secundum ea, quae habet a natura. Ex nobis hoc scire non possumus, nec ab illis interrogare valemus; si namque illos circa hoc interrogemus, eorum responsio continet eandem difficultatem, an scilicet sit data ex propriis, an vero ex iis, quae habent a natura et sic in infinitum. Prudenter ergo procedit, qui discere ab illis renuit, cum an ex pro-

(18) IIa IIae, quaest. 95, a. 4.

(19) l. c. et *Catena aurea super Lucae Evangelium,* cap. IV, v. 33 et 34; ed. Vivès, t. XVII, p. 82a.

(20) Ed. Leonina, t. IX, p. 317b et ed. Vivès, l. c.: *...vera loqui videantur:...*

(21) *Subida del Monte Carmelo,* lib. II, cap. 19; ed. crit., t. I, p. 203: *Por cuanto el demonio dice muchas cosas verdaderas y por venir, y conformes á razón, para engañar.*

(22) In I ed. sequens versio legitur: « Daemon, ut tutus fiat, priusquam fallacias, mendaciaque inhaereat, cum veritatibus, aliisque similibus saginat ». — In Neapolitana vero: « Diabolus, ut decipiat, veritates, verisimiliaque proponit, priusquam fallacias, ac mendacia ingerat, ut sic tutior fiat ».

(23) IIa IIae, quaest. 172, a. 6, ad. 3.

(24) IIa IIae, quaest. 172, a. 6, ad. 3.

priis, an non ex propriis loquantur, ignoret. Ultra quam quod nec ab ipsis veritatem dicentibus discere possumus, ut patet ex dictis; quibus pro auctoritate praesenti adde quae ipse D. Thomas docet I p., quaest. 64, art. 2, ad 5 (25), per haec verba: *Actus daemonis est duplex, quidam ex voluntate deliberata procedens, et hic proprie dicitur actus eius, et talis actus daemonis semper est malus, quia etsi aliquando bonum faciat, non tamen bene; sicut cum dicit veritatem, ut decipiat, et dum voluntarie credit et confitetur, sed rerum evidentia coactus. Alius actus daemonis est naturalis, qui bonus esse potest, et attestatur bonitati naturae, et tamen tali bono abuntur ad malum.* Ecce quomodo bonitate, quam habet, abutitur daemon in hominum perniciem; crede te illi et videbis lucrum, quod ex hoc, quem praeceptorem posse esse autumas, reportas.

Ad secundam confirmationem dicas, ipsos ministros diaboli posse assumi a Deo ut medium, quo veritatem ostendat; non enim sunt mendacii patres, nec in malo obstinati; unde potest Deus illis uti ut instrumentis in nostram instructionem; diabolo autem uti non potest, nisi facta dispensatione in ipsius lege et procedens secundum absolutissimum suum dominium.

63. Arguitur *secundo* et simul contra dicta replicatur: quia licet diabolus, cum ex se loquitur, credi non debeat; si tamen a Deo mittatur ut nos doceat, debet credi non virtute ipsius, qui loquitur, sed virtute eius, a quo mittitur. Sed potest Deus diabolum mittere ut nos illuminet et instruat. Ergo potest diabolus esse magister noster. Consequentia sequitur. Maior est certa; et minor non est unde impugnari possit.

64. Confirmatur: Deum homines mediis daemonibus ad bona opera excitare, est aliquorum neotericorum opinio. Sed haec excitatio magisterium dicit. Ergo diabolus magisterium exercet circa homines.

Respondetur argumento: casum esse impossibilem, attentis iis, quae Deus decrevit ad hominum directionem et eorum manuductionem in finem supernaturalem; quae omnia fieri statuit per sanctos angelos, qui *omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis,* ut dicitur *ad Hebraeos,* I (26), *et hanc legem esse divinitatis immobiliter firmatam, ut inferiora reducantur in Deum per superiora,* ait ex D. Dionysio (27) D. Thomas, I part., quaest. 106, art. 3, in argumento *sed contra.* Quamobrem Deus invariabiliter mediis sanctis angelis haec facit, atque adeo implicat quod diabolum mittat, haec ut exsequatur. Quod eruditissime probant noster Antonius ab Annuntiatione, *Quodlibeto I,* art. 4 (28) et Illustrissimus Araujo (29), Thomas Hurtado ubi supra (30) et plures ab ipsis citati; nos autem hanc impossibilitatem sic ex D. Thoma probamus, cuius probationis robur ut percipias,

65. Scias: quod angelicus Doctor, qaest. 9 *De Veritate,* art. 2, postquam asseruit modum a Deo statutum circa illuminationem angelorum et hominum, explorat, an hic ordo sit invariabilis, an autem aliquando praetermittatur? Quod ut determinet, refert duas opiniones diversas sic (31): *Quidam enim extimant* (sic) *hunc ordinem ita esse firmiter sta-*

(25) Ed. Leonina, t. V, p. 142b: *Ad quintum dicendum quod actus daemonis est duplex. Quidam scilicet ex voluntate deliberata procedens: et hic proprie potest dici actus eius. Et talis actus daemonis semper est malus: quia etsi aliquando aliquod bonum faciat, non tamen bene facit; sicut dum veritatem dicit ut decipiat, et dum non voluntarie credit et confitetur, sed rerum evidentia coactus. — Alius autem actus daemonis est naturalis; qui bonus esse potest, et attestatur bonitati naturae. Et tamen etiam tali bono actu abuntur ad malum.*

(26) v. 14; Hetzenauer, p. 1164: *...capient salutis.*

(27) *De caelesti Hierarchia,* cap. 4, §. 2; *De eccles. Hierarchia,* cap. 5, §. 2; text. graec., Migne, P. G., t. 3, col. 180 et 501.

(28) *Quodlibeta theologica, mystica et moralia,* quodlib. I, art. 4; Matriti, 1712, p. 18.

(29) *In Primam Partem D. Thomae,* quaest. 56, art. 3; Matriti, 1647, p. 544.

(30) l. c. (cf. supra, num. 52, p. 256).

(31) Ed. Vivès, t. XIV, p. 530b: *Quidam enim aestimant... et semper hic ordo servetur. Alii vero aestimant, ita hunc ordinem stabilem vel stabilitum...*

bilitum, ut numquam praeter ipsum aliquid accidat, sed in omnibus et semper servetur hic ordo. Alii vero extimant (sic) *ita hunc ordinem stabilem seu stabilitum, ut secundum hunc ordinem eveniat, ut frequenter, quandoque tamen ex causis necessariis praetermittatur; sicut etiam naturalium rerum cursus mutatur divina dispensatione, aliqua nova causa suborta, ut patet in miraculis.* His opinionibus sic relatis primam praefert et tres rationes assignat dicens (32): *Sed prima opino videbitur rationabilior propter tria: primo, quia cum sit de dignitate superiorum Angelorum ut per eos inferiores illuminentur, dignitati eorum derogaretur, si quandoque praeter eos illuminarentur. Secundo: quia, etc...* Assignat secundam rationem consistentem in eo, quod res quo sunt propinquiores Deo, eo sunt immobiliores, ut patet vel in rebus materialibus; quia corpora *inferiora, quae maxime distant a Deo, quandoque deficiunt a cursu naturali: corpora vero coelestia semper naturalem motum servant* (33); unde ordo caelestium spirituum, *qui sunt Deo propinquissimi* (34), non est rationabile quod aliquando immutetur. Tertia ratio est, quia etiam in rebus naturalibus, dum aliqua mutatio fit, est propter aliquid melius, videlicet propter aliquid pertinens ad gratiam vel gloriam; unde cum ordines angelorum distinguantur statu gloriae, non est aliquid melius, propter quod immutetur dictus ordo. Hactenus rationes D. Thomae, ex quibus disputo sic,

Primo: Non potest Deus immediate docere angelum inferiorem, ne derogetur dignitas superiorum. Ergo non potest Deus medio daemone docere homines. Antecedens patet ex prima ratione D. Thomae; et consequentia constat a paritate. Eo, si Deus illuminaret immediate angelum inferiorem, derogaretur dignitas superiorum, quia ad horum dignitatem pertinet ut iis mediis inferiores illuminentur. Atqui etiam pertinet ad dignitatem sanctorum angelorum quod ipsis mediis homines doceantur. Ergo.

Secundo sic: Ordo stabilitus ut angeli inferiores a superioribus illuminentur, numquam praetermittitur, quia sunt Deo propinquissimi, ut patet ex secunda ratione. Ergo haec propinquitas etiam obstat ut immutetur ordo, quo decretum est homines ab angelis illuminari.

Tertio sic: Eo in ordine naturae admittitur aliquando aliqua dispensatio, quia datur aliquid melius propter quod fiat, videlicet gratia et gloria. Ergo cum ordo angelici ministerii erga homines sit in statu gloriae, immutari non potest, sicut ob eandem rationem immutari non valet ordo angelicae illuminationis angelorum ad angelos. Ex quibus constat mentem Angelici Praeceptoris esse, quod Deus mittere non potest daemonem ut veritatis doctorem; quippe eius rationes vim omnem quam habent circa materiam, cui illas applicat Sanctus Doctor, habent etiam circa praesentem materiam. Unde constat negandam esse minorem argumenti; quia Deus, quin suae legis dispensatio praecedat, mittere non potest diabolum ut magistrum.

Ad confirmationem, quae non tam possibilitatem quam actum respicit, respondetur concedendo aliquos neotericos illam opinionem habere, et quod mirere magis, esse doctrinam D. Thomae, I p., quaest. 114, art. 1, dicunt; quem si consulas, nil in quo haec opinio fundetur, reperies. Ibi enim solum asserit Doctor sanctus daemones impugnare homines propter invidiam et superbiam, qua divinam similitudinem usurpantes, ministros deputant, homines ut impugnent. Haec tamen impugnatio est a Deo solum permissive; ordo autem huius impugnationis, hoc est, ut cedat in fructum impugnati et in impugnantium confusionem, est positive a Deo, qui *ordinate novit malis uti ad bona ea ordinando.* Verum est quod ad primum concedit Angelicus Doctor daemones mitti a Deo, sed hoc non est ad excitandum ad bonam operationem, sed ad puniendum peccatorem, *sicut missus est spiritus mendax ad puniendum Achab Regem Israel.* Haec

(32) *ib.*
(33) *ib.*, p. 531.
(34) *ib.*

D. Thomas, sed nec verbum invenies, quod dictae opinioni faveat.

66. Arguitur *tertio:* Potest Deus mittere mittitque diabolum ut hominum animas corporum vexatione perficiat. Ergo potest illum mittere ut homines instruat et virtutis opera persuadeat. Antecedens constat ex iis, quae diximus, dum de purgatione passiva spiritus ageremus ; et etiam constat ex D. Paulo ab angelo Satanae colaphizato, ne revelationum multitudine superbiret (35); constat etiam ex aliis innumeris multa a daemone perpetientibus ut lucrum ex tolerantia consequantur. Consequentia autem ex paritate nota videtur.

Respondetur, omisso antecedenti, negando consequentiam. Discrimen est, quod sustinens daemonum vexationem mere passive se habet, tam in poenis quas patitur, quam in hoc quod est subesse illi spiritui torquenti; unde non est periculum perversionis. Aliud autem est occultae veritatis revelationem a daemonibus quaerere eorumque dictis assentire; etiamsi non rogentur, sed ultronee sese offerant et a Deo se esse missos vocitent; quia in hoc casu multum facit, si quaerat a diabolo veritatem, et, licet non quaerat, multum facit, si diabolum ut magistrum audit. Unde periculo expositus peribit in illo. Itaque fatemur quod diabolus ipsam pravam intentionem habet instruens aut torquens; verum torquens causat profectum, quem non parit instruens; quia in punitione passive se habet patiens, ad doctrinam vero voluntarie concurrit auscultans.

67. Dices: In vitis Patrum legitur unum ex illis a Deo enixe petivisse ut torqueretur a daemone. Ergo etiamsi punitio voluntaria sit, bona est. Ergo similiter auditio.

Respondetur: casum esse irregularem, ad quem supponere debemus specialem Dei motionem; atque afferri non debet ut regula, quam sequamur, ut patet sexcentis aliis exemplis. Unde ille asceta elationem timens credidit se posse horridum illud praecipitium praecavere, si daemonis manibus vapularet. Hac intentione ductus et divina motione actus, petiit et obtinuit quod petiit, et etiam finem propter quem petiit, obtinuit; siquidem salutem, quam optabat, ex inimico suo consecutus est. Ubi notare debes : dure vexatum a daemone longe esse ut ab ipso seducatur; cuius periculum incurrit, qui illi ut directori assurgit; unde, servatis servandis, potest flagitari tortura, minime autem magisterium.

68. Non quiescis: Eo posset sine vitio vexatio a daemone peti, quatenus aliud medium non suppeteret ut elatio cruciatibus vitaretur. Sed suppetit aliud medium, nempe angelus bonus, qui etiam animas sibi commissas torquere probe scit. Ergo non usus est medio ob praecisionem, sed quia absolute bonum est; ex quo sequitur talem petitionem fuisse omnino voluntariam.

Respondetur: quod indigens ille forsan hanc theologiam ignorabat; atque adeo medium petiit, quod solum sibi medicamen allaturum sperabat. Fatemur itaque bonos angelos clientes suos sicut et malos vexare; diversissimo tamen motivo ductos, ut docet D. Thomas, IV *Sent.*, dist. 21, quaest. 1, art. 1, quaestiunc. 5 (36) dicens: *In hoc autem saeculo, quando adhuc locus pugnae est, puniuntur homines et a malis angelis, sicut ab hostibus, ut patet de Iob; et a bonis, sicut patet de Iacob, cuius nervus foemoris angelo percutiente emarcuit : et hoc expresse Dionysius dixit, cap. 4 De divinis nominibus* (37), *quod boni angeli interdum puniant.* Quae non solum non sunt nobis contraria, sed potius favent. Etenim in hoc, quod est torquere homines, conveniunt angeli boni cum malis; in hoc autem, quod est eos dirigere, prorsus differunt. Id, in quo conveniunt, est bonum eoque appeti potest. Consi-

(35) *II Cor.*, c. XII, v. 7.

(36) Ed. Vivès, t. X, p. 588b: *...Et hoc etiam expresse Dionysius dicit in IV cap. de div. nom., §. 22, col. 723, t. 1, quod boni angeli interdum puniunt.*

(37) §. 22; text. graec., Migne, P. G., t. 3, col. 724.

deremus ergo virum illum metuentem ne in superbiam elatum diabolus devoraret; cui pressurae occurrit, ut medium idoneum, vexatio a spiritu superiori. Hic potest esse vel bonus, vel malus; quod si petens sciebat, potuit eligere; in quamcumque enim partem se inclinaret, rem bonam flagitabat. Si autem hoc eum latebat, videns non raro Deum mittere spiritum malum ut eius oppressione animae profectui consulatur, petiit a Deo, numine ipso inspirante, ut cum illo eo remedio uteretur, quo cum aliis utebatur. Quod, ut dictum est, obtinuit, et, eo obtento, remedium a se quaesitum invenit.

69. Persistis adhuc: Quia iste scivit Deum aliquando mittere daemonem torquentem, petiit sibi daemonem vexantem. Sed, ut ex supra dictis patet, etiam Deus aliquando mittit daemonem veritates aliquas edocentem. Ergo possumus a Deo illum petere.

Respondetur negando consequentiam ; discrimen est, quod ultimum non fit a Deo, nisi in sua stabilita lege dispensante et suo altissimo dominio procedente, et quae sic a Deo fiunt, peti cordate non possunt; sicut non potest peti salvatio collectionis hominum, nec damnatorum salvatio.

70. Arguitur *quarto* ex multis casibus, in quibus daemon visus est habitu paenitenti homines ad virtutem promovere et a peccatorum faecibus revocare, iam suggestum ascendens et praedicans adeo apostolice, ut ex eius verbis uberem lacrimarum copiam audientes dederint ; iam alia exsequens directoris spiritualis propriissima; ita refert Sanctus Antoninus, ut testatur Illustrissimus Araujo, ubi supra (38). Insuper tempore D. Gregorii fuit Romae daemon contionator, qui per octo continuos dies publice praedicavit. Itidem in conventu quodam D. Francisci fuit daemon per duorum annorum spatium habitu religioso indutus totoque illo tempore in conversione avari cuiusdam hominis occupatus. Infinita omittens, affero denique, quod in *Vitis Patrum* me legisse memini: videlicet, in quadam villa, eius habitatores diebus festivis conveniebant ad audiendum sacrum in unicam ecclesiam, quae ibi erat, sicut sacrum etiam erat unicum; ad illud audiendum properabat quisque ductus sua devotione et obligatione ei interessendi; non enim cymbalum erat, cuius sonitu convocarentur. Ad illum locum diabolus venit forma humana et habitu servili; pretio statuto, servire promisit cuidam ipsius loci diviti. In eius domo mansit diebus plurimis, in quibus totam suam activitatem posuit, ut cymbalum fieret, ut, eo audito, fideles ad sacri auditionem convenirent; quo consecuto, disparuit. Sed ex his casibus constat, daemonem animarum salutem procurare verbisque spiritualibus suadere, quod in ultimo evidens est, plures enim rationes convenientiae proponeret, ut cymbali fabrica exsequeretur (39). Et sane cum habitatores loci illius nescirent qua hora sacrum incipiebat, multi sine illo necesse erat manere, quod inconveniens in favorem animarum, cymbalo facto ex diaboli persuasione, vitatum est.

71. Confirmatur primo celebri alio casu relato in *Nostra Historia,* libro II, cap. 25, num. 4 (40), ubi refertur quod Venerabilis illa heroina Catharina a Iesu iam monialis, dum quadam nocte oraret, daemonem vidit sub gryphi deformi (41) forma incendia per os eiaculantis. Virgo imperterrita imperavit illi ut in locum suum abiret. Cui caco daemon respondit: nil minus me facturum speres, usque dum te in abyssum transferam, mea enim es. Et motivum virgini deposcenti respondit daemon horridum clamorem fulminans: nollem tibi hanc notitiam ministrare, verum desuper comprimor ut moras rumpam et loquar. Tunc virgo de

(38) *In Primam partem D. Thomae,* q. 56, a. 3; Matriti, 1647, p. 546.

(39) seu « *exequeretur* » vel « *exquiretur* ». In antiquis editionibus legitur: « *exqueretur* ».

(40) Sic enim in antiquis editionibus. — FRANCISCUS A SANCTA MARIA: *Reforma de los Descalzos de Nuestra Señora del Carmen de la Primitiva Observancia,* t. II, lib. VII, cap. 25, num. 4; Madrid, 1720, p. 256. — Cf. infra *Appendix.*

(41) In I et IV editionibus legitur: « *gryfi disformi* »; in Neapol. « *gryfi difformi* ».

sua salute sollicita illum adiuravit in virtute Iesu Christi Nazareni ut sine mendacio diceret, quae Deus revelare imperabat. Ad quod daemon respondit: Ego dominium habeo supra omnes quotquot lustrali aqua expiati non sunt, de quorum numero absdubio es, quia aqua, qua baptizata fuisti, rosacea erat; et haec dicens torve gemebundus disparuit. Iste est casus et quidem valde singularis, quo melius fundatur opposita opinio quam dictis vetularum sagarumque, quibus non semel patroni eius utuntur, ut videre est apud citatum Hurtado (42).

Hic enim habemus virginem Deo carissimam cum daemone loquentem, eum sine potestate adiurantem, ab eo veritatem inquirentem ac demum iuxta notitiam a daemone habitam operantem; siquidem, explorata re, inventum est daemonem vera locutum; atque adeo baptizata tunc fuit virgo illa tot signis antea fulgens totque virtutibus micans.

72. Confirmatur secundo: quia exorcistae frequenter a daemone veritatem explorant, eum interrogantes de multis. Ergo potest ab illo veritas sperari.

Respondetur argumento: primo, Deum suo altissimo dominio utentem potuisse mittere daemonem iis casibus, ut nihil faciendum omitteret in bonum illorum, qui Deum ipsum vocantem et suos sanctos angelos salubria consilia offerentes contemnebant. Ipsum salutis inimicum fecit ministrum salutis, ut sic clarius vinceret, cum iudicaret. Sed bene nota quod daemonem audientes in illis vel similibus casibus, vel cognoscunt, daemonem esse qui loquitur, vel non? Si non cognoscunt, non peccant eum audiendo et cum eo sermocinando; putant enim se audire et loqui cum sacerdote vel religioso, cum viro probo. Si autem sciunt loquentem esse daemonem, rursus inquiro: vel constat missum a Deo esse, vel non? Si non constat, nec serio cum illo loqui, nec illum ut magistrum audire possunt; quia, ut egregie ait Caietanus, II^a II^{ae}, quaest. 90, art. 2 (43): *Habet autem rationem socialis actus perfecte uti daemonis voluntaria confabulatione, servitio, doctrina et similibus. Haec enim sociales sunt vitae.* Videatur ibi Sanctus Thomas, quaest. 92, art. 2. Unde quamquam diabolus apostolice contionetur, vitandus est, quia latet anguis in herba, ut ex dictis patet; et si habentes prophetas, quos audiant, Lazari praedicatione non indigent (44), multo minus egebunt praedicatione diaboli; eoque non est praecisio cogens ut haec fiant. Si autem constet mitti a Deo, tunc audiri debet, sed eius dictis fides danda non est, sed Numini per ipsum loquenti. Nec enim Balaam asinae credidit, sed Numini organum illud irregulare assumenti. Quod enim facit irrationalitas bruti ut non credatur, id facit obstinati malitia ut ipsi fides non detur.

73. Sed age: sufficietne ut diabolus credatur a Deo missus, quod ipse asserat se missum a Deo esse? Minime, quamquam iuramento affirmet; requiritur tamen ut illa missio a Deo credatur, quod ipse se missum dicens signum suae missionis exhibeat, ut statuit Innocentius tertius in capite *Cum ex iniuncto de haereticis* (45), ubi ait: *Quod cum interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nude tantum asserere quod ipse sit missus a Deo, cum hoc quilibet haereticus asseveret; sed oportet, quod adstruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi, vel scripturae testimonium speciale. Unde cum Dominus vellet mittere Moysem in Aegyptum ad filios Israel, ut crederent ei quod mitteretur ab ipso, dedit ei signum, ut converteret virgam in colubrum, et virgam iterum reformaret. Ioannes quoque Baptista speciale suae missionis testimonium protulit de*

(42) l. c. (cf. supra, num. 52, p. 256).

(43) Ed. Leonina *operum omnium D. Thomae*, t. IX, p. 293b, num. III: *Habet autem rationem actus socialis perfecte, uti... socialis sunt vitae.*

(44) *Luc.*, c. XVI, v. 29-31.

(45) *Regestorum* lib. II, epist. 141; Migne, P. L., t. 214, col. 697: *...sed oportet ut astruat... Israel, ut crederetur ei quod mitteretur ab ipso, dedit ei signum, ut converteret virgam in colubrum, et colubrum iterum reformaret in virgam, Ioannes quoque Baptista suae missionis speciale testimonium protulit de scriptura, respondens sacerdotibus et Levitis qui missi fuerant ad interrogandum quis esset et quare baptizandi sibi officium assumpsisset: Ego vox clamantis in deserto.*

scriptura dicens: Ego vox clamantis in deserto (46). Ecce quid facere debet, qui se missum a Deo dicit; et si haec non facit, velut lupus rapax ovis vestimento circumdatus respuatur.

Respondetur secundo: quod in nullo eorum eventuum daemon Dei minister fuit, sed ipse sub larva viri virtuosi exterius praedicabat, suggerens interius omni efficacitate ut, eius praedicatione contempta, gravior foret auditorum culpa. Et etiam, quia eius sermonibus et sanctitate ficta plures faceret ad se venire, quos demum praecipitaret. Hoc eius genium est et secundum illud dicimus procesisse. Per quae respondetur ad tres primos illos casus.

Ultimus, qui maiorem difficultatem continere videtur, est index clarissimus astutiarum, quas daemon in hominum perniciem machinatur. Erant siquidem in illo loco multi, qui tempus missae praevenientes, templum multo ante adibant et totum illud spatium sacrum antecedens orationi deprecationibusque vacabant, et fervore ex hac oratione collecto missam omni attentione audiebant. Erant et alii, qui missae tempus etiam praevenientes, templum adibant et ante eius fores usque dum sacerdos ad altare accederet consistebant, ibi sese videbant et reciproce consalutati de rebus occurrentibus loquebantur, quo fiebat quod sacrum non sine attentione audirent; quia cum iam extra templum locuti fuissent, in templo devoti erant. Haec omnia aegre ferebat inimicus et ut illa vitaret, cymbali constructionem suggessit eo animo, uti ipse postmodum compulsus fassus est, ut omnes domi manerent, usquedum cymbalum tiniens signum daret. Ex quo oriebatur quod primi orationi non vacarent ante sacrum et secundi, cum ante missam non locuti fuissent, in ipsa confabularentur. Huc tendunt bona consilia diaboli vel ipso, invito tamen, fatente; vide si te illi credere expediat.

Prima confirmatio casum continet absdubio singularissimum; in quo, attentis omnibus circumstantiis, censemus Deum suam legem dispensasse; et sic fecit diabolum, renuente ipsius obstinata malitia, vera locutum in illius sibi dilectissimae favorem. Nec Venerabilis virgo daemonis dictis credidit. Ex iis tamen occasionem sumpsit ut veritatem exploraret, et videntes illi, ad quos hoc spectabat, vera esse quae daemon, Numine impellente, dicebat, baptismi collationem decreverunt. In quo non ut magister habitus est diabolus; aliter factum fuisset, quod consulebat, sine illa praevia prolixa inquisitione. Ut autem haec fieret, fuit sufficiens motivum; tum, quia ipse, qui potenter diabolum vera loqui compulit, explorandum fundamentum inspiravit; tum, quia res erat summe ardua et in his rebus nulla circumstantia, quae bonum exitum iuvare possit, contemni debet. Unde Alvarez, I^{a} II^{ae}, quaest. 76, art 2, disp. 113 (47) ait: *In rebus magni momenti, et valde dubiis maior diligentia est adhibenda.*

Et ipsa vere Venerabilis virgo cum daemone locuta non peccavit; quia primo aspectu illum in tartara iter maturare iussit. Postea noscens rem magni momenti Deum eo medio pandere decrevisse, audivit et paucissima dixit. In quo peccatum non adest; adesset tamen, si serio cum eo sermonem texeret; si eum ut magistrum consuleret; vel si ipsi docenti se mitti a Deo crederet, sine eo quod litteras irrefragabiles sui muneris exhiberet; quae, ut diximus, sunt miraculum certum aut sacrae Scripturae textus. Haec si data fuissent, peccasset; sed non peccavit, quia longe aliter res se habuit. Egregie haec docet D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 95, art. 4, ad 1. (48) dicens: *Aliud est autem inquirere aliquid a daemone sponte occurrente, quod quandoque licet propter utilitatem aliorum: maxime, quando divina virtute potest compelli ad vera dicenda; et aliud est daemonem invocare ad cognitionem occultorum ad-*

(46) *Isaiae*, c. XL, v. 3; *Ioan.*, c. I, v. 23.

(47) i. e. DIDACUS ALVAREZ, archiepiscopus Tranensis, O. Pr.; ed. Trani, 1616, p. 451.

(48) Ed. Leonina, t. IX, pp. 317b-318a: *Aliud autem est quaerere* (ed. Piana et Cod. Vat. 740: « *inquirere* ») *aliquid... quando virtute divina potest... acquirendum ab ipso.*

quirendam ab ipso. Unde virgo haec, in qua suppono Dei virtutem ut virtute Dei cum daemone loqueretur, locuta est cum eo *sponte occurrente,* et sic per baptismi receptionem dubii anxietatem evasit.

Ad secundam confirmationem: concedimus in Ecclesia dari virtutem expulsivam relate ad daemones et compulsivam; atque ideo sicut media prima virtute proceditur ad expellendum ipsum, ita media secunda compellitur ut verum loquatur. Ceterum haec virtus compulsiva non extenditur ultra id, quod pertinet ad exorcismos. Quod si aliquis media hac virtute diversum aliud quaerat, virtute compulsiva non utitur, sed abutitur, unde ex hoc nihil sequitur contra nos.

QUAESTIO QUINTA

Utrum homo possit esse hominis director?

Habemus ex quaestionibus prima et tertia Deum et angelum bonum esse hominis magistros, ultra quos alium requiri pluries supposuimus et quaestione sequenti firmabimus. Hic autem alius qui requiritur, debet esse diversus a discipulo, ut vidimus quaestione secunda; et non potest esse angelus malus, ut diximus quaestione praecedenti. Estne alius homo hic alius, qui praeter Deum et bonum angelum hominis magister esse potest?

§. I. Proponitur et probatur affirmativa conclusio.

74. Assertio nostra: *Homo potest esse et est hominis magister et director.* Conclusio haec est ita certa ut auctores, qui illam defendunt, referre penitus superfluum sit. Illam, licet obiter, probant nostri Salmanticenses, tract. XXI, disp. 4, dub. 4, num. 56, ex D. Thoma, III part., quaest. 72, art. 4, ad 1 (1); insuperque probatur sic primo ex modo dictis. Etenim homo potest instrui ad practicam mysticae theologiae ab alio quam a Deo et a bono angelo. Sed hic a quo instrui potest, non est ipse homo instructus, nec est angelus malus. Ergo est alius homo. Consequentia constat: non enim remanet alius, a quo dirigi valeat homo, ut de se patet. Maior autem et minor ex locis citatis notae sunt.

75. Deinde probatur conclusio ratione desumpta ex Scriptura sacra et ex D. Thoma, I^{a} II^{ae}, quaest. 111, art. 1 (2), quae sub hac forma proponitur: In Ecclesia datur gratia gratis data iuxta D. Paulum, *I ad Corinth., XII.* Sed gratia haec datur ad alios instruendum et mystice dirigendum in Deum. Ergo in hominibus datur id, quo possint alios mystice in Deum dirigere. Probatur minor ex illa differentia versante inter gratiam gratum facientem et gratis datam; quia prima respicit proprii subiecti unionem cum Deo; secunda vero respicit extranei subiecti instructionem. Secundo probatur ipsa minor ex eodem Apostolo dicente ibi (3) de gratia gratis data, ut explicat D. Thomas, art. 1 citato: *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem, scilicet* (ait D. Thomas) *aliorum.* Probatur tertio illa minor ex eodem Angelico Praeceptore dicente inibi (4): *Gratia est duplex, una quidem per quam ipse homo Deo coniungitur, quae vocatur gratia gratum faciens. Alia vero per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc, quod ad Deum reducatur.*

76. Confirmatur: Qui alteri occulta pandit ducitque sine errore per viam ignotam sibi, illum absdubio docet. Po-

(1) Sic in antiquis editionibus, at his locis nihil circa hoc invenitur; SALMANTICENSES in tract. VII, disp. 14, dub. 3, num. 41, t. IV, p. 812, de eo tractant ex Ia, q. 117, a. 1.

(2) In antiquis editionibus erronee additur: « *ad 4* ».

(3) l. c., v. 7.

(4) Ed. Leonina, t. VII, p. 317b: *Duplex est gratia. Una...*

test homo arcana viae spiritualis homini pandere illumque per hanc difficilem viam dirigere. Ergo potest illum viam spiritus edocere. Cetera constant; et probatur minor: quia gratia gratis data ad hoc deservit ad hocque a Deo communicatur hominibus, ut ait Angelicus Doctor, art. 4 iam citato (5), dicens: *Gratia gratis data ordinatur ad hoc, quod homo alteri cooperetur, ut reducatur ad Deum. Homo autem ad hoc operari non potest interius movendo, (hoc enim solius Dei est) sed solum exterius docendo vel persuadendo; et ideo gratia gratis data illa sub se continet, quibus homo indiget ad hoc, quod alterum instruat in rebus divinis.* Verum in re adeo clara amplius immorari non licet.

§. II. Respondetur argumentis.

77. Contra conclusionem arguitur *primo:* In patria homo hominem non docebit. Ergo nec in via. Antecedens patet ex illo *Ieremiae,* XXXI (6), ubi dicitur: *Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum.* Et consequentia probatur: quia si in via homo hominem doceret, in patria prosequeretur haec doctrina, quia status beatitudinis nullam cum hoc dicit oppositionem, ut patet in angelis, qui suum magisterium in beatitudine conservant. Ergo.

Respondetur negando consequentiam. Ad probationem negetur antecedens. Ad probationem insertam dicas quod cum ad angelos cura universi pertineat, propterea eis fiunt revelationes circa universi constitutionem; cessante autem cura universi, pariter et illuminatio cessabit. Est doctrina D. Thomae, I part., quaest. 106, art. 4, ad 3, ubi ait: *Usque ad diem Iudicii semper nova aliqua supremis angelis revelantur divinitus de his, quae pertinent ad dispositionem mundi et praecipue ad salutem electorum. Unde semper remanet, unde superiores Angeli inferiores illuminent.* Illuminatio ergo hominis ad hominem comparatur illuminationi angelicae usque ad finem mundi. Ast sicut post mundi finem non erit illuminatio inter angelos; sic post exsilium non erit inter homines magisterium. Sed sicut ante mundi finem durabit angelorum illuminatio; quia usque tunc erunt administratorii spiritus; ita et in via perseverat hominum erga homines instructio.

Et haec doctrina clare colligitur ex verbis Ieremiae in contrarium adductis; loquitur enim propheta, ut ipsum argumentum vult, de hominibus beatis, de ipsisque sermonem faciens ait: *Non docebit ultra vir proximum suum.* Ergo si *ultra non docebit,* prius docebat; aliter enim quid novum Propheta diceret. Ratio autem, ob quam in patria cesset ista hominum illuminatio, non est quia absolute pugnet cum statu beatitudinis, ut convincit paritas angelorum; sed quia beati non curant de hoc universo, ut iam supra vidimus. Et quae ad ipsos attinent, vident vel in Verbo, vel eo modo, quo ipsis nostrae orationes innotescunt.

78. Arguitur *secundo:* Homo non potest hominis intellectum illuminare. Ergo non potest hominem docere. Probatur antecedens: ostendere aliquid alicui sibi ignotum per modum locutionis non est illum illuminare. Sed homo, cum dat alicui notitiam alicuius veritatis sibi ignotae, facit hoc per modum locutionis. Ergo illum non illuminat. Consequentia sequitur; et maior est D. Thomae, I p., quaest. 107, art. 2, ubi docet: hominem et angelum inferiorem non docere angelum superiorem, cum ei dant notitiam alicuius veritatis, ut est secretum cordis, etc... Quia haec notitia non est per modum illuminationis, sed locutionis. Probatur autem minor ex eodem Angelico Doctore in *II Sent.,* dist. 9, quaest. 1, art. 2, ad 4 (7), ubi ait: quod modus, quo unus homo praebet ignoti notitiam alteri, *est non per modum illuminationis, sed locutionis.*

(5) Ia IIae, q. 111.
(6) v. 34.

(7) Ed. Vivès, t. VIII, p. 121b: ..., *sed per modum locutionis.*

Respondetur negando antecedens. Ad probationem negetur minor. Ad huius probationem dicatur: D. Thomam, citato loco, solidissime iuxta subiectam materiam processisse. Docuerat enim modum, quo angelus superior sibi inferiores docet; videlicet medio lumine, quod supervenit *ad confortationem connaturalis luminis, cui similatur in visu corporali lumen solis, vel candelae; et sic potest Angelus alium Angelum, vel etiam hominem illuminare ad aliquid cognoscendum; non autem homo sic docere potest, cum in eo lumen intellectuale debilissime recipiatur* (8). Ex quibus et aliis ibi dictis habes, modum docendi aliquem esse duplicem. Primus praestando lumen; secundus ostendendo visibile. Primus modus bipartitur: nam lumen potest praestari absolute et hoc solius Dei est, qui solus lumen infundit. Vel ipsum lumen iam praestitum confortatur ut possit post confortationem percipere quae ante illam non valebat. Et hoc faciunt angeli cum homine et inter se; siquidem confortant inferiorum lumina, non aliquid physicum eis imprimendo, ut modo ex nostris Salmanticensibus (9) et communi thomistarum suppono; sed intelligibile iam ab ipsis dearticulatum seu particularisatum illuminando, ut sic inferior illud attingere valeat; ad eum modum, quo sol visum illuminare dicitur, non quia in eo aliquid causet, sed quia visibilia illuminat ut possint a visu attingi. Et hoc modo non potest homo hominem illuminare; tum ob rationem iam a D. Thoma assignatam; tum etiam, quia ipse Doctor Angelicus in ipsa I part., quaest. 117, art. 1, in corpore, ait: non posse hominem alium hominem illuminare, quia omnes humani intellectus eiusdem naturae sunt.

Posito ergo quod hoc modo (qui absolute dicitur illuminatio, vel quia praebetur, vel quia confortatur lumen) non potest homo hominem docere, prosequitur D. Thomas dicens: quod etiam alium docet, qui ei intelligibile proponit; et advertit esse duplex genus ignorantiae intelligibilium; nam sunt aliqua intelligibilia, in quorum cognitionem potest intellectus pervenire per hoc solum, quod ei proponantur, et tunc *ipse proponens docere dicitur,* ait Angelicus (10). Sunt alia intelligibilia magis arcana, in quorum cognitionem venire discipulus non potest, quamvis ipsi proponantur, nisi manuducatur per aliud, quod sibi notum est; videlicet, quia vel mediis aliquibus propositionibus minus abstractis et universalibus, vel mediis aliquibus exemplis venit in cognitionem veritatis. *Et qui hoc magis notum ei proponit, docere eum dicitur,* ait D. Thomas concludens (11): *et his duobus modis homo docere dicitur; et haec doctrina est non per modum illuminationis, sed locutionis.* Quorum verborum sensus venandus est ex praemissis; quippe hominis doctrina dicitur esse *non per modum illuminationis, sed locutionis;* quia cum lumen intellectus humani sit adeo debile, et alias intellectus unius hominis non sit superioris naturae quam intellectus alterius, propterea illuminare non potest obiecta reddendo ea lucida; potest tamen obiectum proponere ignoranti; potest etiam ostendere ordinem, qui est inter principia et conclusiones, quo has non solum virtualiter confuseque in principiis attingat, verum et clare in seipsis formaliter cognoscat. Quod sane illuminare est; qui enim facit intellectum veritatem cognoscere, illum illuminat; non tamen dicitur illuminatio, quia hoc reservatur illi doctrinae, quae traditur, vel praebendo lumen, vel confortando potentiam; et quia sic non est doctrina humana, dicitur esse per modum locutionis.

Ubi notare debes: Angelicum Doctorem non negasse hominum doctrinam esse illuminationem, nec asseruisse locutionem esse, sed dixisse esse *non per modum illuminationis, sed per modum locutionis,* quod valde diversum est. Est enim illuminatio manifestatio illa veritatis; ceterum quia non fit ad modum perfectae illuminationis, illuminatio non

(8) l. c., p. 121a.
(9) Tract. VII, disp. 14, dub. 3, num. 36 sqq.; t. IV, pp. 810b sq.
(10) l. c., p. 121b.
(11) l. c.: *...magis notum sibi proponit,..., sed per modum locutionis.*

dicitur. Non est nuda locutio, sed quia fit ad modum locutionis, locutio asseritur. Esse tamen locutionem media qua intellectus discipuli confortatur, tenendum omnino est cum eodem Angelico Praeceptore, eadem I part., quaest. 117, art. 1, in fine corporis, ubi ait: quod homo docens *confortat intellectum addiscentis non quidem aliqua virtute activa quasi superioris naturae, sicut supra dictum est de angelis illuminantibus, quia omnes humani intellectus sunt unius gradus in ordine naturae; sed in quantum proponit discipulo ordinem principiorum ad conclusiones, qui forte per seipsum non haberet tantam virtutem collectivam, ut ex principiis posset conclusiones deducere.* Ubi et hominem intellectum discipuli confortare atque adeo illuminare asserit D. Thomas, et notissimum discrimen inter illuminationem seu confortationem humanam et angelicam statuit. Atque adeo per hoc, quod homo proponat homini modo dicto intelligibile sibi ignotum, illum docet.

79. Sed contra et arguitur *tertio:* Homo proponit angelo inferiori et hic suo superiori intelligibile, quod sine hac propositione cognoscere non possent. Ergo vel homo docet angelum et angelus inferior suum superiorem, vel homo hominem non docet. Antecedens constat: quia homo proponit angelo et hic suo superiori cogitationem proprii cordis, quae cogitatio numquam ab eis cognosceretur sine habentis propositione; et consequentia legitime inferri videtur.

80. Confirmatur primo : Veritas ipsa quam homo ostendit angelo, est quam angelus ostendit homini. Ergo vel uterque, vel nullus docet. Consequentia videtur nota; et antecedens patet: quia veritas, sive ab angelo, sive ab homine proponatur, eiusdem naturae est.

81. Confirmatur secundo: *Quia veritas est lumen intellectus,* ait D. Thomas, quaest. 117 citata, art. 2 (12). Ergo a quocumque veritas reveletur, illuminat intellectum eius, cui fit revelatio. Ergo cum ab homine proponitur angelo, debet esse illuminatio; vel non erit cum ab angelo proponitur homini.

Hoc argumentum cum suis confirmationibus difficultatem continet multum pulverem concitantem in praesenti materia; ut illam feliciter valeas superare, scias ex nostris Salmanticensibus, tract. VII, in annotatione ad art. 2 I^{ae} p., quaest. 107 (13), quod ut manifestatio conceptus habeat rationem illuminationis, debet manifestari veritas ut veritas formaliter est; si namque veritas manifestatur et non ut formaliter veritas, dabitur quidem locutio, non autem illuminatio. In declarando vero quid sit manifestare veritatem ut veritas formaliter est, consistit tota difficultas.

Igitur ad hoc duo desiderantur: primum est quod veritas manifestetur a lumine superiori. Secundum est quod manifestetur veritas prout explicat dependentiam a prima veritate, quae creatae veritatis norma est. Requiritur primum, quia ex terminis ipsis implicat quod lumen inferius vel aequale possit lucem conferre habenti aequale vel superius lumen; quippe docere et illuminare supponunt illuminantem in actu et illuminabile in potentia, ut vel ipsae voces clamant. Est autem omnino repugnans quod superius vel aequale lumen sit in potentia relate ad lumen aequale vel inferius; unde necessario exigitur dicta superioritas ad illuminationem angelorum inter se et respectu hominum, cuius signum evidens est quod veritatis revelationes descendentes a prima veritate usque ad homines transeunt per angelos intermedios, servata semper eorum superioritate; quod si non requireretur lumen superius in illuminante, ad quid immutabilis ille ordo? Siquidem ut aliquid revelaretur seraphino, posset fieri illuminatio medio throno vel archangelo. Hoc non fit, nec fiet unquam. Ergo signum est quod requiritur dictum superius lumen.

(12) Sic in antiquis editionibus erronee ponitur; sed requiritur: quaest. 107, art. 2.

(13) t. IV, pp. 828b-831a.

Huius contrarium evenit inter homines, frequentissime enim videmus discipulos suos magistros superare in lumine intellectivo. Isti tamen, licet inferioris luminis, magistri sunt; quia cum homines scientias proprio sudore habeant, potest in habente lumen inferius scientia supponi et secundum illam est in actu, eoque perficere potest habentem perfectius lumen, sed non scientiam. Atque hinc etiam patet veritas illius, quod supra nobis dicit D. Thomas, scilicet magisterium humanum esse per modum locutionis; quia cum non praerequirat in magistro lumen intellectivum perfectius, sed solum perfectam habitionem (14) rei, quam docet; docet quidem, sed non per modum illuminationis. In angelis vero, cuius elevata republica modo proprio suae celsitudinis regitur, servatur altior docendi stylus; nec aliter, nisi eo servato, datur communicatio veritatis ut veritas formaliter est.

Secundum quod, ut manifestetur veritas ut est formaliter veritas, requiritur, est quod ipsa veritas manifestetur prout explicat dependentiam a prima veritate. Et hoc non aliter fit, nisi servando praeiactum ordinem, hoc est, quod illa veritas communicetur prout dicit provenire a Deo ut primo eius communicante. Est dicere: quod sit veritas, quam, priusquam angelus illam homini communicet, habeat ipse angelus sibi communicatam a Deo. Plura circa haec videre potes apud laudatos Salmanticenses ad citatum art. 2 (15). Ex quibus ad obiecta patet.

Respondetur ergo ad argumentum, concesso antecedenti, negando consequentiam pro utraque parte. Veritas enim, quam angelus superior suo inferiori et homini manifestat, est vere illuminatio; ipsa autem veritas ut manifestatur per hominem angelo et per angelum inferiorem suo superiori, illuminatio non est. Discrimen consistit in eo, quod manifestatio inferioris ad superiorem non est manifestatio veritatis ut formaliter veritas est; tum quia non est a lumine superiori; tum etiam quia non explicat dependentiam a prima veritate; ut enim illam explicaret, talis veritas deberet descendere a prima veritate et transiens per omnes spiritus intermedios pervenire ad illum, cui veritas illa revelatur; quod in praesenti non evenire, ipsum argumentum supponit.

Ut autem hanc doctrinam penitius calleas, memento quod angelus, licet sit in potentia ad veritates supernaturales, quas Deus revelat, habet tamen perfectissimam notitiam omnium veritatum naturalium. Nec obest quod cordis arcana non penetret, quia hoc non est ob defectum luminis et specierum, sed quia illa veritas non est de ad ipsum spectantibus; proptereaque illam non cognoscit, usque dum homo sua illam locutione revelet. Ceterum homo est in potentia ad plurimas veritates naturales, quas sibi alius homo proponit, eoque eius magister est.

Ad primam confirmationem respondetur: veritatem illam non esse formaliter eandem; quia, dum angelus illam homini revelat, est ut formaliter veritas; quod non habet, dum homo illam angelo proponit, ut patet ex dictis.

Ad secundam confirmationem respondetur: tunc veritatem esse lumen intellectus, cum communicatur ut est formaliter veritas; dum autem aliter communicatur, lumen non est, sed locutio. Termini patent ex dictis.

QUAESTIO SEXTA

Utrum asceta debeat hominem magistrum habere?

Plura in rerum natura dantur, ad quae nullus tenetur; unde ex quo detur in hominibus potestas ad homines instruendos, ut vidimus quaestione praecedenti,

(14) Sic in I et Neapol. ed.; « *habitationem* » vero in IV ed.

(15) l. c.

non habetur, an huic humano magisterio homo subiici teneatur? Et hoc est, quod in praesenti exploramus. Nec loquimur de debito secundum quid seu de obligatione ad melius esse; sic enim certius est quam quod maxime ascetam requirere humanum magisterium, cuius luce facilius difficillimi itineris tenebras superare queat. Loquimur autem de obligatione simpliciter tali, supposita tamen providentia et modo, quibus Deus nunc nos ad caelestia vocat; nec diffitemur posse alias aliter evenire. Unde quaerimus: An qui viam spiritualem lustrat, teneatur habere directorem humanum, ita quod sine illo consequi non valeat quod optat.

§. I. Vera sententia proponitur.

82. Nostra conclusio: *Ambulans per viam spiritus debet hominis directioni subesse.* Sic sentiunt omnes, qui mystica documenta tradidere. Sic docet D. Thomas ad illa verba *Canticorum* (1): *Invenerunt me vigiles.* Seraphica Mater nostra mira dicit circa hoc et Extaticus noster Parens locis infra citandis. Probatur ergo primo conclusio ex sacra Scriptura: nam apud *Ecclesiasticum,* XXXII, v. 24, dicitur: *Fili sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis.* Ubi tanquam infallibilis proponitur error, de quo paeniteat illum, qui sine directore operatur. Unde ad vitandum tale praecipitium requiritur ductus magistri spiritualis. Simile est, quod filio suo praecepit bonus pater Tobias (2) dicens: *Consilium semper a sapiente perquire.* Semper directione uti praecipit; quia non est tempus, nec est res, quam cum directore conferre non debeat, qui in spirituali itinere errare non vult. Sic ergo promissum habet divinum auxilium pro felici exitu, dicente Christo Domino (3): *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Scilicet, explicat noster Extaticus Parens, lib. II *Ascensus,* cap. 22 (4): *Aclarando y confirmando en sus corazones las verdades de Dios.* Id est (5): In cordibus suis (6) declarans confirmansque veritates divinas. Ubi notatu dignum est cum eodem Parente nostro inibi (7), non dixisse Christum, ubi fuerit unus, ibi sum: *Para dar á entender, que no quiere Dios, que ninguno á solas se crea para sí las cosas, que tiene por de Dios, ni se confirme, ni aun afirme en ellas sin el consejo y govierno de la Iglesia, ó sus Ministros, porque con este, solo non estará él aclarandole y confirmandole la verdad en el corazon, y assi quedará en ella flaco y frio.* Est dicere: Ut ostenderet quod nemo in sui spiritus causa potest esse iudex. Unde adire debet Ecclesiam, e cuius ministris unum seligat, per quem instruatur et in occurrentibus dubiis determinetur (8).

83. Discursum mire confirmat ac pariter conclusionem probat dictum *Ecclesiastes* cap. IV (9): *Vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Ubi necessitatem directoris docet, iuxta nostrum Seraphicum Doctorem ubi supra (10). *Vae* comminatur directorem non habenti, a quo *vae* ut asceta immunis sit, directorem quaerat. Prosequitur caeleste oraculum: *Quia cum ceciderit;* sat

(1) c. III, v. 3.
(2) *Tob.*, c. IV, v. 19.
(3) *Matth.*, c. XVIII, v. 20; Hetzenauer, p. 971: *Ubi enim sunt duo, vel...*
(4) *Subida del monte Carmelo,* lib. II, cap. 20; ed. crit., t. I, p. 216.
(5) « *Id est* » deest in I et Neapol. ed.
(6) Ed. Neapol.: « *eorum* » pro « *suis* ».
(7) pp. 216-217.
(8) In I ed. legitur: « Ut intelligatur, Deum nolle neminem solitarie sibi credere ea, quae existimat a Deo esse, nec in eis se figere, et confirmare absque consilio, et Ecclesiae moderatione, aut eius ministris, nam cum isto solo non erit illi Deus declarationem, et veritatis confirmationem tribuens, itaque in illa enervatum, et gelidum manebit ». — Similiter in Neapolitana, praeter: « ...solitarie et a se credere... Ecclesiae gubernio, aut ministrorum ejus absque quo Deus declarationem, et veritatis confirmationem, ei non tribuet, itaque... remanebit ».
(9) v. 10.
(10) p. 217.

foret, ut directoris necessitatem fundaret, dicere: *Quia si ceciderit.* Ex quo enim casus in re tanti momenti timeamus, de remedio providere tenemur, sed aliquid plus textus continet, non ponit ruinam conditionatam, sed certo futuram: *cum ceciderit;* certo enim cadit, qui per viam spiritus solus vadit; et post casum habet aliud malum peius, quo gravetur; siquidem solus cum sit, in statum pristinum redire non potest, quia *non habet sublevantem.* Constituitur in miserabiliori statu quam ille, qui tot decadibus suae salutis casum in piscina deplorabat (11), ille enim in caeno infirmitatis corporeae volutabatur; hic autem in peccati ergastulo detinetur. Uterque non potest surgere, quia non habet hominem. Verum hoc ipsum, in quo conveniunt, est in quo maxime discriminantur. Ille enim hominem non habebat, quia non poterat; hic hominem non habet, quia illum habere renuit, et hoc est suae miseriae praecipuum caput, a qua surgere non speret, quia *non habet sublevantem se;* immo, qui magis ac magis illum praecipitet, habet; cum verum sit illud D. Bernardi, *serm. 77 in Cantica* (12): *Seductori dat manum, qui dare dissimulat Praeceptori.*

84. Pluribus aliis in locis Scriptura sacra hanc nobis veritatem commendat. Illam D. Thomas, ut iam vidimus, iussam cognovit in illo ex *Canticis* (13): *Invenerunt me vigiles.* Ipsam D. Chrysostomus traditam fatetur apud *Ecclesiasticum,* VI (14), ubi dicitur: *Multi pacifici tibi sint, et consiliarius sit tibi unus de multis.* Et, ut ne aliquis haec non praecepti, sed consilii arbitraretur, ait ipse Chrysostomus, *Homilia V de laudibus Pauli* (15): *Consiliariis omnes opus habent, etiamsi Moysi conferri possint.* Quae omnia tam perspicue necessarium esse directorem clamant, ut oppositum sustineri non possit.

85. Nec solum sacra Scriptura eiusque interpretes Sancti Patres in hanc veritatem conspirant; verum etiam ab ipsis ethnicis edocetur. Aristoteles, *VI Ethicorum,* cap. 11 (16), ait: *Oportet attendere expertorum, et seniorum, et prudentium doctrinam. In indemonstrabilibus enuntiationibus, et opinionibus, non minus quam demonstrabilibus: propter experientiam enim vident principia.* Si namque, ut error non incurratur in cognitione alicuius veritatis, cuius principiorum cognitionem omnes habent per lumen inditum, recurrendum est ad magistrum; quanto magis non debet sine magistro procedere, qui veritates supernaturales sequitur, quarum utilissimae assecutioni tot obstant difficultatum monstra, tot periculorum furiae!

86. Non omittam sanctissimum Doctorem S. Vincentium Ferrerium, qui, *Tractatu de Vita spirituali* (17), ait circa praesentem materiam quid tenere debeamus, verbis adeo perspicuis, ut tergiversari non possit; sic ergo loquitur: *Numquam Christus suam gratiam ministrabit, si homo habet a quo possit instrui, et deduci et negligit, vel non curat alterius ducatum amplecti, credens sibi sufficere, et posse investigare, et invenire, quae sunt utilia ad salutem.* Quo nihil (18) proprius elegantiusve pro hac materia dici potuit.

87. Probatur denique nostra assertio sequenti discursu gravissima auctoritate fundato. Impossibile est hominem sine hominis directione posse consequi perfectionem. Ergo necessaria est directio hominis ut homo perfectionem consequatur. Consequentia est innegabilis; et an-

(11) *Ioan.,* c. V.
(12) num. 6; Migne, P. L., t. 183, col. 1158.
(13) c. III, v. 3.
(14) v. 6; Hetzenauer, p. 626: *Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille.*
(15) Sic in antiquis editionibus. Textus allatus invenitur in *De ferendis reprehensionibus et de mutatione nominum,* III, num. 2; Migne, P. G., t. 51, col. 134.
(16) Ed. Didot, t. II, p. 73, num. 6; Bekk., 1143b, 11.
(17) Part. II, cap. I; ed. latina, Salmanticae, 1543, p. 12: *...ministrabit, sine quo nihil possumus, si homo...* — Traduction française du R. P. MATTHIEU JOSEPH ROUSSET: *Traité de la vie spirituelle,* II^e^ Partie, chap. 1; Paris, Lethielleux, 1899, t. I, p. 36.
(18) « *nil* » in I et Neapol. ed.

tecedens probatur ex *Nostris Constitutionibus,* I part., cap. 18, num. 5 (19), ubi dicitur: *Cum impossibile sit (iuxta probatissimam, et verissimam Patrum sententiam) quenquam eorum, qui sub obeäientia vivunt, absque spiritualis Magistri ductu, ad perfectionis metam pervenire.* In qua auctoritate ponderandum est, auctorem expertissimum asseverare impossibile esse consequi perfectionem sine ductu directionis humanae, et hoc asserit esse dictamen Patrum probatissimum et verissimum. Ergo tenet antecedens.

88. Dices: Citata nostra constitutio loquitur de iis, *qui sub obedientia vivunt.* Ergo ii, qui sub obedientia non vivunt, tali magisterio non egent. Patet ista: quia exceptio firmat regulam in contrarium. *Leg. nam quo liquide ff. de pen. leg.* Respondetur primo : illam constitutionem latam esse pro viris religiosis; inde illis doctrinam omnibus spiritualibus communem applicat: quare ly *qui sub obedientia vivunt* non est personarum exceptio, sed limitatio; hoc est, doctrinam omnibus propriam appropriat speciali generi personarum, scilicet religiosis, cum quibus et de quibus loquitur, de aliis vero non curat, quia pro illis illa constitutio non est sancita. Unde aliae personae non excipiuntur ab illa generali doctrina, sed solum ab applicatione constitutionis loquentis.

Respondetur secundo: clausulam illam non continere exceptionem, sed exaggerationem. Quippe sensus eius est: si hi, qui sub obedientia vivunt, atque adeo se omniaque sua in obedientiae altare litavere, debent nova subiectionis forma venusti imperio directoris obtemperare, quanto magis illi, qui tali pondere non gravantur, hanc obediendi provinciam intrare debent.

§. II. **Occurritur motivis oppositis.**

89. Contra veritatem statutam arguitur *primo:* Nam D. Bonaventura in *De sex alis Seraphim* (20) asserit posse aliquos inveniri, qui hoc spirituali magisterio non indigeant. Ergo non est adeo indispensabilis hominis directio.

90. Confirmatur: quia ratione consentaneum est ut illitterati aliorum judicio dirigantur ne errent; illi vero, qui litterati sunt et in aliorum directione experti, non est cur simili obligatione premantur.

Respondetur argumento primo: unius Bonaventurae sententiam, quanquam gravissimam, non auferre quominus sententia opposita et verissima dicatur, et iuxta Patrum sententiam probatissima (21).

Respondetur secundo : Seraphicum Doctorem talia pro veritate illius positionis petere, ut a verissima et probatissima aliorum Patrum sententia non recedat. Asserit enim (22) hominem, qui alterius hominis magisterio non indiget, debere sequentibus conditionibus decorari. *Prima,* quod sit ita illuminatus ut nihil erret in his, quae necessario scire oportet; atque adeo ut non possit decipi a daemone, ab homine vel a proprio sensu. *Secunda,* ut sine alterius impulsu noscat se ad omne virtutis exercitium fideliter extendere. *Tertia,* ut quasi naturaliter inclinatus sit ad bonum amandum malumque fugiendum. *Ultima,* ut sit ita humilis, quod nec efferatur in prosperis, nec praesumat immunem se esse ab adversis. Has conditiones petit Sanctus Bonaventura, easque refert Guadalupe, tract. I, cap. 4 (23). Verum his quis unquam ornatus visus est? Possumus enim dicere quod de Platone, libros illos de republica scribente, dixit Possidonius,

(19) *Constitutiones... Congregationis Hispaniae,* ed. Matriti, 1701, p. 122: *Cum impossibile sit (secundum probatissimam,...).* — cf. supra, *Isagoge,* lib. I, num. 59, p. 30.

(20) cap. 1, num. 3; ed. Quaracchi, t. VIII, p. 132b; ed. Peltier, t. XII, p. 134 (cap. 2).

(21) Tota haec prima responsio intentionaliter omittitur in editione Neapolitana, etenim ibi immediate post confirmationem incipitur: « *Respondetur Seraphicum Doctorem talia...* »

(22) l. c.

(23) *Mystica theologia supernaturalis infusa,* tract. I, cap. 4; Matriti, 1665, p. 9.

scilicet rempublicam illam, quam instituit Plato, nec existere, nec dari posse, sed solum imaginari; communis siquidem rerum cursus (de quo loquimur) nec rempublicam adeo iustam patitur in hoc miseriarum centro, nec hominem adeo purum germinat in hac lacrimarum valle. S. Bonaventura hominem repraesentat, sicut rempublicam Plato, non qualis est, nec cursu communi inspecto erit, sed qualis debet esse.

Sed esto quod daretur homo illis conditionibus fulgens, humana directione dicimus adhuc egere, si vellet in perfectionem venire. Et ratio est: quia hoc suadent verba D. Vincentii num. 86 relata. Hoc etiam ostendunt verba Chrysostomi num. 84 proposita. Accedit D. Bernardus dicens: *Hoc vult Deus, ut homo per hominem doceatur.* Hoc etiam ostendit sublimius exemplar Pauli, qui licet sciret se evangelium recepisse per revelationem Iesu Christi ; illud tamen conferre voluit cum aliis Apostolis; et si motivum huius communicationis scire desideras, audi eundem Apostolum dicentem se hoc fecisse: *Ne forte in vanum currerem ,aut cucurrissem* (24).

Accedit denique ipsa Seraphici Doctoris auctoritas: in eodem enim loco, qui nobis opponitur, cap. 7 (25), ait : *Inter omnes tentationes videtur ista periculosior cuique Christiano, scilicet proprio sensui nimis inniti. Cum enim nemo reperiatur ita perspicacis intelligentiae, quin possit in aliquibus falli; qui hoc totum et solum reputat iustum quod ipse senserit, astuto adversario ad varias seductiones sub specie boni liberum aditum pandit.* Et in hoc triplex convenientia sive utilitas invenitur iuxta eundem Doctorem Seraphicum inibi (26) dicentem: *Primo si alii idem sentiunt, quod ipse, securior est, quod non decipiatur. Secundo quidquid fecerit cum prudentium consilio, si inde aliquid evenerit contrarii, minus ei poterit imputari, quam si de suo tantum sensu fecisset. Tertio, quod saepe in merito humilitatis talis, Deus dat ei agnoscere per se, vel per alium, quod ante non intellexit. Hinc Moyses, cui Deus facie ad faciem loquebatur, consilium Iethro soceri sui habuit, et servavit.*

Ex dictis ergo constat D. Bonaventuram pro nobis esse. Ex eius verbis ultimo relatis respondetur ad confirmationem : ab humana directione neminem excludi, etiamsi litteratissimus et expertissimus sit; quia Deus vult humilitatem et propriae voluntatis abnegationem in tendente ad perfectionem, quae media directione humana consequuntur.

91. Arguitur *secundo:* In oratione dominica continetur quidquid requiritur ut perfectionem consequamur, et etiam quidquid facere debemus. Sed ibi non praecipimur hominis directioni subesse, sed solum divinae voluntati, ibi (27): *Fiat voluntas tua.* Ergo humana directio homini necessaria non est.

92. Confirmatur: Ut homo eligat directorem, non indiget directore. Ergo ut alia, quae ad viam spiritualem pertinent, exsequatur, directore non indiget. Antecedens patet: quia si ad electionem directoris egeret directore, ad huius electionem etiam directore egeret, et sic in infinitum. Et consequentia probatur: quia iuxta nostram sententiam nihil est magis arduum quam directoris electio. Sed ut hic eligatur, non requiritur director. Ergo nec ut perfectio habeatur requiritur.

Respondetur argumento : in oratione dominica contineri nos debere impletionem voluntatis divinae appetere et ad illam, quantum est ex parte nostra, concurrere; unde cum paulo ante a D. Bernardo audissemus (28): *Hoc vult Deus, ut homo per hominem doceatur,* hanc divinam voluntatem in se implere debet, cum ipsaque conformari, qui ad perfectionem tendit; consequenterque in domi-

(24) *Galat.*, c. II, v. 2; Hetzenauer, p. 1133: *Ne forte in vacuum currerem,...*

(25) Ed. Peltier, t. XII, p. 152a; ed. Quaracchi, t. VIII, p. 146b (cap. 6, num. 18): *Inter omnes autem tentationes...*

(26) Ed. Peltier, l. c.; ed. Quaracchi, t. c., p. 147a, num. 19: *Primo, si alii idem sentiunt quod et ipse,... si aliquid inde evenerit... sensu id fecisset...*

(27) *Matth.*, c. VI, v. 10.

(28) scil. num. 90.

nica oratione habemus necessitatem directionis humanae.

Ad confirmationem respondetur: motivum principalissimum ut homo homini subdatur, est humilitatis exercitium et propriae voluntatis abnegatio, et hoc consequitur per obedientiam directori exhibitam; huncque directorem invenire impossibile non est, sicut est impossibilis illa in infinitum reflexio antecedentis, nec ibi elucet humilitas et propria abnegatio sicut in obediendo directori assumpto; unde sequitur quod humana directio seu directori humano obedientia sit necessaria; non autem illa pro directore eligendo consultatio; licet laudabile sit consilium circa hoc quaerere, ut (29) possibile sit; et etiam est necessarium cum hoc ad Deum recurrere, ut de bono directore provideat.

93. Arguitur *tertio:* Quia si esset necessarius director, vel teneretur discipulus obedire illi in omnibus, vel in aliquibus. Neutrum potest dici. Ergo non est necessaria humana directio. Cetera constant; et minor pro prima parte probatur: quia si teneretur obedire in omnibus, perfectior esset haec obedientia quam obedientia religiosa. Sed hoc est falsum. Ergo et quod teneatur in omnibus directori obedire. Probatur minor: nam habens votum obedientiae religiosae non tenetur obedire in omnibus praelato praecipienti. Ergo.

Quoad secundam partem probatur ipsa minor: quia si in aliquibus non tenetur, sicut gubernatur in illis, pariter et in aliis dirigetur. Ergo in nullo tenetur obedire.

94. Confirmatur: quia si tenetur obedire, vel esset uni directori, vel pluribus. Non primum: quia unus frequenter potest non sufficere pro casibus occurrentibus. Nec secundum: quia ex eo sequuntur plura inconvenientia, ut sunt oppositio dictaminum inter ipsos directores, quae dissensio non potest non esse in praeiudicium discipuli; ob quod Extaticus noster Parens, lib. I *Noctis,* cap. 2 (30), hanc pluralitatem improbat.

Respondetur: argumentum hoc duo requirere: primum est, quod ostendamus discrimen inter obedientiam religiosam et obedientiam discipuli erga suum directorem. Secundum est, quod dicamus in quo debeat obedire discipulus directori. Circa primum dicimus obedientiam religiosam esse sine comparatione perperfectiorem propter votum quam obedientiam ligantem (31) erga directorem discipulum. In quo fas non est dubitare. Praeterquam quod *Illi qui vivunt in religione totaliter se, et sua tribuunt Deo, unde eorum obedientia est universalis,* ait D. Thomas, II^a II^{ae}, quaest. 186, art. 5, ad 1 (32); quod non invenitur in illa alia obedientia; non enim ibi invenitur quod discipulus se suaque tradat directori; unde ex nullo capite comparari possunt. Debet enim director attendere ad discipuli statum et obligationem, ad genium et ingenium ipsius, ad aliaque plura, quae considerare debet ut suum ministerium impleat; his enim modificationibus vestitur obedientia illa, et nulla obedientia religiosa.

Secundum autem quod dicere in praesenti debemus est in quibus obedire debeat discipulus directori suo. Ad quod declarandum egregia sunt verba Magni Basilii in *Serm. de abdic. rer.,* ubi postquam sollicitudinem, qua inquiri director debet, commendat, sic ait (33): *Si talem quempiam nactus fueris, tuto vero voluntatem tuam omnem expuito, ac foras proiicito; atque ubi hoc feceris, dede te illi, ut sincerissimum velut vas quoddam existas, qui quae in te infundantur virtutes, ad laudem Dei gloriamque ab omni vitio castas conserves.* Ubi voluntatem discipuli ab ipso expuendam docet Sanctus Pater; eoque sic agere debet

(29) « *ut ut* » in I ed.

(30) *Noche oscura del sentido,* canc. I, v. 1, §. 2 (cap. 2); ed. crit., t. II, p. 8-9.

(31) In antiquis editionibus legitur: « *quam obedientia ligans* ».

(32) Ed. Leonina, t. X, p. 494b: *Illi vero qui vivunt in religione, totaliter se et sua tribuunt Deo, ut ex supra dictis patet. Unde obedientia eorum est universalis.*

(33) *Sermo de Renuntiatione saeculi et de perfectione spirituali,* num. 2; text. graec., Migne, P. G., t. 31, col. 632.

cum suo magistro, ac si nullam voluntatem haberet praeter directoris voluntatem in iis omnibus, quae pertinent ad sui directionem. Videatur Seraphica Mater nostra pluribus in locis suorum operum (34), in quibus doctrinam traditam veram esse ostendit sua caelesti doctrina.

Ad confirmationem respondetur: directorem animae debere esse unum et plures; unum, quia debet esse una persona; plures, quia dotes, quae in pluribus dispersae sunt, debet simul tenere; ad suum enim ministerium exacte obeundum pluribus debet fulgere. Egregie praecitatus Basilius ait ubi supra (35): *Summa vigilantia, acerrimaque in omnes partes animi circumspectione operam dato, ut aliquem tibi virum invenias, quem in omnibus deinceps delectet tibi vitae studiis certissimum ducem sequi, eiusmodique, qui rectum iter ad Deum volentibus pergere sciat commonstrare, qui ornatus virtutibus sit, cuius universae totius ipsius vitae actiones testimonio sint, charitatem in eo erga Deum inesse, qui divinarum litterarum scientiam habeat, virum integrum, nec ulli distractioni indulgentem.* Hactenus insignis hic Doctor demonstrans directorem unum debere esse, qui pro pluribus valeat.

Sed ad intentum confirmationis respondentes dicimus: directorem debere esse unum, sed talem, qui patiatur, immo et praecipiat discipulum cum alio vel aliis aliquando consulere. Sic enim occurritur inconvenientibus. Sunt enim in hac materia duo extrema valde vitiosa, unum se tenens ex parte directoris et aliud ex parte discipuli; sunt enim directores, qui nolunt suos clientes magistros alios adire ut cum illis res suas conferant; sunt et discipuli, qui cum multis communicare volunt; utrumque hoc extremum perniciosissimum est; et contra primum scribit sanctissimo zelo actus Extaticus noster Doctor in *Flamma*, cantione III, §. 12 (36), ubi ait: *No tiene escusa el que tratando una alma jamás la dexa salir de su poder por los respectos, é intentos vanos, que él sabe, que no quedarán sin castigo.* Hoc est: Inexcusabilis est magister, qui animam, quam dirigit, ad alios ministros consulendos accedere prohibet ob motiva sibi nota et quae minime manebunt impunita (37). Et post pauca subdit (38): *Qué te tienes por tan consumado, que nunca essa alma havrá menester mas que á ti.* Est dicere: In tam sublimi sufficientiae culmine te constitutum intelligis, quod anima, quae sub tuo magisterio degit, numquam indigeat alio magisterio (39)? Videatur Sanctus Doctor loco citato, ubi mira circa haec loquitur.

Contra extremum se tenens ex parte discipuli agit idem Extaticus, lib. I *Noctis*, cap. 2 (40), his verbis: *A veces tambien, quando sus Maestros espirituales, como son Confessores, y Prelados, no les aprueban su espiritu, y modo de proceder (porque tienen gana, que alaben, y estimen sus cosas) juzgan que no les entienden el espiritu, y que ellos no son espirituales; pues no aprueban aquello y condescienden con ello: y assi luego desean y procuran tratar con otro, que quadre á suo gusto.* Videatur traductio latinitati donata, quam hic omittimus, quia in *Isagoge*, lib. I, fol. 48, num. 79 (41), fuse tradidimus, et ob ibi dicta sufficienter nunc secundum insinuatum motivum dignoscetur duplex vitium, quod

(34) cf. *Vida*, cap. 26; ed. crít., t. I, pp. 204 sqq.; *Relación primera*, t. II, p. 6; *Camino de perfección*, cap. 4 et 5; t. III, p. 29 sqq.; *Avisos* 18 y 63; t. VI, pp. 50 y 53. — Multa loca inveniuntur apud IEAN-PAUL ROBYNS, *l'Esprit de la Doctrine Celeste de S. Terese et ses Sentiments Divins*, chap. VII, §. 4; Anvers, 1707, pp. 98-105.

(35) l. c.

(36) *Llama de Amor viva,...* ed. crít., t. II, pp. 459 y 663: *...de su poder, allá por los.*

(37) In I ed. legitur: « Non est excusatio illi animam contrectanti, nusquamque eam relinquenti a sua potestate exire ob intentus, inanesque respectus, quorum gnarus est; quod quidem absque correctione non manebit ». — Similiter in Neapol. ed. praeter: « ...quod quidem impunitum non abibit ».

(38) l. c., pp. 460 y 664.

(39) In I ed. legitur: « Numquid te existimas ita consummatum esse, ut ipsa anima potius quam alio te egat? ». — Similiter in Neapol., praeter: « ...anima te uno, nec alio egeat? »

(40) *Noche oscura del sentido*, canc. I, v. 1, §. 2 (cap. 2); ed. crít., t. II, pp. 8-9: *...Tienen gana que estimen y alaben sus... pues que no aprueban... cuadre con su gusto.*

(41) In hac editione: p. 35.

in aliquibus spiritualibus contingere solet (42).

Utrique occurritur, si director non solum permittit, sed etiam suadet discipulo ut aliquando alios adeat, cum quibus de rebus ad suum profectum spectantibus loquatur. Atque hinc constat directorem debere esse unum et plures; unum, quia non debet discipulus pro suo libito sine necessitate plures adire. Debet esse plures, quia est pars notabilis sui ministerii ut liberum discipulum relinquat ut, quando opus fuerit, alios consulat. In quo certe angelis assimilatur, inter quos videmus quod licet unus destinetur ad custodiam cuiuslibet hominis, ille tamen homo non solum in suo profectu dependet a suo angelo custode, sed etiam ab aliis; quippe in uno eodem homine plura concurrunt, ad quorum singula requiritur dependentia a suo angelo, et licet ista per proprium custodem exsequantur, operantur tamen virtute superioris angeli; quae est doctrina D. Thomae, I part., quaest. 113, art. 3 (43), ubi ait: *Ad tertium dicendum, quod etiam inferiores angeli exercent officia superiorum, in quantum aliquid de dono eorum participant, et se habent ad superiores, sicut executores virtutis eorum. Et per hunc modum etiam omnes* (44) *angeli infimi ordinis* (ex quibus sunt nostri custodes) *possunt, et arcere daemones, et miracula facere.* Sic ergo magister spiritualis suum discipulum dirigat non solum iis, quae ex se habet, sed etiam illis, quae ex aliorum consultatione colligat; et ita nullum aderit inconveniens.

95. Arguitur *quarto:* Non potest discipulus vovere obedientiam uni directori. Ergo non debet ligari eius magisterio. Consequentia sequitur: si namque teneretur huic alligationi, bona esset eique proficua; atque adeo posset esse materia voti. Antecedens autem probatur: quia patrum spiritualium regula generalis est, quod anima libera sit ad communicationem attinentium ad suum profectum spiritualem. Sed votum de obediendo huic directori et de communicando illi soli non relinquit animam cum illa libertate. Ergo tale votum consuli non debet. Probatur maior ex D. Paulo, *II ad Corinth.*, III (45), dicente: *Ubi spiritus, ibi libertas.* Probatur secundo eadem maior verbis illis nostri Extatici Doctoris relatis numero praecedenti, quibus Sanctus Pater damnat prohibitionem, quam aliqui directores suis discipulis imponunt, ut cum aliis non consulant, ex qua prohibitione plura eaque gravia inconvenientia sequuntur contra animarum profectum.

96. Confirmatur: quia votum debet cedere in utilitatem voventis. Sed votum de quo loquimur, iuxta doctrinam nostri mystici Doctoris modo datam, non cedit in voventis utilitatem; quin potius cedit in ipsius perniciem. Ergo emittendum non est. Unde Extaticus noster Parens locutus de directoribus loco citato (46) inquit: *Deben estos tales dar libertad á estas almas, y estan obligados á dexarlas ir á otros.* Hoc est: Isti tales debent his animabus tribuere libertatem relinquereque eas ut alios adeant, sicut obligatio ipsorum directorum exigit (47).

(42) In I ed. legitur: « Aliquoties, dum eorum spirituales Magistri, uti sunt Confessarii, ac Praelati, non illis approbant suum spiritum, modumque procedendi (quia inhiunt esse laudati, atque eorumdem opera praetio [sic] aestimentur) iudicant suum spiritum non intelligere, seque spirituales non esse; quia illum nec comprobant, nec cum illo conformantur: itaque appetunt, et solicitant [sic] cum alio agere suis degustationibus consimili. De his aliqua in Isagoge diximus: sufficiant tamen dicta, ut hoc duplex vitium dignoscatur ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: « (...non approbant ipsorum spiritum,... (quia inhiunt valde laudari, atque eorumdem opera pretio aestimari) judicant eorum spiritum non intelligere, eosque spirituales non esse; ...agere, ipsorum voluntati conformi). De his... »

(43) In antiquis editionibus erronee ponitur: « *quaest. 112* ».

(44) Ed. Leonina, t. V, p. 528b, omittit « *omnes* ».

(45) v. 17; Hetzenauer, p. 1125: *Ubi autem Spiritus Domini: ibi libertas.*

(46) Sic in *Primera Llama de Amor viva*, canc. III, v. 3, §. 12; ed. crít., t. II, p. 664; — at vero in *Llama de Amor viva*, l. c., p. 461: *Deben, pues, hos maestros espirituales dar libertad á las almas, y están obligados á mostrarlas buen rostro cuando ellas quisieren buscar mejoría.*

(47) In I ed. legitur: « Iustum est, hos libertatem tribuere animabus istis, verumque obnoxos esse relinquendi eas ad alios ire ». — In Neapolitana vero: « Aequum est, hos libertatem tribuere animabus istis, quin debeant ipsi, illas ad alios remittere ».

Propter hoc argumentum et illa, quae pro eo dicta sunt, noster Antonius ab Annuntiatione, *Quodlib.* IV, art. 4 (48), negat tale votum emitti posse. Sed ut libere dicam quid in hac materia sentio, dico tale votum esse licitum, atque adeo potest consuli. Moveor ad hoc primo gravissima auctoritate. Secundo urgenti ratione. Tertio quia, quae in contrarium adducuntur, debilia sunt. Haec suo ordine edisserens, auctoritatem propono et est Seraphicae Matris nostrae Theresiae suo exemplo nostram opinionem approbantis, prout refert mellifluus horum temporum Doctor Sanctus Franciscus Salesius, *Epist. 44*, lib. 1 (49). Haec sunt dulcissima eius verba: *Parum antequam vestras acciperem, librum quendam vespere sumpsi prae manibus, qui de bona Matre Theresia loquitur, et reperi, quod voto singularis obedientiae se devinxerit Patri Gratiano sui Ordinis, quod omni vita faceret id, quod ipse praescriberet ei, quod non contrariaretur Deo, nec obedientiae superiorum Ordinariorum Ecclesiae et suae Religionis* (50). Non potest auctor contrariae opinionis hoc exemplar contemnere, nec relationem de ipso factam. Si ergo Sanctissima Theresia votum hoc singularis obedientiae nuncupavit, cur ergo alii hoc ipsum facere non poterunt concurrentibus circumstantiis necessariis.

97. Ex hac voti singularis obedientiae nuncupatione nullum inconveniens ex propositis ab illo auctore sequitur. Vitantur enim omnia illa inconvenientia, si exemplar oppositum Seraphicae Matris nostrae et Salesii doctrina sequatur: sic enim ait loco citato (51) Sanctissimus Praesul: *Eiusdem cum illis sententiae sum* (52), *qui scrupulos tibi voluerunt iniiere, quod non expediat, nisi unum habere Patrem spiritualem, cuius auctoritas in omnibus semper, et per omnia praeferatur voluntati propriae, necnon etiam iudicio cuiuscumque personae privatae: sed hoc non impedit ullo modo commercium et communicationem spiritus cum alio quopiam, nec se conformare iudicio et consiliis aliunde receptis.* Haec mellifluus iste Pater, qui dictis immediate annectit votum Sanctae Matris nostrae Theresiae verbis, quae iam dedimus, et post illa subdit (53)): *De caetero non omittebat ipsa* (scilicet Seraphica Doctrix) *magnum quempiam, et singularem amicum semper eligere, cum quo confidenter agebat, ex quo directiones, et consilia recipiebat impenso studio practicanda, et in omnibus usurpanda, in quibus obedientiae promissae non contrariarentur. In qua re valde bene reperiebat sese, prout ipsamet frequenter in pluribus scriptorum suorum locis statutum relinquere voluit. Haec eo dicta sint, ut appareat, quod Patris spiritualis unitas non excludat confidentiam, et communicationem cum altero, modo firma remaneat obedientia, quae promissa fuit, in suo gradu, et aliis praeferatur.*

98. Nullum inconveniens assignabile est contra huiusmodi voti emissionem, quod non praecaveatur ex dictis. Et quod caput est, habemus Sanctissimam Theresiam opere defensantem et Illustrissimum Salesium doctrina defendentem nostrae positionis veritatem; et hoc est praecipua ipsius probatio. Verum et ratio accedit: etenim tradere se alicui in proprii spiritus directionem est bonum et proficuum se tradenti. Ergo potest voveri. Antecedens est omnino certum; et consequentia inde patet, quia propter defectum utilitatis asserit sententia opposita tale votum emitti non posse; unde cum videamus illud votum utile esse, non est cur improbetur.

(48) Matriti, 1712, p. 109.

(49) *Œuvres complètes de Saint François de Sales*, lettre 389 (à Mme de Chantal, 24 Juin 1604); Nancy, 1865-1866, t. VII, p. 208.

(50) Ipsa S. M. N. Theresia hoc narrat in *Relaciones XXXIX-XLI;* ed. crit., t. II, pp. 67-71. — P. GRÉGOIRE DE SAINT JOSEPH, C. D., *Lettres de Sainte Thérèse de Jésus, Relation* XI; Rome, Pustet, 2e ed., t. III, pp. 433-441.

(51) l. c., pp. 207-208.

(52) « *sunt* » in antiquis editionibus at requiritur « *sum* », etenim in editione gallica, l. c., legitur: *Je suis bien d'accord avec ceux qui vous ont voulu donner du scrupule,...*

(53) ed. cit., p. 208.

99. Dices: Licet subiici directioni alterius utile sit, immo et necessarium, firmare tamen hanc subiectionem voto, utile propter inconvenientia non est. *Sed respondetur* quod haec inconvenientia non sunt vera, sed imaginata; sequentes enim exemplar Theresianum Salesiique doctrinam, nullum inconveniens vident, nec timere debent.

100. Et certe aliqua inconvenientia esse in hac subiectione non dubitamus ; illa tamen prudenter praecavenda esse dicimus. Et eo modo, quo utilis asseritur a contraria opinione, eo modo voveri posse affirmamus.

101. Etiam debilia sunt, quae in oppositum afferuntur; nec textus ille Apostoli adduci potest in confirmationem illius opinionis, nisi cum magna violentia. Libertas enim, de qua Apostolus loquitur, est illa, quae opponitur cupiditati liberamque mentem et expeditam relinquit ut, transitoriis despectis, in Deum contemplatione feratur. Sic D. Bernardus his verbis: *Non potest mens ad contemplandum Deum esse libera, quae terrena, et transitoria huius mundi concupiscit. Non potest videre oculus mentis alta, si eum claudit pulvis terrenae cupiditatis.* Ac denique D. Thomas (54) explicat Pauli verba de libertate, hoc est, de operatione ab amore erga Deum procedente et non ex alio motivo; unde cum hic amor sit donum, quo Spiritus Sanctus iusti animam decorat, propterea dicitur (55): *Ubi spiritus Domini*, hoc est, ubi Spiritus Sanctus media caritate iusto infusa operatur, *ibi libertas;* quia ibi non est aliud motivum, nisi Dei amor liber a subiectione cuiuscumque motivi Deo inferioris.

Illa autem, quae tam in argumento, quam in confirmatione allata sunt ex nostro Doctore Extatico, adhuc debiliora sunt; siquidem Sanctus Doctor damnandum illud extremum, de quo diximus num. 94, illis verbis censurat, sed nostrum hoc votum non damnat, ut auctoritates in contrarium adductas intuenti constabit, quin aliud addere opus sit.

102. Arguitur *ultimo:* quia est impossibile invenire, qui habeat conditiones requisitas ad directorem animarum. Ergo non est necessarium inquirere directorem. Patet ista: quia alias discipulus teneretur ad impossibile, cum deberet investigare quod est impossibile inventu. Antecedens autem probatur: quia tales sunt dotes, quae requiruntur ad animarum magisterium, ut pene inveniatur qui illis fulgeat. Ex quo sequitur impossibilitas dicta. Indidemque habetur quod, cum electio debeat rem certam inspicere, esset omnino incertum quis possit ad perfectionem dirigere; quia non constat in quo dotes illae inveniantur. Verba audiuntur, speculatio cognoscitur; sed an spiritus ex Deo sit, non potest discipulus dignoscere, cum frequenter ovina pellis lupos rapacissimos tegat (56). Praeterquam quod licet hoc monstrum vitetur et exteriori interior devotio correspondeat, pene est magister spiritualis, qui nocivus non sit animabus contemplativis; sic asserit Extaticus noster Doctor in *Flamma*, cantione III, §. 8 (57), ubi ait : *Y con ser este daño tan grande mas que se puede encarecer, es tan comun, que á penas se hallará un Maestro Espiritual que no le haga en las almas que de esta manera comienza Dios á recoger en contemplacion.* Hoc est: Magnum est hoc nocumentum supra id quod verbis exprimi possit; est tamen adeo commune ut vix inveniatur magister spiritualis, qui ex hoc capite nocivus non sit animabus quas Deus contemplationis dulcedine incipit inescare (58). His ergo quomodo potest anima obligari ut pa-

(54) *In II ad Corinth.*, c. III, v. 17, lect. 3; ed. Vivès, t. XXI, p. 81b-82a.

(55) *II Cor.*, c. III, v. 17; Hetzenauer, p. 1125: *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.*

(56) *Matth.*, c. VII, v. 15.

(57) Sic in *Primera Llama de Amor viva*, canc. III, v. 3, §. 8; ed. crit., t. II, p. 659; — at vero in *Llama de Amor viva*, l. c., p. 451: *Ycon ser este daño más grave y grande que se puede encarecer, es tan común y frecuente, que apenas se hallará un maestro espiritual que no le haga en las almas que comienza Dios á recoger en esta manera de contemplación.*

(58) In I ed. legitur: « Et cum hoc damnum ita magnum sit, ut nullo alio comparetur, vix reperietur spiritualis magister, quod illud non efficiat animabus, quas Deus huiuscemodi incipit in contemplationem ducere ». — Similiter in Neapol. ed., praeter : « ...quod illud non causet in animabus, quas Deus hoc modo incipit... »

reat directori? Aut quomodo non pluribus anxietatibus fatigabitur? Unde cum iugum Dei suave sit et onus eius leve (59), asserendum videtur obligationem ad talem subiectionem non dari.

Respondetur: verum esse quod plura debent in directore concurrere, quae non nisi summa difficultate inveniuntur. Ceterum discipulus debet facere quod in se est, et hoc faciens Deum ipsum inclinat ut provideat de remedio; quod etiam si ex parte sua magister faciat, Dominus certe providebit, recordatus quoniam pulvis sumus, et sciens figmentum nostrum miseretur. Si autem hoc non facit, ipsi imputabitur; unde debet discipulus animadvertere illam verissimam et benignissimam citati nostri Doctoris doctrinam, qui §. 9 (60) ait: *Adviertan estos tales y consideren, que el Espiritu Santo es el principal agente, y movedor de las almas, que nunca pierde el cuidado de ellas, y de lo que les importa, para que aprovechen, y lleguen á Dios con mas brevedad, y mejor modo, y estilo, y que ellos no son los agentes, sino instrumentos solamente, para enderezar las almas por la regla de la fee, y ley de Dios, segun el espiritu que Dios va dando á cada uno. Y assi su cuydado sea no acomodar á el alma á su modo, y condicion propria de ellos, sino mirando, si saben, por donde Dios las lleva, y si no lo saben dexenlas, y no las pertuben, y conforme á esto procuren enderezar el alma en mayor soledad, y libertad, y tranquilidad, etc...* Est dicere: Noscant isti et considerent praecipuum animarum auctorem et motorem esse Spiritum Sanctum, qui earum utilitati incumbit ut proficiant ac brevius et perfectius Deo uniantur. Considerent quoque ipsos esse mere instrumenta destinata ad earundem directionem per regulas fidei et Dei legem iuxta spiritum, quem Deus contulerit unicuique. Unde tota eorum sollicitudo eo respicere debet ut discipulum non ducant iuxta eorum modum ac genium. Considerent, si forte sciunt viam qua Deus illum ducit. Si vero neque ad hoc sufficiant, discipulum non conturbent, sed dirigant maiori solitudine (61), libertate et tranquillitate spiritus (62).

Haec omnia ultroneus exscripsi, quia in illis invenitur pro magistris doctrina et ingens pro discipulis solatium. Ex quo enim Deus sit agens principale et director solummodo instrumentum in instructione animarum, debet discipulus non anxiari in sui directione; iactet enim in Domino curam suam, et ipse illum enutriet (63). Per quae patet ad argumentum. Et quia in illo mentio fit eorum, quibus ornari debet magister spiritualis, non erit extra chorum aliquid dicere circa hoc per modum corollarii pro disputationis complemento.

---

(59) *Matth.*, c. XI, v. 30.

(60) Excepta praeteritione aliqua, fere idem textus invenitur in *Primera Llama de Amor viva*, canc. III, v. 3, §. 9; ed. crit., t. II, pp. 659-660: *...cuidado de ellas, y que ellos no son los agentes, sino instrumentos solos para enderezar las almas para la regla de la fe y... á cada una. Y asi todo su cuidado...* — At vero legitur in *Llama de Amor viva*, l. c., p. 452: *Adviertan estos tales que guian estas almas, y consideren que el principal agente y guia y movedor de las almas en este negocio no son ellos sino el Espiritu Santo, que nunca pierde cuidado dellas; y que ellos sólo son instrumentos para enderezarlas en la perfección por la fe y ley de Dios, según el espiritu que Dios va dando á cada una. Y asi todo su cuidado sea no acomodarlas á su modo y condición propia de ellos, sino mirando si saben el camino, por donde Dios las lleva, y si no lo saben, déjenlas y no las perturben. Y conforme al camino y espiritu por donde Dios las lleva, procuren enderezarlas en mayor soledad y tranquilidad y libertad de espiritu, ...*

(61) In IV ed. legitur: « *solicitudine* ».

(62) In I vero ed. alia versio adest: « Animadvertant hi, et considerent Spiritum Sanctum esse principalem agentem, et animarum motorem, qui nusquam ab earum cura, nec ab omni, quod ipsarum interest, segregatur, ut breviori meliorique modo, ac stylo proficiant, atque in Deum proveniant; et quia non sunt agentes, sed solum instrumenta, ut animas per regulam fidei, et mandatorum Dei iuxta spiritum, quem cuilibet Deus tribuit, dirigant. Itaque solicitudo (sic) istorum non sit animam attrahere ad modum, et propriam ipsorum conditionem, nisi respiciendo, si conscii sint, viam, qua Deus illas abducit, si vero ignari, eas derelinquant, nec illas perturbent; curentque huiuscemodi regere animam in solitudine, maiorique libertate, ac tranquillitate, etc. ». — Similiter in Neapolitana ed., praeter: « ...in Deum perveniant; et quia Directores non sunt agentes, sed solum instrumenta... ipsorum conditionem, sed solum prospicere: si conscii sint: viam, qua Deus illas conducit; si vero ignari, eas progredi sinant, nec illas perturbent; curent solumque huiuscemodi regere animam in solitudine.... »

(63) *Ps.* 54, v. 23.

§. III. Assignantur dotes quibus fulgere debet director spiritualis.

103. In assignando mystici directoris qualitates spatiantur doctores. Omnes tamen illas Christum Dominum paucis suspicor tradidisse, dum apud *Matthaeum,* XI (64), imperat: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris.* Quae verba dupliciter capi possunt: primo, ut intimata discipulis; secundo, ut tradita directoribus. Primo modo reddunt hunc sensum: si animabus vestris requiem contemplationis optatis, discite a me et ut ego sum, estote et vos mites et humiles corde. Solis enim mitibus et humilibus confert hanc gratiam, qui superbis resistit, Deus (65).

104. Si autem secundo modo sumantur dicta verba, intelliguntur sic: si animabus, quas dirigitis, contemplationis requiem anhelatis, discite a me, qui ipsa sapientia cum sim, mitis sum et humilis corde.

Ut ut sit, in hac clausula continetur quidquid in hac materia desideratur. In ea quippe innuitur magistrum debere esse sapientem, quod involvitur in ly *a me.* Christus enim sapientiae nomine gloriatur, dicente ipso: *Ego sapientia.* Et ab hac sapientia addiscat sapientiam director, ut mitis humilisque suae sollicitudinis animabus requiem valeat invenire. De his omnibus aliqua dicere oportet.

105. Sapientiam in directore petunt quotquot mystica documenta tradunt. Quia sicut impossibile est caecum de coloribus iudicare, sic et quod alium ducat sine utriusque discrimine capitali. Et quia sapientia est duplex, speculativa scilicet et practica seu experimentalis, utramque habeat ut recte ministerium suum impleat. Sapientem expertumque vult directorem Extaticus Parens noster D. Ioannes a Cruce in *Flamma,* cantione III, §. 4 (66). Plus petit Seraphica Theresia, cap. 13 *Vitae* suae (67), siquidem petit directorem bono intellectu praeditum, scientia decorum et experientia fulgentem.

106. Quaeratur director bono intellectu praeditus, hoc est, qui sit intellectus ad docendum apti. Multi enim, quamquam scientifici, non sunt ad docendum idonei. In quacumque facultate hoc firmat operae oleique quotidianum dispendium; et pro omnibus ratio perspicua est: quia, ut tradit D. Thomas, I part., quaest. 117, art. 1, magister non causat scientiam in discipulo eam illi imprimendo seu lumen intellectivum speciesve causando, sed intellectum adiuvat coordinando species et adducendo exempla, quibus discipulus scientiam acquirit medio suo intellectu et speciebus a se habitis, licet coordinatis a magistro et specialissime a Deo, qui scientiae causa est: quia species, lumen et alia causat. Unde qua parte non est causa naturalis scientiae in discipulo, non potest ipse magister scientiam ipsam, quam habet, communicare, sicut ignis suam formam naturali modo communicat, cum ignem producit, sigillumque propriam figuram cerae tribuit; si namque magister hoc modo scientiam discipuli causaret, nullus foret discipulus, qui scientiam non haberet, de quo profundissime loquitur S. Thomas, II *Contra gentes,* cap. 75 (68), et ibi Ferrara (69); et in *Catena aurea,* ad cap. XXIII D. Matthaei (70), affert idem Angelicus Doctor Chrysostomum elegantissime hoc elucidantem; ait enim (71): *Si homo hominem erudiret, omnes homines discerent, qui habent Doctores: nunc autem, quia non homo docet, sed Deus, multi quidem docentur, pauci autem discunt. Non enim homo intellectum praes-*

(64) v. 29.
(65) *Iacobi,* c. IV, v. 6; *I Petri,* c. V, v. 5.
(66) *Llama de Amor viva,* canc. III, v. 3, §. 4; ed. crít., t. II, pp. 444-445 y 655.
(67) cf. supra, num. 20, p. 244.
(68) *Summa contra Gentiles,* lib. II, cap. 75, solutio 3ae rationis; ed. Leonina, t. XIII, pp. 475b-476b; ed. Vivès, t. XII, p. 205.
(69) a numero IX; ed. Leonina *operum omnium D. Thomae,* t. XIII, p. 478b-480b.
(70) Ed. Vivès, t. XVI, p. 388b: *Si enim homo...*
(71) *Opus imperfectum in Matthaeum,* homilia 43;

tat homini docendo, sed a Deo praestitum per admonitionem exercet.

Qua vero parte requiritur concursus magistri ut discipulus scientiam habeat, debet species coordinare aliaque plura facere, ad quae ex parte ipsius nedum requiritur scientia, verum etiam claritas intellectus, doctrinae methodus aliaque huiusmodi, quae sine idoneitate ad docendum dari minime possunt. Ex quo habetur quam apte caelestis Ecclesiae Doctrix (72) hanc conditionem in directore requirat.

107. Praeiactam idoneitatem ornet sapientia director. Quod passim omnes mystici docent auctoritatum rationumque pondere ducti, quibus si vel minimum addere cogitarem, reus forem. Verum dicturus pro munere aliqua, ea ex D. Thoma libabo, ut quantum tenuitati meae possibile sit, nostris scholasticis communem Magistrum propinem mystica propinantem.

Director est principium a quo suam scientiam habet discipulus; unde ipsum oportet esse sapientem. *Unumquodque enim agit in quantum est actu perfectum,* ait D. Thomas, III *Contra gentes,* cap. 21 (73). Eoque cum sit munus directoris docere, oportet quod actu habeat illam doctrinam, qua discipulum satagit illustrare.

108. Posuerunt aliqui intellectum agentem esse ab anima separatum. Quam positionem pluribus improbat D. Thomas, II *Contra gentes,* cap. 76 (74), et inter alia hoc principium assumit: agens et recipiens debent esse proportionata, quae proportio consistit in eo, quod habeat actu agens quod in potentia recipiens. Intellectus agens se habet ut magister directorque relate ad intellectum possibilem, uti vidimus quaestione 2, illum enim mediis speciebus illuminat; unde illas ipsas species, quas recipit intellectus possibilis, qui ad eas erat in potentia, continet actu intellectus agens. Nec aliter posset illas communicare, atque adeo non posset intellectus possibilis intelligere. Sicut supra dictum est, director species coordinat ut scientiam in discipulo causet; si ergo director est in potentia ad scientiam, non poterunt eae species discipulum deservire.

109. Sit ergo magister sapiens sciatque se in casum hoc praeclarum nomen habere, si sapientia non fulgeat. Si roges: qua sapientia? Breviter respondeo: omni. Assumitur ad magnum opus, eoque multa valde scire debet. Quod si hinc colligas vix posse inveniri qui animarum magister sit, si in eo tanta sapientia requiritur; cordate infers. Audi Seraphicum nostrum Parentem D. Ioannem a Cruce in *Flamma,* cantione III, v. 3, §. 3 (75), dicentem: *Para lo mas subido en el camino de la perfeccion, y aun para lo mas mediano de él apenas se hallará una guia cabal.* Id est: Ad terminum motus perfectionis et etiam ad ipsius motus incrementum vix est inter superstites ductor undequaque idoneus (76). [Audiant haec et contremiscant quotquot animas sine termino dirigendas suscipiunt (77).] Superbam illam suam praxim cum hoc oraculo dimetiantur et quantum ab illo differat, meditentur.

110. Igitur in primis debet scire director sacram Scripturam, eam quantum possit rimare satagat ut similis Christo Domino evadat et requiem inveniat, quas dirigit, animabus: *Scrutamini Scripturas, quoniam ipsae testimonium perhibent de me* (78), ait summa Veritas

Migne, P. G., t. 56, col. 880. cf. supra, p. 238, nota (9).

(72) i. e. S. THERESIA, loco supra citato; cf. num. 20, p. 244.

(73) num. 2; ed. Vivès, t. XII, p. 274b.

(74) Ed. Leonina, t. XIII, pp. 480a-482b; ed. Vivès, t. XII, pp. 205b-208b.

(75) *Llama de Amor viva,* canc. III, v. 3, §. 4; ed. crit., t. II, p. 444: *Para lo más subido de él y aun para lo mediano, apenas se...* — Similiter in *Primera Llama de Amor viva,* l. c., p. 655, praeter: *Para el más subido... apenas hallará...*

(76) In I editione legitur: Ad supremum, nec ad mediocrem perfectionis statum vix aliquis integre ductor invenietur ». — Similiter in Neapolitana, praeter: « Ad supremum vel ad... »

(77) Sic in I et Neapol. editionibus; deest vero in IV.

(78) *Ioan.,* c. V, v. 39; Hetzenauer, p. 1045: *Scrutamini Scripturas,... et illae sunt, quae testimonium perhibent de me.*

Christus. Quod studium plurimum ipsi iuvabit ut suo muneri satisfaciat; in eo quippe inveniet, aiebat D. Gregorius (79), veritatis cognitionem in suo fontali principio, eaque instructus ad omnia, quae occurrant, respondebit.

111. Sciat theologiam scholasticam et moralem; hanc, ut mores instruat; illam, ut verum a falso discernat. Sunt enim theologi scholastici messores Domini, qui zizaniam comburentes, electorum frumentum in eius horrea congregant (80). Theologia scholastica est, qua verus spiritus a falso discernitur et qua vera via virtutis demonstratur. Ea etiam est omnino necessaria ut omnia principia contemplationis et ipsa similiter contemplatio dignoscantur.

112. Philosophus etiam sit ut sciat animae vires et potentias. Sicut enim theologi scholastici, ut de gratia agant, status naturae explorant de viribusque ipsius naturae disputant, quia natura est gratiae subiectum; sic et mysticus scire debet quid anima possit, quid eius sensus et potentiae valeant, quae sint earum obiecta; nec aliter poterit dubia passim emergentia sedare.

113. Haec licet ita sint, speculatio praecipua in mysticam theologiam dirigatur. Ei tota mente insudet ut sciat aliqualiter expedire summas huius viae difficultates. Tam diversa sunt itinera, quibus in caelum itur, sicut euntium facies; unde si non scit huius sacratissimae scientiae recessus, absurda plura committit.

114. Hactenus pingui minerva de theorica directoris disseruimus; restat ut de practica disseramus. Experientia duplex est: nam potest haberi respectu aliorum eos dirigendo et respectu sui contemplando. Prima utilissima est, sed non est necessaria. Est utilissima, quia qui expertus est in dirigendo alios, non potest non pluribus notitiis abundare, quibus faveat animabus. Non tamen est necessaria, quia cum aliquando debeat incipere, sequitur non esse necessariam hanc experientiam.

115. Ceterum experientia illa, quae in oratione habetur, est indispensabilis : non enim valet homo non spiritualis spirituales homines dirigere, nec per speculativas regulas possunt occurrentes vortices affatim imperari. Nec medici corporum, postquam theorice facti sunt medici, medicare possunt, si praxi prius non incumbunt. Quanto magis medici spirituales debent experientia gaudere, tum ut facilius feliciusque operentur ; quia experientia, teste D. Thoma, I^{a} II^{ae}, quaest. 40, art. 5, ad 1: *Causat quendam habitum propter consuetudinem, qui facit operationem faciliorem;* tum, ut absolute simpliciterque procedant ; quia, ut ait Philosophus in II *Ethic.* (81): *Virtus intellectualis,* (qualis est animarum directiva) *indiget experimento, et tempore.* Quamobrem idem ibidem ait (82): *Oportet attendere ad expertorum seniorum et prudentium doctrinam.*

116. Constans certe est agens intendere assimilare sibi passum. Quod non verificari inter discipulum et magistrum, si hic spiritualis non est, ex eo constat quod non habet perfectionem, in qua illum sibi assimilet. Et mirum certe foret, si nix vellet ignire, aut ignis infrigidare.

117. Non potest, aiebat supra D. Thomas (83), intellectus agens esse aliquid separatum ab anima; quia cum sit director intellectus possibilis et hic sit animae coniunctus, debet ille eandem unionem cum spiritu servare ut detur inter utrumque requisita proportio. Hinc ergo instruimur directorem separatum a spiritu rebusque spiritualibus in vanum gloriosum illud nomen habere ; non enim

(79) *Regulae Pastoralis Liber,* Part. II, cap. 5 (al. 16); Migne, P. L., t. 77, col. 33. — *Epistolarum* lib. I, epist 25; Migne, t. c., col. 474.
(80) *Matth.,* c. XIII, v. 30.
(81) cap. 1, num. 1; ed. Didot, t. II, p. 14; Bekk., 1103a, 14.
(82) VI. *Ethic.,* cap. 11, num. 6; ed. Didot, t. II, p. 73; Bekk., 1143b, 11. — cf. supra, num. 85, p. 272.
(83) cf. supra, num. 108, p. 282.

dirigere potest volentem viam spiritus ambulare. Timeant hi, qui vane nomen directoris habent, terribile pariterque verissimum dictum illud Parentis nostri D. Ioannis a Cruce, qui lib. III *Ascensus,* cap. 43 (84), ait: *Dios tiene ojeriza con los que enseñando su ley ellos no la guardan: y predicando buen espiritu, ellos no lo tienen.* Hoc est: Molesti Deo sunt, qui legem suam, quam frangunt, alios docent; et bonum spiritum praedicantes, carnales sunt (85). Sciantque nequaquam ob ignorantiam, qua laborant, aut bonum animum, quo abundant, deobligari ab hac sententia; quia *aunque yerren los tales con buen zelo por no saber mas, no por esso quedan escusados en los consejos, que temerariamente dan, sin entender primero el camino, y espiritu, que lleva el alma.* Id est: Quamquam isti directores bona intentione propter suam ignorantiam errent, adhuc inexcusabiles sunt; quia temere consilia offerunt, quin prius animae statum intelligant (86). Inquit dictus Seraphicus Doctor in *Flamma,* cantione III, v. 3, §. 11 (87). Et idipsum tradit D. Thomas, *Quodlibeto V,* art. 25, in corpore (88).

118. Praeter dicta sit mitis director, quod plurimum iuvat ut animae semitam perfectionis percurrant. Curet ergo magister ita se habere cum discipulo, ut eum non deterreat inhumanus; sed potius foveat mansuetus. Discat ad Apostoli exemplum (89) parvulum cum parvulis fieri, eis non solidum cibum distribuens, quo virtutis desideria nondum adulta silvescant, sed suavissimum lac, quo hausto, fauste perennent. Discat, quod caput est, a Christo Domino mansuetudinem, qui vel coram subditis illum prave tondentibus obmutescens, tondentium saluti insudat (90).

119. Mansuetudine Deo placebit et discipulis carus ponet in via virtutis eorum gressus. Quia de Moyse asseritur in libro *Num.,* cap. XII (91), quod erat omnium mitissimus, consecutus fuit Deo et hominibus dilectum dici et esse, teste *Ecclesiastico,* cap. XLV (92). Passim occasiones offendet, in quibus mitem se debeat exhibere ut discipulis prosit, qui est pro salute eorum in sede directoris collocatus. Ad clientis defectus non expavescat, sed illum humaniter excipiat, leniter corrigat; sicque uberrimos fructus colliget. Quando autem videat animam in itinere spiritus parum fervidam, non illam illico ut ineptam censuret; sed verbis et exemplis illam moveat, ut sic eius tepiditatem confortet; quo magis illam iuvabit, immo aliter illam perdet. Ast circa haec consulat *Lucernam mysticam,* tract. I, cap. 6 (93), ubi plura pro praxi inveniet.

120. Ultimo debet director humilitatem habere ut humiles animas faciat et auxilia consequatur, quibus in adeo obstrusa via et verticoso mari illuminetur. Humilitas ei necessaria est, nedum ut sapientiam habeat, qua fulgere diximus et quae sine humilitate non habetur ex cap. II *Prov.,* v. 2 (94); sed etiam, ut omnes sui muneris partes sine crimine adimpleat. Adeat ad Sanctissimam Matrem nostram Theresiam, et cap. 34 *Vitae* suae (95) inveniet haec ei dicentem: *En lo demás no se meta, ni piense entender lo que no entiende, ni ahogue*

(84) *Subida del Monte Carmelo,* lib. III, cap. 44; ed. crít., t. I, p. 400: *Pero tiene ojeriza con los que enseñando la ley de Dios ellos... no le tienen.*

(85) In I et Neapol. ed. vero legitur: « Invisi sunt Deo, qui legem suam docentes, eam non custodiunt, bonumque spiritum praedicantes, illum non habent ».

(86) In I ed. legitur: « Quanvis hi ob eorum insipientiam (licet bono zelo induti) errent, non quidem excusati sunt a consiliis temere tributis prius quam intellexissent viam, et spiritum, qua anima itinerabat ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: « ...tributis, priusquam perciperent viam,... »

(87) Ed. crít., t. II, pp. 458-459 y 663: *Pero éstos por ventura yerran con buen celo, porque no llega á más su saber, pero no por eso quedan excusados en los consejos que temerariamente dan, sin entender primero el camino y espiritu que lleva el alma.*

(88) Ed. Vivès, t. XV, p. 480.

(89) *I Cor.,* c. III, v. 1-2; *I Thess.,* c. II, v. 7.

(90) *Isaiae,* c. LIII, v. 7; *Act.,* c. VIII, v. 32.

(91) v. 3.

(92) v. 1.

(93) IOSEPH LOPEZ EZQUERRA; ed. 1782, pp. 13a-15a.

(94) In antiquis editionibus erronee ponitur: « *ex cap. 12. Prov., v. 2* ».

(95) Ed. crít., t. I, p. 289: *En lo demás no se mate, ni... y humillarse de que hace... que no lo entiende, y que no por eso es imposible, que ganará...*

los espiritus, que ya quanto en aquello, otro mayor Señor los govierna, que no estan sin superior... Humillese de que haze el Señor en esta ciencia á una Viejecita mas sabia por ventura, que á él, aunque sea muy letrado; y con esta humildad aprovechará mas á las almas, y á si, que por hazerse contemplativo sin serlo; porque torno á dezir, que si no tiene experiencia, si no tiene muy mucha humildad en entender, que no lo entiende, ganará poco, y dará á ganar menos á quien trata. Id est: Vitet mittere falcem inidoneam in messem Domini; nec premat spiritus, qui iam a Deo specialiter diriguntur... Humiliter videns Deum vetulam in mystica scientia sibi praeponere, quamvis doctissimus sit. Et hac humilitate instructus sibi et aliis proficuus erit; quod minime habebit, si tanquam contemplativus doceat, quin sit contemplativus. Repeto: si director inexpertus est et superbus renuit suam ignorantiam cognoscere, eius doctrina erit sibi parum fructuosa et minus fructuosa erit animabus, quas dirigit (96).

121. Humiles sapientia vocat ad arcem perfectionis, quo ut ascendant, necessaria est humilitas in directore. Quippe si humilis non est, non possunt qui eius doctrina moventur, humilitatem habere; quia, ut ait Extaticus noster Parens (97): *Qual fuere el Maestro, tal será el discipulo, y qual el Padre, tal el hijo.* Est dicere: Qualis magister, talis discipulus erit, et qualis pater, talis filius (98). Et libro secundo *Ascensus,* cap. 18 (99), inquit: *Las inclinaciones, y afectos del Maestro facilmente se imprimen en el discipulo.* Hoc est: Inclinationes et affectus magistri facile discipulus bibit (100).

122. Est etiam humilitas omnino necessaria in directore, ut zelum indiscretissimum frenet, quo plures cum maximo animarum dispendio laborant. Vetant enim ne discipuli alios adeant quibuscum res suas conferant: et hoc interdicere pessimum dictamen est, quod impunitum non abibit, ut ait laudatus noster Parens in *Flamma,* cant. III, v. 3, §. 12 (101). Sciat ex eodem ibi, Deum quemlibet per semitam diversam ferre et vix aliquem inveniri, qui in medietate sui itineris cum alio conveniat. Unde non prohibeat alios adire, quia hoc, si fiat prudentia directrice, utile multum est, immo et necessarium; atque adeo director ipse nedum debet hoc permittere, verum etiam imperare; aliter infamis superbiae reum et praesumptionis eum facit Extaticus praecitatus (102). Plura circa haec accumulant scriptores. Nobis autem dicta sufficiunt pro instruendo utcumque magistro ut sciat onus, cui, dum hoc munus directoris admittit, se subiicit, et ei toto conamine satisfaciat.

Et haec de ista disputatione et toto hoc primo tomo dixisse sufficiat; quae utinam cedant in Dei Omnipotentis gloriam ac in obsequium Sanctissimae Virginis Mariae de Monte Carmeli, eius dulcissimi Sponsi D. Ioseph, Seraphicae Matris N. D. Theresiae, Parentis N. D. Ioannis a Cruce et Angelici Praeceptoris D. Thomae, a cuius Angelica mente, si aliquid deprehendatur dissonum, libenti animo retractamus.

Omnia tam hic, quam alibi a me scripta S. R. E. suorumque doctorum correctioni submitto.

---

(96) In I ed. legitur: « In reliquis autem nec se intromittat, nec intelligere se putet, quod minime intelligit, nec spiritus suffocet; nam hi quantum ad hoc iam tum ab alio maiore Domino gubernantur; neque enim Domino, vel superiore carent... Se ergo humiliare studeat, cum videat, Dominum fortasse vetulam quandam hac in scientia peritiorem, versatioremque facere, quam se, esto bene doctus, et sapiens sit: hacque humilitate, tum aliis animabus, tum sibi plus proderit, quam se contemplativum venditando, cum tamen talis non sit; nam iterum dico, nisi experientiam habeat, et maximam humilitatem; qua sibi persuadeat, se nihil hic intelligere, valde parum lucrabitur, et etiam faciet, ut is, quem diligendum (sic) habet, minus proficiat ». — Similiter in Neapol. ed., praeter: « ...quantum ad hoc jam ab alio superiore Domino gubernantur... peritiorem, versatioremque se ipso, efficere, esto... quam se contemplativum venditare,... se nihil in hac re intelligere, valde parum lucrabitur, et etiam eveniet, ut is, quem dirigendum habet, minus proficiat... »

(97) *Llama de Amor viva,* canc. III, v. 3, §. 4; ed. crit., t. II, pp. 444 y 655.

(98) In I et Neapol. ed. legitur: « Sicut Magister, ita discipulus, et qualis fuerit Pater, talis filius erit ».

(99) cap. 16; ed. crit., t. I, p. 183 (quoad sensum).

(100) In I et Neapol. ed. legitur: « Inclinationes et Magistri affectus facile imprimuntur discipulo ».

(101) Ed. crit., t. II, pp. 459-461 y 663-664.

(102) l. c., pp. 461 y 664.

APPENDIX

Notitiae bio-bibliographicae

auctorum Carmelitarum quorum auctoritas in hoc primo tomo adducitur

ANTONIUS AB ANNUNTIATIONE

in oppido Escalona (Vet. Castellae) natus, Pastranae professus, S. Theologiae praelector in collegio Complutensi, semel et iterum Definitor Generalis, in utraque S. Theologia, scholastica et mystica, egregie versatus, varia nobis reliquit opera. Obiit anno 1714.

Scripsit latine :

1) *Disceptatio mystica de oratione et contemplatione.* Opus iam absolutum anno 1683 in-8°, impressum Compluti 1686 in-4°, deinde Barcinone 1694 in-4°. Hoc opus ex mandato Capituli Generalis anni 1670 scholastico stylo confecit ut in collegiis Hispaniae tanquam manuale inserviret.
2) *Quodlibeta Theologica, Mystica et Moralia,* Matriti 1712, in-4°. Opus magnae eruditionis et doctrinae.

Hispanice vero :

1) *Manual de Padres espirituales en que se contienen Avisos, y Documentos para el govierno de las almas que van por camino extraordinario.* 1ª ed. año ?. « *Segunda impression, añadida y enmendada por su autor... En Alcala: Por Francisco Garcia Fernandez, año 1679* » (errant ergo Martialis a S. I. B. et eius copistae, dicentes: « *Matriti, 1705 ibidemque auctum et recussum* ».
2) Quosdam tractatus, qui Ms. manserunt (1).

ANTONIUS A SPIRITU SANCTO

natus in oppido Monte Maiore Veteri (Monte Morovelho) dioecesis Conimbricensis in Lusitania, in parochia Salvatoris, die 20 Junii 1618, baptizatus est. Hieronymum Soares Carraça et Phillipam Gasparem parentes habuit. Olisippone in conventu Carmelitarum Excalceatorum, die 29 Maii 1636 vota solemnia nuncupavit. « *Conimbricae severioribus instructus scientiis, eas postea magno cum audientium fructu dictavit* »; diu enim fuit praelector S. Theologiae moralis. Theologus eximius, « *contionator illustris* » ac « *in omni genere disciplinarum*

---

(1) cfr. MARTIALIS A S. I. B., C. D., *Bibliotheca scriptorum utriusque Congregationis et sexus Carmelitarum Excalceatorum;* Burdigalae, typis Petri Sejourne, 1730, pp. 36-37, num. 37. — BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A SS. SACR., C. D., *Collectio Scriptorum Ordinis Carmelitarum Excalceatorum utriusque Congregationis et sexus;* Savonae, typ. A. Ricci, 1884, t. I, pp. 64-65, num. 84. — HURTER, S. I., *Nomenclator literarius Theologiae Catholicae,* Oeniponte, 1903-1913, t. IV, col. 985, num. 422. — P. MARIE-IOSEPH DU S. C., C. D., *Etudes Carmélitaines,* t. V, nº 1 et 2 (Janvier-Avril, 1920), pp. 18-19.

peritissimus » variis praelaturis functus est; fuit enim Prior coenobii Olisipponensis, Definitor Provincialis suae provinciae Lusitanae S. Philippi ac demum Definitor Generalis Congregationis Hispaniae. Humilitatis gratia « *episcopatum Angolensem a Rege oblatum, quantum potuit, recusavit; sed onus subire coactus, consecratus est* ». Dioecesim suam regere incepit die 11 decembris 1673 et paulo post diem supremum obiit die 27 Ianuarii 1674 (2); sepultusque est in coenobio Carmelitarum Excalceatorum in civitate Loanda (Angola).

Egregia scripsit opera, scilicet :

1) *Directorium regularium tripartitum,* Lugduni, 1661, in-fol.; Coloniae Agrippinae, 1667, 3 tom. in-4°.
2) *Directorium Confessariorum,* Lugduni 1668-1671; 2 t. in-fol.
3) *Consulta varia theologica, iuridica et regularia,* Lugduni, 1675-1676, 2 t. in-fol.
4) *Primatus sive Principatus Eliae,* Lugduni, 1667; Ulisippone, 1671.
5) *Directorium mysticum in quo tres difficillimae viae, scilicet Purgatoria, Illuminativa et Unitiva undique elucidantur et Sanctorum Patrum, praecipueque Angelici Doctoris Divi Thomae ac Seraphicae Matris N. S. Theresiae splendoribus illustrantur.* — Iussu Capituli Generalis Congregationis Hispaniae anni 1670 hoc opus confecit ut tanquam manuale inserviret in sua propria provincia Lusitana S. Philippi. Habuitque varias editiones, nempe : 1ª Lugduni apud Guilielmum Barbier, 1677, in-fol.; 2ª Venetiis, 1697; 3ª Hispali, 1724, sub titulo *Cursus Theologiae mystico-scholasticae,* 2 tomi in-fol.; 4ª Venetiis, 1732; 5ª Parisiis, apud L. Vivès, 1904, cura P. Bernardi a Ss. Sacramento, C. D., prov. Bavariae, in-8° pp. XXVI-647 (3).

COMPLUTENSES

Impulsu P. Generalis Alphonsi seu Ildephonsi a Jesu Maria (Alonso de Jesús Maria) capitulum generale Congregationis Hispaniae anni 1613 decrevit S. Thomae Angelici Doctoris doctrinam tam in lectionibus quam in thesibus sequendam esse. Insuper Collegiis Complutensi (Alcalá de Henares) et Salmanticensi cursuum philosophici et theologici confexionem indixit, ut Ordo noster ad studiosos suos instruendos domesticis auctoribus uti queat.

Prius ergo, ut logicum erat, publici iuris venit *Collegium Complutense philosophicum, hoc est,* ARTIUM CURSUS; habuitque variis in regionibus innumeras editiones.

Tomum primum : *Disputationes in Aristotelis Dialecticam et Philosophiam naturalem* elaboravit P. MICHAEL A Ss. TRINITATE, natus Biatiae (Baeza), in

(2) Sic locis infra citandis *Bibliotheca Carmelitico-Lusitana;* BERNARDUS A SS. SACRAMENTO, initio suae novae editionis (1904) *Directorii Mystici,* p. V, qui et refert GAMS (*Series Episcoporum,* p. 473); P. MARIE-IOSEPH DU SACRÉ-CŒUR. — At vero COSMAS DE VILLIERS; BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO; HURTER et FLORENCIO DEL NINO IESUS dicunt † 1677.

(3) Cf. MARTIALIS A S. I. B., *Bibliotheca,* pp. 41-42, num. 59. — COSMAS DE VILLIERS, O. C., *Bibliotheca Carmelitana notis criticis et dissertationibus illustrata,* Aurelianis, J. Rouzeau-Montaut et M. Couret de Villeneuve, 1752, t. I, col. 188-189, num. 258. — *Bibliotheca Carmelitico-Lusitana, historica, critica, chronologica,* auctore P. N. N. Carmelitano; Romae, Ioannes Generosus Salomonius, 1754, pp. 28-30, n. 29. — BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A SS. SACRAMENTO, *Collectio Scriptorum Ord. Carm. Excalc.,* t. I, pp. 75-76, num. 114. — BERNARDUS A SS. SACRAMENTO, C. D., *Directorium Mysticum,* Praemonitio pro hac nova editione (1904), p. IV-VI. — HURTER, *Nomenclator;* ed. cit., t. IV, col. 277-278, num. 120. — P. MARIE-IOSEPH DU SACRÉ CŒUR, *Études Carmélitaines,* t. V, nº 1 et 2 (Janvier-Avril 1920), pp. 17-18. — P. FRAY FLORENCIO DEL NINO JESUS, C. D., *La Orden de Santa Teresa, la Fundación de la Propaganda Fide y las Misiones Carmelitanas,* Madrid, typ. Nieto y Cª, 1923, II Parte, cap. 8, num. 5, p. 139.

Baetica, 1588, † ib. 1661, philosophiae theologiaeque Astigii, Biatiae atque Complúti lector et ter provincialis provinciae Baeticae.

Tomum secundum : *Disputationes in octo libros Physicorum Aristotelis,* tomum tertium : *Disputationes in libros de ortu et interitu seu de generatione et corruptione,* et tomum quartum : *Disputationes in libros de anima* conscripsit P. ANTONIUS A MATRE DEI, in saeculo Antonius de Olivera, Legonensis (Léon), (1587-1634 Salmanticae) lector in collegio Salmanticensi cui etiam quidam tractatus cursus theologici debentur.

1ª ed. *Cursus Artium,* Matriti, 1624 (4 t. in-4°); 2ª Francofurti ad Moenum, sumpt. Gasparis ab Rath, 1629; item Lugduni, sumpt. Ioannis-Amati Candy, 1637; ed. Lugdunensis 1651 et 1668 comprehendit ut quintum tomum *Metaphysicam* P. Blasii a Conceptione.

Huic *Artium Cursui* addidit *Metaphysicam in tres libros distinctam...* in-4° (Parisiis, Dion. Thierry, 1640 et 1642; Lugduni 1651 et 1668) P. BLASIUS A CONCEPTIONE, in saeculo Bertrandus Riguet, natus Novigenti Retrodi (Nogent-le-Rotrou) 1603, pluries lector philosophiae et theologiae, pluries prior et definitor provincialis, provincialis et visitator generalis provinciarum Avenionensis et Aquitanae, Rotomagi die 28 Augusti 1694 mortuus est. Propter eius scientiam *Magister totius Ordinis* meruit appellari. Alium quoque librum edidit, videlicet: *Philosophia moralis in tres libros divisa* (a quaest. 1 ad quaest 76 I^{ae} II^{ae} D. Th.) (in-4° Parisiis, Dion. Thierry 1647) (4).

COMPLUTENSES ABBREVIATI cf. IOANNES AB ANNUNTIATIONE FRANCISCUS A S. MARIA

in saeculo Ferdinandus Perez del Pulgar y Sandoval, ex avia nepos S. M. N. Theresiae, Granatae idibus Augusti 1567 natus est. Suadente Thoma a Iesu, eius condiscipulo in Universitate Salmanticensi, cum eo simul habitum Carmelitarum Excalceatorum induit et ambo Vallisoletae (Valladolid) die 5 Aprilis 1587 professionem emiserunt (5). S. Theologiae scholasticae, moralis ac positivae per multos annos fuit professor undequaque excellens. Eremum de « *Las Batuecas* » una cum Ven. Thoma a Iesu fundavit, fuitque vicarius conventus Vallisoletani, rector collegii Salmanticensis, prior Hispalensis, Biacensis, ter prior Granatensis, bis provincialis provinciae Baeticae. Matriti die 11 Septembris 1649 (6) febre correptus diem supremum obiit.

Varia opera nobis reliquit, inter quae :

1) *Historia Prophetica de la Orden de Nuestra Señora del Carmen.* t. I, in-fol., Madrid, 1630.

2) *Eiusdem continuatio a tempore Christi usque ad annum 415* (Hispane). Ms.

---

(4) cf. MARTIALIS A S. I. B., *Bibliotheca,* pp. 40-41, num. 54; pp. 98-99, num. 22; pp. 299, num. 40. — COSMAS DE VILLIERS, *Bibliotheca,* t. I, col. 349, num. 62; t. II, col. 463-464, num. 174. — BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A SS. SACR., *Collectio Scriptorum,* t. I, pp. 73-74, num. 109; pp. 104-105, num. 34; pp. 143-144, num. 41; t. II, pp. 47-48, num. 80. — HURTER, *Nomenclator,* t. III, col. 918-919, num. 389. — EDUARDO DE SANTA TERESA, C. D., *Prelados ó Superiores de la Congregación de España* in *El Monte Carmelo,* t. VIII, num. 157 (15 de Enero 1907), pp. 59-61.

(5) P. FR. FLORENCIO DEL NIÑO JESUS, C. D., *La Orden de Santa Teresa, la Fundación de la Propaganda Fide y la Misiones Carmelitanas,* I p., cap. 3, Madrid, 1923, p. 39.

(6) HURTER, *Nomenclator,* t. III, col. 1131, num. 491, dicit: « + *1654. juxta alios 1649* ».

3) *Apologia del tomo primero de la Historia Profetica,* Valencia, 1642, por Crisostomo Garriz (expensis Bernardi Noguez), in-fol.

4) Duo primi tomi (in-fol.) operis : *Reforma de los Descalzos de Nuestra Señora del Carmen de la Primitiva observancia; hecha por Santa Teresa de Jesus en la antiquisima Religion, fundada por el gran Profeta Elias,* Madrid, Diego Diaz de la Carrera, 1644; 1655 (altera ed. Madrid, 1720, sine nomine editoris). Reliqui tomi aliis auctoribus debentur : Tomi III et IV debentur P. FR. JOSEPH DE SANTA TERESA, Madrid, Julian de Paredes, 1683 et 1684; tomi V et VI P. FR. MANUEL DE SAN GERONIMO, Madrid, por Geronimo de Estrada, 1706 et 1710; t. VII P. FR. ANASTASIO DE S. TERESA, Madrid, Don Miguel Francisco Rodriguez, 1739; t. VIII P. FRAY MANUEL DE SAN JOSEPH, 1769, Ms. ineditum in-fol. pp. XLII-838-VIII, asservatur in conventu nostro Burgensi.

5) et 6) *Luz de las maravillas que Dios ha obrado desde el principio del mundo en las almas de sus Prophetas y amigos...* et *Breve tratado de Theologia mystica.*

« *Lux mirabilium quae Deus operatur in animabus. Hoc opus aliqui prae manibus habentes, suppresso veri authoris nomine, proprio nomine ediderunt* », ait MARTIALIS A S. IOANNE BAPTISTA (7). Est opus a P. M. J. LEANDRO DE GRANADA editum cum titulo: *Luz de las maravillas que Dios ha obrado desde el principio del mundo en las almas de sus Profetas y amigos, asi en la ley Natural y escrita, como en la Evangelica de Gracia : por visiones y hablas corporales en los sentidos exteriores : por visiones y hablas imaginarias en la imaginacion y potencias sensitivas : por visiones y hablas intellectuales, en el centro del alma, y en lo mas puro y levantado de sus potencias : y por la soberana comunicacion de su divina naturaleza, que se hace por gracia. Tratase de las apariciones de Dios, Christo, angeles, santos gloriosos, animos del Pulgatorio, hechas a los vivos : y se resuelve lo mas dificultoso de la Teologia mystica. Compuesto por el Padre M. Fr. Leandro de Granada, Monge de la Orden del glorioso San Benito, y lector de Teologia. Dirigido al ilustrissimo Señor Don Bernardo de Rojas y Sandoval, Cardenal Arçobispo de Toledo y Primado de las Españas, etc. Con privilegio de Castilla, Aragon y Portugal. En Valladolid, por los heredores de Diego Fernandez de Cordova 1607.* Unum volumen in-4° continens duo opera : 1) *Luz de las maravillas* usque ad folium 234 inclus.; deinde 2) a folio 235 usque ad fol. 241 inclus. *Breve tratado de Theologia mystica.* Exemplar asservatum in universitate Hispalensi, n° 94-16, anno 1922, mense augusti prae manibus habui. Hoc ultimum opus (*Breve tratado*) certissime a P. Fr. Francisco a S. Maria scriptum est, nam ipse Leandro de Granada in Prologo, folio 235v, hoc fatetur; sed et « *Luz de las maravillas* » P. Fr. Francisco a S. M. debetur. De quo ne dubium quidem reliquatur, satis mihi erit referre testimonium P. Ioseph a Spiritu Sancto (Lusitani), qui fuit P. Francisci coaevus (1609-1674) et indefessus investigator circa authenciam auctorum mysticorum ex Reformatione Theresiana. En testimonium quod habetur initio operis Josephi a Sp. S. : *Cadena Mystica Carmelitana* (Madrid, 1678), *Cathalogo de los Autores Carmelitas Descalços, de que se forma esta Cadena Mystica,* num. 12 : « *El Padre Fr. Francisco de Santa Maria, en las Explicaciones de la Oracion, y contemplacion de muchos Religiosos, y Religiosas Venerables, de que escrivió las vidas. Y en un tratado breve de la Theologia*

(7) *Bibliotheca,* p. 172-173, num. 25 et post ipsum COSMAS DE VILLIERS, *Bibliotheca,* t. I, col. 502-504, num. 52 et BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A SS. SACR. : *Collectio Scriptorum,* t. I, p. 214, num. 28.

mystica, que con su nombre anda impreso al fin de Libro intitulado « Luz de las Maravillas de Dios », compuesto por el R. P. M. Fr. Leandro de Granada : el qual por su humildad quisó escrivir esta materia con la pluma agena, siendo la suya tan bien cortada para todas; pero dandole el nombre de su dueño, aunque por no darle mas pena en ello lo calló en otros tratados incorporados en el mismo libro ». Quod sic verti potest : « Pater Fr. Franciscus a Sancta Maria in Explicationibus orationis et contemplationis multorum Venerabilium religiosorum et monialium, quorum vitam conscripsit. Similiter in « *Tratado breve de la Theologia Mystica* », qui sub nomine ipsius editus est ad finem libri a R. P. M. Fr. Leandro de Granada congesti, cui titulus : « *Luz de las Marvillas de Dios* ». Hic humilitatis causa voluit de hac materia cum alieno calamo scribere, licet ipse luculentus scriptor fuerit; sed nomen veri auctoris indicavit (scil. opusculi « *Tratado breve* ») *LICET, NE EI MAIOREM DOLOREM AFFERRET, NOMEN TACUERIT AUCTORIS ALIORUM TRACTATUUM IN EODEM LIBRO* (scil. *Luz de las Marivillas*) *CONGESTORUM* » (8).

FRANCISCUS A S. THOMA

natus Pastranae, ubi et habitum Carmelitarum Excalceatorum induit in conventu S. Petri, fuit lector theologiae, prior Sancti Deserti Bolarcensis, bis rector collegii Complutensis ac anno 1702 prior Conventus Matritensis, demum provincialis suae provinciae (S. Spiritus Castellae Novae.). Anno 1707 diem supremum obiit. Plura opera nobis reliquit, inter quae insigne opus mysticum: *Medula mystica, sacada de las divinas letras, de los santos Padres, y de los mas classicos doctores mysticos, y escolasticos: en que con claridad, brevedad, buena doctrina, y erudicion se explica el camino, y santo exercicio de la oracion, y sus grados, desde los primeros rudimientos, Extasis, y arrobamientos; todo con muchas advertencias y convenientes avisos...* 1ª ed. Madrid, 1691. 2ª ed. « *añadida por su autor, año de 1702. En Madrid: en la Imprenta de Manuel Ruiz de Murga* » (9).

GABRIEL A S. VINCENTIO

Laudensis ex illustri familia Beonio aut Bevonio, Provinciae Mediolanensis professus, fuit prior, definitor et visitator generalis provinciae Genuensis, lector philosophiae ac theologiae, pluribus etiam annis in seminario nostro Missionum in Urbe cum magna laude praelectoris controversiarum munere functus, provinciae Romanae aggregatus, in conventu S. Mariae de Victoria in Urbe peregrinationem suae mortalitatis complevit anno 1671, die 17 septembris, aetatis suae 70. Multa opera philosophica et theologica Romae edidit, 1656 et sqq. (10).

---

(8) cf. MARTIALIS A S. I. B., *Bibliotheca*, pp. 172-173, num. 25. — COSMAS DE VILLIERS, *Bibliotheca*, t. I, col. 502-504, num. 58. — BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A SS. SACR., *Collectio Scriptorum*, t. I, pp. 212-215, num. 28. — HURTER, *Nomenclator*, t. III, col. 1131, num. 491.

(9) cfr. MARTIALIS A S. I. B., *Bibliotheca*, pp. 179-180, num. 34. — COSMAS DE VILLIERS, *Bibl. Carmel.*, t. I, col. 520, num. 105. — BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A SS. SACR., *Collectio Scriptorum O. Carm. Excalc.*; t. I, p. 219, nº 38. — JOSÉ DE S. JUAN DE LA CRUZ, *El Monte Carmelo* (Burgos), t. VII, num. 1 (Enero, 1906), pp. 21-22.

(10) cfr. MARTIALIS A S. I. B., *Bibliotheca*, pp. 182-183, num. 4. — COSMAS DE VILLIERS, *Bibl. Carmel.*, t. I, col. 533, num. 16. — BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A SS SACR., *Collectio Script.*, t. I, pp. 232-233. — HURTER, *Nomenclator*, t. IV, col. 18-19, num. 9.

IOANNES AB ANNUNTIATIONE.

in saeculo Llanes Campoamor, in civitate Ovitensi (Oviedo) natus, lector theologiae in collegio Salmanticensi, Generalis Congregationis Hispaniae 1694-1700, mortuus est Salmanticae die 4 augusti 1701. Cuius opera sunt: 1) « *Collegii Complutensis Fr. Discalceatorum B. M. de Monte Carmelo Artium cursus ad breviorem formam collectus, et novo ordine ac faciliori stylo dispositus* » ; 1ª ed. Lugduni, Petrus Chevalier, 1670, 5 tom. in-4°; alia Coloniae Agrippinae, sumptibus De Tournes, 1732 ; 2) Quidam tractatus *Cursus Salmanticensium* (cf. *Salmanticenses*); 3) *La Innocencia Vindicada,* ad Ven. episcopum Ioannem de Palafox defendendum; 4) *Promptuario del Carmen* (2 tom. in-4°, Matriti, 1699) et alia quaedam (11).

IOANNES A CRUCE (Sanctus —) (1542-1591) cf. eius hagiografi.

IOANNES A IESU MARIA (Venerabilis —)

in saeculo Juan de San Pedro y Ustarroz, Calaguritanus (Calahorra in Hispania) sacro fonte renatus est die 27 ianuarii 1564. Studuit Salmanticae usque ad annum 1582; quo tempore habitum Carmelitarum Excalceatorum induit Pastranae ibique anno sequenti professus est. Studiorum causa missus est ad collegium Complutense et inde ad coenobium Genuense S. Annae. Sacerdos factus (1590), magister studentium efficitur 1591-1593 et magister novitiorum 1593-1598; idem munus exercuit in conventu de la Scala, Romae, 1598-1607; 1608-1611. Anno 1598 et sqq. constitutiones una cum quibusdam aliis Patribus revisit, eo quod per breve « *Sacrarum Religionum* » die 20 martii 1597 Congregatio Italiae a Congregatione Hispaniae separata fuerat. In 1° capitulo generali anni 1605 definitor generalis electus est; anno 1607 et 1608 ob valetudinem habitavit Neapoli ubi etiam theologiae praelector fuit; at in 2° capitulo 1608 reelectus est magister novitiorum in coenobio de la Scala, definitor ac procurator generalis; in 3° capitulo Praepositus Generalis factus est 1611-1614; quo munere functus in solitudinem Tusculanam (Monte Compatri) prope Romam se contulit ibique sanctissime obiit die Ascensionis Domini, 28 maii,1615. Cuius corpus ad haec usque tempora omnis corruptionis expers servatur.

Inclyta forma gregis Carmelitani Discalceati factus suos omnes multum erudivit optimis exemplis, verbis et scriptis. Spiritum Missionum in sua Congregatione et in Ecclesia Romana promovit una cum sanctis viris Petro a Matre Dei, Thoma a Iesu ac Dominico a Iesu-Maria. Summis Pontificibus, Cardinalibus, aliisque viris praestantissimis consilio adfuit; Congregationis « *De Auxiliis* » consultor fuit; enituit enim integritate ac innocentia vitae singularique prudentia ac eruditione. A Bossuet « *Summus theologus summusque mysticus* » appellatus; ab Illustrissimo D. Caramuel (12) ita laudari meruit: *At Ioannes noster quia fuit Aquila, multos habuit calamos, multos stylos, multas pennas, multas plumas. Ideo, scripsit tam multa, tam varia, tam subtilia, et sublimia : Poeta, Rhetor, Dialecticus, Philosophus, Theologus, Ethicus, Asceticus, Politicus, Iurista, Medicus et Historiographus. Omnes has ipse scientias, omnes has facultates dilucidat, exornatque plurimis libris...*

Re quidem vera 79 opera nobis reliquit, quorum tantum perpauca inedita ma-

(11) cf. MARTIALIS A S. I. B., *Bibliotheca,* pp. 215-216, num. 23. — COSMAS DE VILLIERS, *Bibliotheca,* t. I, col. 728-729, num. 75. — BARTHOLOMAEUS A. S. ANGELO-HENRICUS M. A SS. SACR., *Collectio Scriptorum,* t. I, pp. 292-293, num. 23. — HURTER, *Nomenclator,* t. III, col. 919-920, num. 389. — EDUARDO DE SANTA TERESA, C. D., *Prelados ó Superiores de la Congregación de España,* in *El Monte Carmelo,* t. IX, num. 194 (1° de Agosto 1908), pp. 564-569.

(12) *Opera omnia Ven. P. Iohannis a Iesu Maria,* Florentiae, 1771-1772-1774, t. I, p. XXXVII.

nent. Haec opera plurimis in locis separatim edita multas editiones et versiones habuerunt; et ex his plura diverso donata idiomate sunt.

Prima editio operum omnium prodiit Coloniae Agrippinae 1622 apud Bernardum Gualterum in tribus tomis in-folio; quae editio est valde incompleta.

Secunda editio cura et studio Pauli ab Omnibus Sanctis (1611-1683) etiam Coloniae Agrippinae in lucem prodiit apud Iodocum Kalcovium 1650, 4 tomi in-folio: t. I, pp. XXXIV-549-XV; t. II, pp. VIII-770-XVI; t. III, pp. VI-332-XVI; t. IV, pp. VIII-448-LXXVI.

Tertia ac melior est editio cura et labore P. Ildephonsi a S. Aloysio facta Florentiae 1771-1772-1774 tribus tomis in-folio. Tomus I typis Iohannis Baptistae Stecchi et Antonii Iosephi Pagani, 1771, pp. LXIV-628 opera exegetica continet; t. II, ibidem, 1772, pp. XII-771 opera ascetica et mystica; t. III, typis regiae celsitudinis apud Caietanum Cambiagi, 1774, pp. XIV-723 opera miscellanea (13).

IOSEPH A IESU MARIA

in saeculo Franciscus Quiroga, tum generis nobilitate, tum vitae sanctitate ac scientiae profunditate illustris in pago « *Castro Caldelas* » (prov. Orense) in Hispania anno 1562 natus est. Cardinalis Quiroga Toletani antistitis nepos, in utroque iure doctor, in alma metropolitana ecclesia Toletana canonicatu potitus est. Matriti habitum Carmelitarum Excalceatorum induit (1595) et in conventu civitatis « *Cuenca* » diem supremum obiit anno 1629 (14). Primus Hispanicae Congregationis Historiographus generalis et eximius doctrinae Parentum nostrorum S. Theresiae a Iesu et Ioannis a Cruce defensor, non minus quam 19 libros admirabiles nobis reliquit (15).

En eius opera mystica :

1) *Subida del Alma a Dios y entrada en el Parayso Espiritual,* constans ex duabus partibus :

a) *Subida del alma a Dios que aspira a la divina union.* Opus posthumum. Madrid, Diego Diaz de la Carrera, 1656, in-8°. Alia editio Madrid, Roque Rico de Miranda 1675 et alias plures; anno 1664 Romae in lucem venit versio itala cura P. Balthasaris a S. Catharina.

b) *Entrada del alma al Parayso Espiritual* (*que es la segunda parte de la Subida del alma a Dios y entrada en el Parayso Espiritual*). Opus posthumum, Madrid, Diego Diaz de la Carrera, 1659; habuitque plures alias editiones. Hae editiones valde incompletae sunt, nam ex Mss. autographis certissime apparet 1) opus « *Entrada* » habuisse primam partem hucusque ineditam et constantem ex tribus libris [cap. 27, 10 et 19.] et 2) in secunda parte,

---

(13) Cf. FLORENCIO DEL NINO JESUS, C. D., *El V. P. Fr. Juan de Jesús Maria, Preposito General de los Carmelitas Descalzos* (1564-1615) *Su vida, sus escritos y sus virtudes.* Burgos, Tipografia de « *El Monte Carmelo* », 1919 in-8°, pp. 302 (quae vita eminet inter omnes hucusque editas). Insuper *Apéndice* A, pp. 267-283, optimis notitiis bibliographicis commendatur, ibi enim omnia opera Ven. P. Ioannis a Iesu Maria cum indicatione temporis compositionis, editionum ac versionum enumerantur. *Apéndices* B ac C, pp. 284-295 quaedam poemata inedita habent. Cf. etiam eiusdem auctoris articulus in *El Monte Carmelo,* t. XVII, núm. 382 (1° de Junio 1916), pp. 407-414.

(14) Et non Segoviae 1626, ut perperam asserunt MARTIALIS A S. I. B., *Bibliotheca,* p. 265, num. 79 et post ipsum COSMAS DE VILLIERS, *Bibliotheca,* t. II, col. 177, num. 192; BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO, *Collectio Scriptorum,* t. I, p. 346 et HURTER, *Nomenclator,* t. III, col. 673, num. 293. Immo COSMAS DE VILLIERS, l. c., addit: « *Unde corrigas Nicolaum-Antonium, et Danielem a Virgine qui eum obiisse dicunt Conchae, an. 1629* ».

(15) Sic auctor anonymus praefationis historicae quae praeponitur operi: *Defensa ó Apologia de el libro intitulado Subida del Alma a Dios, y entrada de el alma al Parayso Espiritual escrito en dos tomos.* Ms. asservatur in conventu nostro Burgensi. P. Fr. Gerardo de San Juan de la Cruz tantum 17 opera refert (*Obras del Mistico Doctor San Juan de la Cruz,* t. III, pp. 505-508).

quae edita est, deesse totum librum primum ex 12 capitibus constantem et ex libro II capita 15-22 inclus. Notandum est auctorem bis opus « *Entrada* » scripsisse et in secunda redactione opus suum ampliasse. Versio itala cura P. Lucae-Francisci a S. Benedicto prodiit Genuae 1669.

2) *Apologia mistica en defensa de la contemplacion divina contra algunos maestros escolasticos que se oponen a ella, pruebase en la auctoridad de las divinas lettras i doctrina concorde de los santos, que esta contemplacion fue dada por Dios desde el principio del mundo a sus grandes siervos enseñada por Christo a sus apostoles, i predicada por ellos como sabiduria del cielo a sus discipulos para que la communicasen a toda la Iglesia.* Constat ex 29 capitulis. Ms. P. 117-4287, Madrid, Bibl. Nacional (in-8°, pp. 246); et Ms. 4478 *ib.*

3) *Tratado de la oracion y contemplacion sacado de la doctrina de la bienaventurada Madre Teresa de Iesus y del venerable Padre Fray Juan de la Cruz.* Ms. asservatur Matriti, Bibl. Nac. Ms. 8452; et pars eius apud moniales Carmelitas Excalceatas conventus oppidi « Consuegra », 15 capituli ad minus partim vel totaliter huius operis fuerunt edita a P. GABRIELE LOPEZ NAVARRO (o. S. Francisci de Paula) in opere *Mistica theologia* (Madrid 1641); qui et alteram editionem fecit « *ab auctore emendatam et auctam* » (Madrid en la Imprenta real 1651) (existit in N. Conventu Burgensi). Totum hoc opus (praeter tractatum primum) deprompsit auctor ex scriptis S. M. N. Theresiae et S. P. N. Ioannis a Cruce, sed praesertim ex scriptis P. Iosephi a I. M. Caput seu tractatus decimus et ultimus est opus apocryphum P. N. Ioannis a Cruce *Breve compendio de la eminentisima perfeccion cristiana;* opus quod probabiliter debetur *P. Fernando de Matha.*

4) *Concordancia de la doctrina de Nuestra Madre Santa Teresa de Jesus con la de la sagrada Escritura, Santos Padres, etc...* Hoc opus Patris Iosephi a I. M. fuit editum Barcinone, 1667, a BERNARDINO PLANES Cartusiano Montis Alegre (Cataluña) sub titulo: *Concordancia mistica en la cual se trata de las tres vias, purgativa, iluminativa y unitiva, y se declara y concuerda entre si la doctrina de la santa Madre Teresa de Jesus con la de los Santos y Maestros de la vida espiritual.* En tres libros. Exemplar adest Matriti, Bibl. Nac. 3-9698. Licet nomen proprium in fronte operis posuerit Planes, in epistola dedicatoria fatetur opus non sibi esse proprium, sed iam per 30 annos in suo conventu manuscriptum servatum esse. Mirum est nihilominus auctores ad hoc opus conferentes communiter illud Bernardino Planes adscribere.

5) *Don que tuvo San Juan de la Cruz para guiar las almas a Dios.* Pater Gerardo de S. Juan de la Cruz illud opusculum edidit (*Obras del Mistico Doctor San Juan de la Cruz,* t. III, p. 511-570; Toledo, V^a^ é Hijos de J. Peláez, 1914) iuxta Mss. 11990 et 8273 Bibl. Nationalis Matritensis et Ms. conventus PP. Carm. Exc. Toletani. Hic optime defenditur doctrina Mystici nostri Doctoris.

6) *Respuesta a algunas razones contrarias a la contemplacion afectiva y oscura que Nuestro Padre Fray Juan de la Cruz, guiado de Dios, de la Escritura y de los Sanctos, enseña en sus escritos.* P. Gerardo de S. Juan de la Cruz hunc parvum tractatum edidit (l. c; pp. 571-576) iuxta Mss. 8278 et 11990 Bibl. Nationalis Matritensis.

7) *Declaracion del capitulo XXII de la Vida de Nuestra Madre Santa Teresa, acerca de como se ha de ejercitar en la contemplacion la memoria de la vida y pasion de Nuestro Señor.* Mss. 8273 et 11330 Bibl. Nationalis Matritensis et Ms. in archivo conventus nostri Toletani, cui prologus deest.

8) *Escala Mistica,* opus sat magnum.
9) *Brevisimo comentario a las liras « Aquella niebla oscura » y « Oh dulce noche oscura ».* Ms. pp. 79 (16).

IOSEPH A SPIRITU SANCTO (Lusitanus)

Augustae Bracarum (Braga), in Lusitania, die 26 Decembris 1609 natus, parentes habuit nobilitate insignes Paulum Barroso et Catharinam Franciscam. Vigesimum tertium annum agens habitum Carmelitarum Excalceatorum induit votaque emisit Olisippone die 30 maii anni 1632. Vitae religiosae observantissimus, animarum zelo fervens, verbi divini praedicator eximius, theologiae mysticae studiosissimus, conventum B. V. Mariae de Monte Carmelo Bracarensem (1654) et conventum in « Bahia » fundavit; licet invitus et reluctans, pluries prior factus est; episcopatumque a Rege sibi oblatum constanter recusavit. Meritis plenus in Domino obdormivit in conventu nostro S. Hermenegildi, Matriti, die 27 ianuarii 1674. Scripsit:

1) *Cadena Mystica carmelitana de los auctores Carmelitas Descalzos... formada en metodo de las Colaciones espirituales del Carmelo Heremitico...* Madrid en la oficina de Antonio Gonzalez de Reyes 1678, in-folio. Opus non est absolutum, nam ex variis intentis prima tantum ponitur « *Colacion* »; egregium est tamen opus, constans ex 40 propositionibus cum eorum propriis responsionibus, in quibus sententiae auctorum nostrorum mysticorum dilucide exponuntur et cum propria auctoris sententia concluduntur.
2) *Cuestiones misticas.* Opus completum quidem, cui tamen non accessit manus extrema, duabus exceptis quaestionibus, quae ideo ad calcem libri « *Cadena Mystica* » positae sunt, nempe: *Cuestion del proposito serafico,* pp. 373-385; et *Cuestion del voto serafico* pp. 386-396 incl.
3) *Enucleatio Mysticae Theologiae S. Dionysii Areopagitae, episcopi et martyris, per quaestiones et resolutiones scholastico-mysticas, tam in librum, quem inscripsit de Mystica Theologia: quam in diversas alias sententias illam concernentes, a reliquis ejusdem Ss. Doctoris superstitibus libris sedulo depromptas, atque in duas partes divisa; in gratiam Fratrum Excalceatorum Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo, in sui Ordinis Collegiis utramque Theologiam Scholasticam scilicet et Mysticam profitentium.* Ab auctore latine scriptum et a *P. Paulo ab omnibus Sanctis* editum ad calcem tomi secundi operum omnium Ven. Thomae a Iesu, C. D., Coloniae Agrippinae apud Ioan. Wilhelmum Friessem iuniorem 1684 (pp. 455-602). Versio gallica cum notis mox in lucem prodibit.
4) *Primera Parte del Camino espiritual de oracion y contemplacion. Donde se trata de lo que deve hazer el que quisiere tener oracion: desde el principio de su conversion hasta llegar a la fin de la perfeccion, repartido en tres tratados.* Ms. 6533 Bibliothecae Nationalis Matritensis. Opus Ineditum.
5) Plus quam sexcenti sermones, quorum quindecim tantum editi sunt septem tomis: 1° Coimbra, na officina de Manoel Dias, 1653, in-4°; 2° Lisboa, na

(16) P. GERARDO DE SAN JUAN DE LA CRUZ, *Obras del Mistico Doctor San Juan de la Cruz,* t. I, Preliminares, pp. XL-XLI; XLIX, nota (2); LVIII-LIX; t. III, pp. 505-510 et 583. — FRANCISCO DE SANTA MARIA, *Reforma de los Descalzos,* t. I, libro VII, cap. 11, n. 6; Madrid, Diego Diaz de la Carrera, 1644, pp. 216-217. — JOSÉ DE S. TERESA, *Reforma de los Descalzos,* t. IV, libro XVII, cap. 25 (Madrid, Julian Paredes, 1684), pp. 631b-636b. — PAULUS AB OMN. SANCTIS, *Opera Omnia ven. P. Thomae a Iesu,* Coloniae Agrippinae, 1684, t. II, p. 195. — MARTIALIS A S. I. B., *Bibliotheca,* p. 265, num. 79. — COSMAS DE VILLIERS, *Bibl. Carmel.,* t. II, col. 176-178, num. 192. — BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A SS. SACRAM., *Collectio scriptorum,* t. I, pp. 345-347, n° 116. — HURTER, *Nomenclator,* t. III, col. 673, num. 293.

officina de Henrique Valente de Oliveyra, 1659, in-4°; 3° ib. 1659, in-8°; 4° ib. 1664, in-4°; 5° ib. 1664, in-4°; 6° Lisboa, na officina de Antonio Rodriguez de Avreu, 1672, in-folio; 7°, Lisboa, na officina de Domingos Carneyro, 1673, in-4°.

6) *Insuper varia poemata* (cf. BARBOSA, t. II, p. 846 sq.), et Ms. 17.875 Bibl. Nation. Matritensis (17).

LAURENTIUS A S. THERESIA

Droghedae in Hibernia ortus ingenii claritate et facilitate excelluit. S. Theologiae lector in collegio Bononensi, definitor provinciae Mediolanensis, deinde provinciae Romanae aggregatus, praeter lecturam controversiarum in collegio missionum S. Pancratii, mox et gubernium eiusdem seminarii suscipere cogitur, anno 1662. Apoplexia correptus est mense novembri an. 1670, aetatis suae 44.

Urgentibus Praelatis eximium opus parabat cui titulum apponere intendebat: *Elucidarium Thomisticum,* sed morte praeventus non reliquit nisi fragmenta, quae Adeodatus a SS. Petro et Paulo, definitor generalis et quondam Bononiae eius discipulus, in unum collegit et Romae quinque tomis in-fol. edi curavit sub titulo: *Specilegium theologicum seu difficiliores Controversiae selectae ex Summa Sancti Thomae discussae, et resolutae ad mentem eiusdem Angelici Doctoris. Opus Posthumum.* Romae, ex typographia Iosephi Vannaccii 1682 (18).

PHILIPPUS A SS. TRINITATE

in saeculo Julien Esprit, patria Malaucensis, dioecesis Vasionensis, in comitatu Avenionensi, anno 1603 natus, vota nuncupavit Lugduni, 8 septembris 1621, studuit Parisiis et Romae in seminario missionum. A superioribus Aspahamum, Persidis metropolim, missus die 8 februarii 1629, « *non solum hanc regionem, sed et Indiam* (*ubi commoratus est 9 fere annos*), *tres Arabias, Syriam, Mesopotamiam, Chaldaeam, Armeniam et ex parte Mediam peragravit, quod iter describit Philippus in laudabili suo opere:* ITINERARIUM ORIENTALE » (19), Lugduni, 1649, apud Antonium Jullieron, in-8°. Postea gallico, germanico et italo idiomate versum est: *Viaggi Orientali del P. Filippo della SS. Trinita,* in Venetia, 1683, Presso Antonio Ticcanni, in-12°, pp. 730.

In provinciam suam Avenionensem reversus « *saepe ad prioris, definitoris, provincialis semel et iterum officia evectus, ter et quater visitator generalis, bis definitor generalis renuntiatus; et tandem Italicae Congregationis Praepositus Generalis XXI electus est Romae in comitiis generalibus habitis die 25 Aprilis anno 1665 et in sequenti capitulo generali anno 1668, dispensatione pontificia confirmatus in eadem dignitate* » (20). Tempore sui Generalatus fere omnes provincias suae Congregationis per Europam ipse visitavit ac demum sanctissime Neapoli obiit die 28 februarii 1671.

---

(17) Notitias biographicas P. Iosephi a Sp. S. (Lusitani), quas colligere potui, magis in extenso referam initio versionis gallicae operis: *Enucleatio Mysticae theologiae S. Dionysii Areopagitae.* Interim cf. JOSÉ DE SANTA TERESA: *Reforma de los Descalzos;* t. IV, lib. XVIII, cap. 41, n. 39, p. 924. — MARTIALIS A S. I. BAPT.: *Bibliotheca,* p. 268, n. 86. — COSMAS DE VILLIERS: *Bibl. Carm.,* t. II, col. 191-192, n. 208. — *Bibliotheca Carmelitico-Lusitana,* pp. 158-162, n. 125. — BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A SS. SACR.: *Collectio Script. O. Carm. Exc.,* pp. 352-353, num. 128.

(18) cf. MARTIALIS A I. B., *Bibliotheca,* pp. 273-274, num. 5. — COSMAS DE VILLIERS, *Bibliotheca,* t. II, col. 230-231, num. 31. — BARTHOLOMAEUS-HENRICUS..., *Collect.,* t. I, pp. 372-374, num. 11. — HURTER, *Nomenclator,* t. IV, col. 30, num. 14.

(19) HURTER, *Nomenclator,* t. IV, col. 37, num. 17.

(20) BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO, *Collectio,* t. II, pp. 110-111, num. 63.

« *Plura edidit opera cedro digna, inquit Ioannes-Baptista Gonet, in quibus eruditio et pietas decertant, continuis licet itineribus ac praelaturarum occupationibus detentus, quae ipsum in omni disciplinarum genere instructissimum fuisse probant* » (21). Inter quae potiora sunt:

1) *Itinerarium Orientale* iam citatum.
2) *Summa Philosophica ex mira Principis Philosophorum Aristotelis et Doctoris Angelici D. Thomae doctrina iuxta legitimam scholae Thomisticae intelligentiam composita.* Lugduni, Antonius Jullieron, 1648, in-folio, 800 pag.; Coloniae Agrippinae, 1654, 1665. Hanc *Summam* « *Goae elaboraverat eadem prorsus methodo qua usus est S. Thomas Aquin. in summa theologica sua* » (22). Eam multum commendant sodalibus suis statuta Congregationis generalis Oratorii (Parisiis, 1675).
3) *Cursus Theologicus iuxta partes Summae Divi Thomae in quinque tomos divisus.* Lugduni, 1653; Coloniae Agrippinae, W. Friessem, 1656, 4 tomi in-4° et tomus V (Tractatus de Sacramento Paenitentiae) anno 1670, in-4°, 352 pag.; Lugduni, sumptibus Christophori Fourmy, quatuor primi tomi anno 1664 et tomus V anno 1663. « *Notissima est et in praetio apud omnes S. Thomae discipulos* » (23).
4) *Summa Theologiae Mysticae in qua demonstratur via montis perfectionis et in tres partes apte divisa secure et feliciter decurritur, manifestatis opportune, quae passim occurere solent, periculis.* Lugduni, 1656, in-fol.; Bruxellis, Alfredus Vromant 1874, tribus tomis in-8°, cura R. P. Bertholdi Ignatii a Sancta Anna, C. D. Quidquid ad S. Theologiam mysticam pertinet in hoc opere eruditissime pertractatur.
5) *Historia V. P. Dominici a Iesu Maria, Disc. Ord. B. V. M. de Monte Carmelo Congreg. S. Eliae Praepos. Gener.* Lugduni, Ant. Jullieron, 1659, in-8°.

La Vie du Vénérable Père Dominique de Jesus-Maria, General des Carmes Deschaussez... Traduite en françois par un Religieux du même Ordre. Lyon, chez François Comba, 1668, in-8°, pp. XXIV-932-LII.

6) *Decor Carmeli Religiosi in Splendoribus Sanctorum ac illustrium religiosorum et monialium Ordinis B. V. M. de Monte Carmelo.* Lugduni, Ant. Jullieron, 1665, in 3 tom. in-folio.
7) *Theologia Carmelitana sive Apologia scholastica Religionis Carmelitanae pro tuenda suae nobilitatis antiquitate.* Romae, sumptibus Philippi M. Mancini, 1665, in-fol. (24).

SALMANTICENSES

Collegii Salmanticensis Carmelitarum Discalceatorum Cursus theologicus Summam theologicam Ang. Doct. D. Thomae complectens, (i. e. dogmaticus) a pluribus huius Collegii lectoribus conscriptus plures editiones habuit; quarum ultima est ed. Parisiensis (Victor Palmé, 1870-1883), 20 t. in-4°.

Septem primi tractatus auctorem habent P. ANTONIUM A MATRE DEI (de quo supra). Tractatus VIII-XIII inclusive elaboravit P. DOMINICUS A S. THERESIA, natus Albercae (prov. Salmantic.) et Salmanticae premature mortuus 1654. Tractatus XIV-XXIII conscripsit P. IOANNES AB ANNUNTIATIONE (de quo

(21) l. c., p. 111.
(22) l. c., p. 111.
(23) l. c., p. 112.
(24) Cf. MARTIALIS A S. I. B., *Bibliotheca,* pp. 337-340, num. 39; — COSMAS DE VILLIERS, *Bibliotheca,* t. II, col. 651-653, num. 183; — BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A SS. SACR., *Collectio,* t. II, pp. 110-113, num. 63; — HURTER, *Nomenclator,* t. IV, col. 37-39, num. 17.

supra). Insuper inchoavit tractatum XXIV, i. e., tomum primum *de Paenitentia,* quem persecutus est atque perfecit P. ANTONIUS A S. IOANNE BAPTISTA, Burgensis, † Salmanticae 1699. Tomum secundum de Paenitentia composuit P. ALPHONSUS SEU ILDEPHONSUS AB ANGELIS (Alonso de los angeles), qui et tomum sextum *Cursus moralis* complevit; natus « Zeclurin » in Extremadura, vota emisit in conventu Vallisoletano (Valladolid), fuit lector philosophiae et theologiae aliisque officiis functus est; anno 1724 adhuc vivebat.

Collegii Salmanticensis F. F. Discalceatorum B. Mariae de Monte Carmelo primitivae observantiae Cursus theologicus moralis a pluribus huius Collegii lectoribus textus multas editiones habuit. Melior editio est 4ª Matritensis anni 1709 (comprehendit tantum 4 primos tomos in-fol., tomus V fuit editus tantum Matriti, 1714, et tomus VI Matriti, 1724).

Tomus primus, septem primos tractatus complectens, debetur P. FRANCISCO A IESU MARIA, qui natus Burgis, fuit prior plurium conventuum, definitor provincialis et definitor generalis, mortuus est anno 1677, quibusdam aliis operibus conscriptis.

Tomum secundum (tr. VIII-X), *tomum tertium* (tr. XI-XIV et *tomum quartum* (tr. XV-XIX) texit P. ANDREAS A MATRE DEI. Palenciae natus est, fuit rector Collegii Salmanticensis, provincialis et definitor generalis ac anno 1674 mortuus est. *Tomum quintum* (tr. XX-XXIII) et *partem tomi sexti* (tr. XXIV-XXIX) composuit P. SEBASTIANUS A S. IOACHIM, qui morte praeventus tomum sextum explere non potuit. Quod fecit P. ALPHONSUS AB ANGELIS (de quo supra) (25).

THERESIA A IESU (Sancta —) (1515-1582) cf. eius hagiographi.

THOMAS A IESU (Venerabilis —)

in saeculo Diaz (Didacus) Sánchez-Davila, ex illlustri et nobili familia Biatiae (Baeza) anno 1564 natus, in universitate patria et in Salmanticensi optimam scientiam comparatus, Doctor S. Theologiae et utriusque iuris summa cum laude efficitur. Studendo S. Theresiae a Iesu operibus, quorum revisioni in ordine ad publicationem praepositus fuerat, vehementer commotus inter eius filios numerari voluit; insuper condisciplum suum Franciscum a S. Maria ad idem propositum captum secum adduxit; et ambo professionem Vallisoletae emiserunt die 5 aprilis 1587. « *Hic literis ingenium ita ornavit ac dives reddidit, literas ita cum pietate sociavit, famularique ei adeo utiliter fecit ut in fertillissima virorum cum doctrina, tum vitae ac morum integritate et sanctitate insignium familia aequales sibi paucissimos agnoscat. Novus adhuc inter sodales necdum votis obstrictus consulebatur probabaturque a senibus consilium in rebus domesticis quibusque atque arduis proferens* » (26). S. Theologiae dogmaticae ac mysticae fuit lector in collegiis Hispalensi et Complutensi et semel ac iterum prior Caesar-Augustani coenobii 1594-1597; 1607; vitam eremiticam promovit Bolarci anno

(25) cf. MARTIALIS A S. I. B., *Bibliotheca,* pp. 347-351, num. 1. — COSMAS DE VILLIERS, *Bibliotheca,* t. II, col. 702-703, num. 2. — BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A SS. SACR., *Collectio Scriptorum,* t. II, pp. 126-130, num. 1. — HURTER, *Nomenclator,* t. III, col. 918-920, num. 389; t. IV, col. 276-277, num. 120; col. 948, num.404; col. 1296, num. 572. — EDUARDO DE S. TERESA, C. D., *Prelados ó Superiores de la Congregación de España* in *El Monte Carmelo,* t. VIII, num. 157 (15 de Enero 1907), pp. 59-61.

(26) HURTER, *Nomenclator,* t. III, col. 675, num. 294.

1592 eremum primam erigendo et alteram « *de las Batuecas* » vulgo dictam (1599), dum provincialem Veteris Castellae gereret (1597-1600). Definitor generalis electus est anno 1600 et prior eremi « *de las Batuecas* » anno 1604-1607.

Ardenti zelo pro salute animarum animatus, a Paulo V anno 1607 exeunte Romam accersitus et legatus Apostolicus apud D. Alvaro, regni « *Congo* » regem, ac missionum Carmelitarum Excalceatorum fundator est constitutus.

Expeditione Africana a rege Hispaniae impedita, una cum Petro a Matre Dei, praeposito Generali Italicae Congregationis a S. Pontifice per bullam « *Onus pastoralis officii* », die 22 Julii 1608, erectionem obtinuit tertiae Congregationis Carmelitarum Excalceatorum sub titulo S. Pauli, missionariorum scilicet qui soli Fidei propagationi animarumque saluti intenderent, ac per varias infidelium terras Evangelium praedicarent; ad quam Congregationem transire possent omnes missionum cupidi religiosi e Congregatione tam Italica quam Hispana; in qua etiam praeter communia tria vota alia duo adderentur, nempe eundi ad missiones quando obedientia id iniunxisset, et non ambiendi dignitates ac praelaturas.

Nova iam domus via Iulia prope Farnesiorum palatium erecta erat, cum die 26 augusti eiusdem anni 1608, Petro a Matre Dei defuncto, Ferdinandus a S. Maria Vicarius Generalis factus tanta verborum efficacia Paulum V, Thoma praesente, allocutus est de possibilitate finem huius tertiae Congregationis adipiscendi in ipsa Congregatione Italica, maxime missionibus in ea iam existentibus, ut prius suspensionem et die 7 Martii 1613 per bullam « *Romani Pontificis* » suppressionem tentatae Congregationis obtinuerit.

Ab hoc tempore in Congregatione Italiae quartum de non ambiendo instauratum est votum, et instituta sunt missionum seminaria, quorum alumni in professione sua per votum se ad missionum opus adstringunt.

Thomas Congregationi Italicae aggregatus, die 1ª novembris 1608 professionem renovavit duobus supradictis votis additis. A Paulo V die 17 octobris 1609 conventuum sui Ordinis in Gallia, Belgio et Germania erigendorum fundator et superior constitutus est. Romae per aliquot menses morbo detentus, multum adlaboravit erectioni Romanae Congregationis « *de propaganda Fide* »; ad quem finem anno 1610 Romae apud Iacobum Mascardum opus Paulo V nuncupatum edendum curavit : « *Stimulus missionum sive de propaganda a religiosis per universum orbem Fide* » (in-8°) ; qui libellus veluti prologus est ingentis eximiique operis, scilicet: « *De procuranda salute omnium gentium* » (de quo infra), vel ut aliter inscribitur: « *Manuale Missionariorum* », *Manuale Apostolatus* » et « *Thesaurus Sapientiae divinae* ». In quo aureo libro, Romae quidem (1607-1610) magna ex parte congesto, Antverpiae tamen primum typis mandato anno 1613, inter plurima maxime utilia, auctor rationem erigendae Congregationis « *de propaganda Fide* » dilucide exponit, lib. III, c. I (ed. 1613, pp. 103-106; *Opera omnia*, 1684, t. I, pp. 48a-49b), et cap. 3 eiusdem libri III excellenter agit « *de instituendis seminariis pro ministris efformandis, et accingendis ad fidei propagationem* » (ed. 1613, pp. 110-116; *Opera omnia*, 1684, t. I, pp. 51a-53b).

Ipse enim Thomas missionum seminarium Lovanii fundavit et alia alibi erecta cognovit. Insuper, operante Ven. Dominico a Iesu Maria, Carmelita Excalceato, Congregationem de propaganda Fide a Gregorio XV anno 1622 erectam laeto corde acclamavit.

Anno igitur 1610, die 20 Augusti, in Belgium venit erexitque coenobia Carmelitarum Excalceatorum Bruxellis (1610), Lovanii (conventum S. Alberti 1 Novembr. 1611 et seminarium missionum « *Placet* » 14 Sept. 1621), Coloniae Agrippinae (26 Ianuarii 1614), Duaci (5 Oct. 1615), Insulis (1616), Leodii (28

April. 1617), Antverpiae (4 Maii 1618), eremum in sylva Marlaniae prope Namurcum (1618-1620), Namurci (24 Febr. 1622) ac tandem Dolae in Sequania (Franche-Comté) (28 Jan. 1622); plurimis etiam Monialium his in regionibus monasteriis fundatis. Anno 1617 duabus provinciis (Belgii et Germaniae) constitutis, primus provincialis provinciae Belgicae electus et anno 1619 in primo capitulo provinciali in officio suo confirmatus est. Demum anno 1623 definitor generalis factus in eodemque officio confirmatus 1626; sequenti anno, 1627, die 24 maii, Romae sanctissime obiit sepultusque est in conventu S. Mariae de Scala. Dilecto ac venerabili suo fundatori in sylvae Marlaniae eremo Carmelitae Excalceati Belgae erexerunt statuam sequenti inscriptione ornatam :

Virtute luxit — Doctrina lucet — Fama lucebit.
Corpus terra tegit — Spiritus aethera tenet (27).

Multa opera eaque praestantissima nobis reliquit, praesertim de theologia mystica, in qua erat paratissimus. Urbanus VIII, Pont. Max., Capitulo Generali, 1632, significavit ut editionem operum omnium Thomae a Iesu fieri curaret. Ideo cura et studio P. Pauli ab omnibus Sanctis, t. I et II *Operum omnium* in lucem venerunt Coloniae Agrippinae, 1684, apud Ioannem Wilhelmum Friessem iuniorem: in folio, pp. XII-753-XXIX; IV-602-XXVI. Cum tertius tomus nunquam editus fuerit, hic operum omnium seriem chronologice ponam.

A) *OPERA EDITA:*

1), 2) et 3) *Libro de la Antiguedad, y santos de la Orden de Nuestra Señora del Carmen* (2) *y de los especiales privilegios de su Confradia.* En Salamanca, en casa de Andres Renaut 1599, en-8°, pp. XVI-255 — (3) *Siguesse un breve tratado, en el qual se responde a algunas cosas que un religioso autor escrivio, contradiziendo los fundadores, antiguedad, habito, y santos de la Orden de Nuestra Señora del Carmen.* pp. 92-XVI. Quamvis in titulo nomen auctoris desit, hoc ultimum opusculum « *Breve tratado* » etiam Venerabili Thomae a Iesu debetur. Ex prologo enim lucidissime constat eundem esse horum trium opusculorum auctorem. En verba prologi: « *A todo lo que habemos docho en este libro del Fundador, de la antiguedad, de los santos, y de otras excelencias de N. Religion.* » Exemplar horum trium opusculorum in uno volumine collectorum in Abulensi conventu PP. Carmelitarum Excalceatorum exstat. Desunt in editione *Operum omnium,* Coloniae Agrippinae, 1684.

4) *Stimulus missionum sive de propaganda a Religiosis per universum Orbem Fide,* Romae, apud Iacobum Mascardum 1610, in-8°, pp. XII-234-VIII. Deest in *Operum omnium* ed. 1684.

5) et 6) *De procuranda salute omnium Gentium, Schismaticorum, Haereticorum, Iudaeorum, Sarracenorum, caeterorumque Infidelium libri XII. Quibus im-*

(27) FRANCISCO DE SANTA MARIA, *Reforma de los Descalzos,* t. I, lib. V, cap. 16, n. 6; Madrid, 1644, pp. 781b-782b; t. II, lib. VIII, cap. 59-61, Madrid, 1720, pp. 605a-620b. — JOSEPH DE S. TERESA, *Reforma de los Descalzos,* t. IV, lib. XVII, cap. 36-42; Madrid, 1684, pp. 675b-707a. — ISIDORUS A S. IOSEPH-PETRUS A S. ANDREA, *Historia Generalis Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Virginis Mariae de Monte Carmelo Congregationis S. Eliae.* Romae, typ. Phil. Mar. Mancini, 1668-1671, t. II, lib. II, cap. 45-48, pp. 525a-552b; lib. III, cap. 35-36, p. 769a-782a. — MARTIALIS A S. I. B., *Bibliotheca,* pp. 409-419, num. 4. — COSMAS DE VILLIERS, *Bibliotheca Carmelit.,* t. II, col. 815-819, num. 43. — BERTHOLD-IGNACE DE SAINTE ANNE, C. D., *Vie de la Mère Anne de Jésus,* Malines, Dessain, 1876-1882, t. II, livre II, chap. 7, pp. 344-386. — BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A SS. SACRAM., *Collectio scriptorum,* t. II, pp. 159-164, num. 16. — HURTER, *Nomenclator,* t. III, col. 675-677, num. 294. — P. FR. BENEDICTUS MARIA A S. CRUCE, *Les saints deserts dans l'Ordre des Carmes déchaussés, in Chroniques du Carmel,* 1898, pp. 300-303; 338-341; 372-376; 1899, pp. 82-86; 122-126; 163-165; 194-197. — P. FR. FLORENCIO DEL NINO JESUS, *La Orden de Santa Teresa, la Fundación de la Propaganda Fide y las Misiones Carmelitanas,* Madrid, 1923, Parte I, cap. 3, pp. 39-59.

piissimarum sectarum, maxime Orientalium, Ritus ad Historiae fidem narrantur, errores ad Veritatis lucem confutantur. (6) *Accedit pro laborantibus inter Infideles brevis casuum resolutio, gratiarum ac privilegiorum compendium et pro conversis Catechismus.* Antverpiae, sumptibus Viduae et haeredum Petri Belleri, 1613, in-4°, pp. XVIII-865; 866-926-XXVIII (28). *Operum omnium* ed. 1684, t. I, 1-371; 372-401. Item 1652.

7) *Suma y compendio de los grados de oracion sacado de las Obras que compuso la Santa Madre Teresa de Jesus.* Madrid, Doblado 1793 in 16°. Editio princeps Hispana est illa quae in lucem prodiit apud Iacobum Mascardum 1610. Versio gallica edita est Parisiis, Fouet 1612, in-12°: deest in *Operum omnium* ed. 1684.

8) et 9) *Tratado de la Oracion mental, de sus partes y grados, en que se instruye al alma sobre el modo de conducirse con provecho en tan santo y util ejercicio.* Burgos 1891, Imprenta de Anselmo Revilla, in-16°, pp. XXII-148-VI. Editio princeps hispana prodiit Romae apud Iacobum Mascardum 1610 una cum *Suma y compendio.* Item Matriti 1615 apud Ludov. Sanchez; Valenciae 1623 apud Michaelem Sorollam; Abulae 1898, tip. de Cayetano González Hernandez. Hoc opusculum, ut ipse Thomas a Iesu animadvertit in prologo editionis 1610 et 1891 (p. XXI), antea typis mandatum sub alterius auctoris tunc temporis iam defuncti nomine, tot mendis et erroribus foedatum erat, ut ipse coactus fuerit se auctorem opusculi declarare illudque emendatum pervulgare.

Idem opus « *Tratado* » Thomas a Iesu altera vice revisit et retexuit, nempe istis duobus egregiis operibus iam confectis : *De Comtemplatione Divina libri sex* (ed. princeps, Antverpiae, 1620) et *Divinae orationis sive a Deo infusae methodus, natura, et gradus, Libri quatuor.* (ed. princeps, Antverpiae 1623). Hoc opus refectum latino idiomate exiit sub titulo: *Via brevis et plana orationis mentalis,* Coloniae Agrippinae, *Opera omnia,* t. II, pp. 45a-61b; deinde Milano, tip. S. Lega Eucaristica, 1922, cura P. Eugenii a Sto Ioseph, una cum *De contemplatione acquisita,* in-8°, pp. 142-201.

Doctrinam in opere « *Via brevis* » traditam postea complevit Thomas a Iesu in opusculo (9) hispanice scripto, quod in versione gallica sic inscribitur : *Traite de la Contemplation Divine, Particulièrement de celle, qui avec la faveur du Ciel se peut acquerir par nôtre travail... Et nouvellement mis en lumiere par les soins du R. P. Maurice de S. Matthieu, Religieux du même Ordre.* A Liège, chez Henry Hoyoux 1675, in-8°, pp. XVIII-276-X. Exemplar adest in conventu nostrarum Monialium Antverpiae. Nova editio gallica praeparatur a R. P. Maria-Joseph a SS. Corde Iesu, C. D. Provinciae Flandriae. Hispanus textus nondum inveniri potuit (29).

10) Hispane: *Praxis vivae fidei qua Iustus vivit.* Bruxellis, 1613, in-8°; latine studio P. Isidori a S. Ioseph, Coloniae Agrippinae, 1618 ex officina Ioannis Kinchii; in *Operum omnium* ed. 1684, t. II, pp. 1a-45b; Brugis, Van Praet, 1765, in-32°.

11) *Commentaria in cap.* NON DICATIS XII, Q. I, C. MONACHI; *et cap.* CUM

---

(28) Exstat in conventu nostro Cortracensi aliud exemplar eiusdem editionis, cui tamen titulus : *Thesaurus sapientiae divinae, in Gentium omnium salute procuranda. Schismaticorum, Haereticorum, Iudaeorum, Sarracenorum, caeterorumque Infidelium errores demonstrans. Impiissimarum sectarum, maxime Orientalium, ritus ad historiae fidem XII libris enarrans, errores ad veritatis lucem confutans.* Antverpiae, sumptibus Viduae & haeredum Petri Belleri, 1613, in-4°; pp. XVIII-865. *Catechismus generalis pro omnium sectarum catechumenis utilissimus;* pp. 866-926-XXVIII. Circa haec tria ultima opera cf. etiam supra p. 299.

(29) In confirmationem dictorum meorum consule, si libet, 1° *Prologum ad Lectorem,* qui praeficitur opusculo « *Via brevis et plana* » (*Opera omnia,* t. II, pp. 45-46; ed. 1922, pp. 145-146.) et 2° *Avant propos* opusculi « *Traite de la Contemplation Divine* ».

AD MONASTERIUM. *De Statu Monachorum. In quibus de natura voti Paupertatis, de proprietate abdicanda, de licentia Superiorum praerequisita, de vita communi, ac denique de Paupertate in communi, tam ex antiquorum Patrum, quam aliorum Doctorum sententia agitur.* Antverpiae, apud Gerardum Wolsschatium 1617, in-folio, XX-168-VIII; *Operum omnium* ed. 1684, t. I, pp. 579-679.

12) *Expositio in omnes ferme Regulas sanctorum Basilii, Augustini, Benedicti, Francisci, et aliorum Ordinum, praecipue in Regulam Primitivam Carmelitarum.* Antverpiae, apud Gerardum Wolsschatium, 1617, in-fol. pp. 330-XVIII. *Operum omnium* ed. 1684, sub titulo: *Expositio in Regulam Ordinis Carmelitarum ab Alberto Hierosolymitano traditam,* t. I, pp. 403-577b.

13) Hispane: *Methodus examinandi ac discernendi spiritualem animae profectum...* A quodam eiusdem Ordinis religioso ex idiomate Hispano in Latinum traducta, Bruxellae, ex officina Huberti Anthonii, 1620, in-12°, pp. XVIII-114. Trad. franç. par un religieux du même Ordre; Paris, chez Anthoine Binart, 1620, in-16°, pp. 214. Flandrice versa a Pr. I. V. B. Cartusiano, Bruxellis Tot Brussel bij Govaerdt Schoevaerdts, 1644, in-12°, pp. X-230. Hoc opus deest in *Operum omnium* ed. 1684.

14) *De Contemplatione divina libri sex.* Antverpiae, ex officina Plantiniana apud Moretum, 1620, in-8°, pp. 541. In *Operum omnium* ed. 1684, t. II, pp. 80a-195b.

15) *Divinae orationis sive a Deo infusae methodus natura, et gradus. Libri quatuor,* Antverpiae ex officina Plantiniana apud Balthasarem Moretum et Viduam Ioannis Moreti, et Io. Meursium, 1623, in-8°, pp. XVIII-635-XLII. In *Operum omnium* ed. 1684, t. II, pp. 197-365b.

16) *Instructio spiritualis eorum, qui vitam Eremiticam profitentur.* Lovanii, Typis Henrici Hastenii, 1626, in-8°, pp. 136-X. *In Operum omnium* ed. 1684, t. II, pp. 62a-79b. Hispane: *Instruccion espiritual para los que profesan la vida heremitica,* Madrid, 1629.

17) *Liber De regularium visitatione.* Romae, typis Francisci Corbelletti, 1625, in-4°; Duaci, 1634, in-8°; Antverpiae, apud Ioannem Bellerum, 1635, in-8°; in *Operum omnium* ed. 1684, t. I, pp. 680a-748b.

18) Germanice: *Scala salutis.* Coloniae, 1650, in-12°. Deest in *Operum omnium* ed. 1684.

19) *Commentaria theologica in quaestiones 171, 172, 173, 174, 175 secundae secundae Divi Thomae Aquinatis; ubi de Raptu, Ecstasi, et Prophetia, hoc est, de visionibus, locutionibus, ac revelationibus divinis disseritur. Opus posthumum, antehac nunquam editum. Operum omnium* ed. 1684, t. II, pp. 366-453b.

20) *De contemplatione acquisita* (Opus ineditum) edidit et annotavit P. Eugenius a Sto Ioseph, Milano, tipografia S. Lega Eucaristica, 1922, in-8°, pp. 41-141. *Quod opusculum* P. Berthold-Ignace de Sainte Anne, C. D., gallice verterat sub titulo: *La meilleure part ou La Vie Contemplative,* Opuscule inédit. Bruxelles, Société belge de Librairie, 1886, in-12°, pp. 88. Versio non est integra; legitur enim in *Préface du Traducteur: « Nous le produisons avec certaines modifications dans le plan général, et après y avoir supprimé quelques longueurs et redites ».*

21) *Epistola ad Ioannem a S. Hieronymo: De regimine Praelatorum.* In *Operum omnium* ed. 1684, t. I, pp. 749a-751b.

22) *Quaestio: Utrum rex vel princeps aliquis catholicus possit permittere libertatem conscientiae in suo Regno? Operum omnium* ed. 1684, t. I, pp. 751a-753b.

B/ ADHUC NUNC TEMPORIS INEDITA MANENT.

23) Opusculum quod inscribere licet: *De instituendis eremis in Congregatione Hispaniae Fr. Discalceatorum B. V. Mariae de Monte Carmelo Primitivae Observantiae,* in collegio Hispalensi, ubi auctor S. Theologiam praelegebat, conscriptum (ideo ante an. 1591).
24) *Bibliotheca Carmelitana sive nobilium aliquot Carmelitanae Religionis scriptorum operumque catalogus.*
25) *Elogia Sanctorum ac Virorum illustrium Ordinis Carmelitarum.*
26) *Apologetica Defensio Ioannis Hierosolymitani Patriarchae XLIV adversus eiusdem impugnatores.*
27) *Tractatus pro canonizatione V. Ioannis Rusbrochii.*
28) *Methodus Exercitiorum anagogicorum super Dominicas, et Festa praecipua totius anni.*
29) *Tractatulus de praesentia Dei.*
30) *Tratatulus de scrupulis.*
31) *Tratatulus de arte Rhetorica pro Concionatoribus.*
32) *Censura in libellum vulgo Theologia Germanica, sive Libellus aureus nuncupatum.* Cuius nova editio iuxta Ms. Bibliothecae Regalis Belgii (Bruxellis) a R. P. Pascali a Ss. Sacram., C. D., praeparatur.

En tituli prout in laudato Ms. continentur:

Censura in libellum vulgo Theologia Germanica, sive Libellus aureus nuncupatum, in qua haereses, latentesque errores omnium oculis expositi refelluntur. (pp. 1-53).

Responsio Jacobi Janssonii, Doctoris Lovaniensis. (pp. 54-60).

Replica Ptris. Thomae a Jesu. Additiones ad Censuram. (pp. 60-67).

Epistola Patris Leonardi Lessii Soc. Jesu ad Patrem Thomam a Jesu Bruxellam pro censura Theologiae Germanicae. (pp. 68-70).

33) *Tractatus de tribus votis.*
34) *Thesaurus contra haereticos.*
35) *Historia de las fundaciones llevados a cabo en Francia, Flandes y Alemania,* Ms. asservatur in Archivo Domus Generalitiae Ord. Carmelitarum Excalceatorum, Romae.Auctor fundationes ab ipso factas enarrat, semper tamen tertia persona usus.

INDEX

LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE

quae in hoc primo tomo continentur et explicantur.

Numerus pinguior paginam designat, alius vero numerum marginalem.

EX VETERI TESTAMENTO

EX LIBRO GENESIS

Cap. I, v. 6: *Fiat firmamentum in medio aquarum et dividat aquas ab aquis.* . . . . . **10**, 37.
26: *Et praesit piscibus maris*, etc... . . . . **68**, 3.
III, 17: *Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo* . . . . . **100**, 9.
XXIV, 63: *Egressus fuerat ad meditandum in agro* . . . . . **6**, 21.

EX LIBRO EXODI

Cap. XXXII, v. 10: *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* **89**, 1.
XXXIII, 19: *Ego ostendam omne bonum tibi.* . . . . **131**, 49.
20: *Non enim videbit me homo, et vivet.* . . . **157**, 113.

EX LIBRO NUMERI

Cap. XII, v. 3: *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra* . . . . . **284**, 119.

EX LIBRO DEUTERONOMII

Cap. XXXIII, v. 3: *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius* . . . . . **174**, 146.

EX LIBRO PRIMO REGUM

Cap. XVII, v. 51: *Videntes autem Philisthiim, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.* . . **31**, 66.

EX LIBRO II ESDRAE

Cap. IV, v. 17: *Una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium* . . . . . 8, 30.

EX LIBRO TOBIAE

Cap. IV, v. 19: *Consilium semper a sapiente perquire.* . . . **271**, 82.

EX LIBRO IOB

Cap. II, v. 10: *Si bona suscepimus de manu Domini; mala autem quare non suscipiamus.* . . . **67**, 50.

XII, 7, 8 et 9: *Interroga iumenta, et docebunt te, et volatilia coeli, et indicabunt tibi: loquere terrae, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit?* . . . . . **166**, 135.

XXII, 14: *Nubes latibulum eius* . . . . . **20**, 6.

XXXI, 18: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio; et de utero matris meae egressa est mecum* . . . . . XXIII.

XXXVI, 25: *Omnes homines vident eum* . . . . . **166**, 135.

EX LIBRO PSALMORUM

Psalm. 2, v. 8: *Postula a me, et dabo tibi.* . . . . . **91**, 13.

6, 7: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* . . . . . **24**, 29.

17, 12: *Posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius* . . . . . **234**, 273.

18, 6: *In sole posuit tabernaculum suum.* . . . **234-235**, 273.

21, 7: *Opprobrium hominum, et abiectio plebis* . . . . . XX.

15: *Factum est cor meum tamquam cera liquescens* . . . . . **71**, 14.

24, 4: *Vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me* . . . . . **26**, 38.

9: *Diriget mansuetos in iudicio.* . . . . . **41**, 106.

33, 6 et 9: *Accedite ad eum, et illuminamini: et... Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus* **149**, 91; **151**, 95; **162**, 126; **164**, 131; **174**, . . 146; **225**, 257.

15: *Diverte a malo, et fac bonum, inquire pacem, et persequere eam* . . . . . **26**, 38.

48, 13: et 21: *Comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis* . . . . . **68**, 3.

49, 16-17: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero, odisti disciplinam, et proiecisti sermones meos retrorsum* . . . . . **1**, 1.

50, 5: *Et peccatum meum contra me est semper* . . . . . **24**, 29.

61, 11: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere.* . . . . . **169**, 139.

72, 25, 26 et 28: *Quid enim mihi est in Coelo, et a te quid volui super terram?... Deus cordis mei... Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam* . . . . . **53**, 165.

76, 20: *In mari via tua, et semitae tuae in aquis multis: et vestigia tua non cognoscentur* . . . . . **4**, 12.

102, 7: *Notas fecit vias suas Moysi.* . . . . . **26**, 38.

EX LIBRO PROVERBIORUM

Cap. II, v. 2: *Ut audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam* . . . . . **284**, 120.
VIII, 12: *Ego sapientia* . . . . . **281**, 104.
IX, 1-3: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem* . . . . . **219**, 246.
XX, 28: *Misericordia et veritas custodiunt Regem, et roboratur clementia thronus eius* . . . . . XXIII.
XXVII, 19: *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus* . . . . . **66**, 45.
XXXI, 18: *Gustavit, et vidit, quia bona est negotiatio eius* . . . . . **151**, 95.

EX LIBRO ECCLESIASTES

Cap. IV, v. 10: *Vae soli: quia cum ceciderit, non habet sublevantem se* . . . . . **271**, 83.
VIII, 5: *Qui custodit praeceptum, non experietur quidquam mali* . . . . . **16**, 61.

EX CANTICO CANTICORUM

Cap. I, v. 1: *Osculetur me osculo oris sui* . . **53**, 165; **54**, 167; **79**, 45.
12: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur* . . . . **53**, 165.
II, 3: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo* . . . . . **151**, 95.
4: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem* . . . . **112**, 12; **165**, 132.
16: *Dilectus meus mihi, et ego illi* . . . XXX; **53**, 165.
III, 3: *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem.* . . . . . **31**, 62; **271**, 82; **272**, 84.
V, 1: *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis... Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi.* . . . **151**, 96.
8: *Adiuro vos, filiae Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo* . . . . . **71**, 14; **73**, 21.
VIII, 1: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris, et deosculer te, et iam me nemo despiciat?* . . . . **6**, 20; **53**, 165; **236**, 274.

EX LIBRO SAPIENTIAE

Cap. I, v. 4: *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* . . . . . **161**, 122.

VII, 3: *Primam vocem emisi plorans* . . . . . XXV.
X, 10: *Deduxit me per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum* . . . . . **173**, 144.
XII, 1: *O quam bonus et suavis est Domine spiritus tuus in omnibus* . . . . . **151**, 95.
XIII, 5: *A magnitudine enim speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri* . . . . . **166**, 136.

EX LIBRO ECCLESIASTICI

Cap. VI, v. 6: *Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille* . . . . . **272**, 84.
23: *Sapientia enim... non est multis manifesta* . . . . . **159**, 116.
XXXII, 24: *Fili sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis* . . . . . **271**, 82.
XXXIV, 4: *A mendace quid verum dicetur* . . . . . **256**, 53.
XLV, 1: *Dilectus Deo, et hominibus Moyses.* . . . . **284**, 119.

EX LIBRO ISAIAE

Cap. XI, v. 5: *Erit iustitia cingulum lumborum eius.* . . . XXII.
XXVIII, v. 9: *Quem docebit scientiam et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus* . . . . . **102**, 21.
XL, 17: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo* . . . . . **240**, 9.
XLV, 15: *Vere tu es Deus absconditus* . . . . . **20**, 5.
L, 4: *Mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum* . . . . . **30**, 60; **246**, 26.
LIII, 3: *Despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem* . . . . . XX.
LV, 1: *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum properate, emite, et comedite. Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum, et lac* . . . . . **54**, 168.

EX LIBRO IEREMIAE PROPHETAE

Cap. XXXI, v. 34: *Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum.* . . . . . **267**, 77.

EX LIBRO BARUCH PROPHETAE

Cap. III, v. 31: *Non est qui possit scire vias eius, neque qui exquirat semitas eius* . . . . . **4, 12.**

EX LIBRO OSEE PROPHETAE

Cap. II, v. 14: *Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor eius* . . . . . **6, 20.**

EX LIBRO AMOS PROPHETAE

Cap. V, v. 23: *Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyrae tuae non audiam.* . . . **100**, 9.

EX NOVO TESTAMENTO

EX EVANGELIO D. MARCI

Cap. XIV, v. 36: *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me, sed non quod ego volo, sed quod tu* . . . . . XX.

EX EVANGELIO D. MATTHAEI

Cap. V, v. 14: *Vos estis lux mundi* . . . . . **240**, 9.
VI, 6: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora ad Patrem tuum, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* . . . . . **5, 19.**
10: *Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra* . . . . . **67**, 50; **95**, 34, **274**, 91.
13: *Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo* . . . . . **24**, 29.
VII, 15-16: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoscetis eos.* . **66**, 44; **279**, 102.
X, 34: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* . . . **170**, 139.
XI, 15: *Qui habet aures audiendi, audiat.* . . . . **100**, 9.
29: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris* . . . . . **281**, 103.
XVIII, 20: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* . . . . . **271**, 82.
XXIII, 5-7: *Dilatant phylacteria sua, et magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in coenis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.* . . . **238**, 5.
8 et 10: *Unus est enim Magister vester... Nec vocemini magistri: quia Magister vester unus est, Christus..* . . **30**, 60; **237**, 5; **238**, 6.
9: *Unus est enim Pater vester, qui in coelis est* . . . . . **238**, 7.
XXVI, 39: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* . . . . **78, 43.**
XXVII, 42: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere* . . . . . 246, 30.

EX EVANGELIO D. LUCAE

Cap. I, v. 29: *Turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio.* . . **61**, 25; **62**, 26.
IV, 34-35: *Sine, quid nobis, et tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei. Et increpavit illum Iesus* . . . . . 258, 62.
V, 4: *Laxate retia vestra in capturam.* . . . . 219, 247.
X, 16: *Qui vos spernit, me spernit.* . . . . . **36, 81.**
XVIII, 11: *Non sum sicut caeteri hominum.* . . . . **65, 36.**
XXIV, 26: *Haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* . . . . . **247**, 30.

EX EVANGELIO D. IOANNIS

Cap. I, v. 3 et 14 : *Omnia per ipsum facta sunt... Verbum caro factum est* . . . . **126**, 41; **236**, 274.
9 : *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* . **239-240**, 9; **257**, 58.
V, 39 : *Scrutamini Scripturas, quia... illae... testimonium perhibent de me* . . . . . **282**, 110.
VI, 38 et 39 : *Descendi de Coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me... Patris* . . . . . **101**, 15.
VIII, 12 : *Ego sum lux mundi* . . . . . **234**, 273.
44 : *Mendax est, et Pater eius* . . . . . **256**, 53.
X, 1 : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro.* . . . . . **118**, 26.
9 : *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet* . . . . . **117**, 22.
XIII, 13 : *Vos vocatis me Magister, et Domine: et bene dicitis, sum etenim.* . . . . . **237**, 1.
XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* . . **116**, 21; **123**, 39.

EX ACTIBUS APOSTOLORUM

Cap. IX, v. 6 : *Domine, quid me vis facere?* . . . . . **95**, 34.
XVII, 23 : *Inveni et aram, in qua scriptum erat : IGNOTO DEO* . . . . . **20**, 5.

EX EPISTOLA B. PAULI AD ROMANOS

Cap. I, v. 20 : *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur* . . . . . **166**, 136; **218**, 245.
II, 14 : *Cum enim Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex* . . . . . **247**, 31.
VIII, 25 : *Quod non videmus, speramus* . . . . . **50**, 153.

EX EPISTOLA PRIMA AD CORINTHIOS

Cap. II, v. 2 : *Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum* . . . . . **122**, 35.
4 : *Sermo meus, et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis* . . . . . **122-123**, 37.
6 : *Sapientiam autem loquimur inter perfectos* . . . . . **123**, 37.
III, 1-2 : *Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis* . . . . . **123**, 38.

6-7: *Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat Deus* . . . . . **240**, 9.
IV, 5: *Et tunc laus erit unicuique a Deo.* . . . . **37**, 89.
XII, 8: *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu, etc* . . . . . **220**, 247.
31: *Aemulamini autem charismata meliora.* . . . **65**, 36.
XIII, 8: *Charitas numquam excidit: sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur* . . . . . **211**, 220.
10-11: *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Cum essem parvulus loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli.* . **211**, 221; **212**, 222.

EX EPISTOLA SECUNDA AD CORINTHIOS

Cap. III, v. 17: *Ubi autem Spiritus Domini: ibi libertas* . . . . . **277**, 95; **279**, 101.
VI, 10-14: *Tamquam nihil habentes, et omnia possidentes... Quae societas luci ad tenebras?* . . . . . **169**, 139.

EX EPISTOLA AD GALATAS

Cap. II, v. 2: *Ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem* . . . . . **274**, 90.
II, 20: *Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus* . . . . . **72**, 16.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS

Cap. II, v. 14: *Ipse enim est pax nostra* . . . . . **26**, 38.
III, 8-9: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes* . . . . . **240**, 9.
10: *Ut innotescat Principatibus, et Potestatibus in coelestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei* . . . . . **253**, 46.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES

Cap. III, v. 12: *Induite vos, sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiae* . . . . . XXII.

EX EPISTOLA PRIMA AD THIMOTHEUM

Cap. I, v. 9: *Lex iusto non est posita* . . . . . **247**, 31.
VI, 16: *Lucem inhabitat inaccessibilem* . . . . . **234**. 273.

EX EPISTOLA SECUNDA AD TIMOTHEUM

Cap. I, v. 11: *Positus sum ego praedicator,... et magister* . . . . . **237**, 2.

EX EPISTOLA AD HEBRAEOS

Cap. I, v. 14: *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis* . . . . . **260**, 64.

VII, 26: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior Caelis factus* . . . . . XXIV.

XI, 1: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* . . . . . **50**, 153; **144**, 77; **214**, 228.

EX EPISTOLA B. IACOBI

Cap. I, v. 17: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* . . . . . **234**, 273.

III, 17: *Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est: deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione* . . . . . **61**, 21.

EX EPISTOLA PRIMA B. PETRI

Cap. V, v. 8: *Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret.* . . . . . **257**, 55.

EX EPISTOLA SECUNDA B. PETRI

Cap. II, v. 1: *Magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis et eum, qui emit eos, Dominum negant: superducentes sibi celerem perditionem* . . . . . XXIV.

EX EPISTOLA PRIMA B. IOANNIS APOSTOLI

Cap. II, v. 27: *Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio eius docet vos de omnibus* . . . . . **239**, 8.

III, 2: *Cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est* . . . . **129**, 48.

EX APOCALYSI B. IOANNIS APOSTOLI

Cap. I, v. 16: *Et de ore eius gladius utraque parte acutus exibat* . . . . . **170**, 139.

V, 5: *Vicit leo de tribu Iuda* . . . . . **78**, 44.

INDEX

RERUM NOTABILIUM

quae in hoc primo tomo continentur

Numerus pinguior paginam designat, alius vero numerum marginalem.

A

ABNEGATIO

Sui et creaturarum cohaeret cum dilectione sui et proximorum. . **170**, 139.
Propriae voluntatis obligat ad directorem quaerendum . . . **247**, 30; **275**, 92.

ABSTRACTIO

Activa a materia se tenet ex parte potentiae . . . . . **145-146**, 81.
Obiectiva ex parte obiecti se tenet . . . . . ib.
Per hanc redditur obiectum actu intelligibile . . . . . ib.
Eandem habent theologia scholastica et mystica acquisita . . . **192**, 188.

ACEDIA

Non raro in incipientibus invenitur. . . . . **38**, 92.
Eius remedium . . . . . ib.

ACTIO

Immanens non respicit suum principium ut obiectum . . . . **142**, 75.

ACTUS

Voluntatis nullam mutationem causant in corpore. . . . . **38**, 95.
Potentiarum omnium tam rationalis, quam sensitivae partis ex se tantummodo dicunt suam entitatem. . . . . **46**, 134.
Dicunt vero rectitudinem aut deformitatem quatenus procedunt a potentia aliquo habitu informata. . . . . ib.
Appetitus sensitivi passiones dicuntur. . . . . **46**, 135.
Intellectus vero et voluntatis operationes nominantur. . . . ib.
Diversi, tam intellectus, quam voluntatis proponuntur directoribus, ut sobrie suum ministerium impleant . . . . . **46-47**, 136-141.
Diversi, tam intellectus, quam voluntatis se invicem correspondentes in consecutione finis, practice proponuntur. . . . **48**, 142-145.
Contemplationis infusae non est infusus. . . . . **94**, 28.
Potentiae vitalis in esse entis sumptus respicit agens. . . . **140-141**, 70-72.
In esse tendentiae respicit obiectum . . . . . ib.
Qui propriissime theologia mystica est, supponit experimentum seu gustum de Deo **153-154**, 100
Contemplationis non attingens obiectum ex motione caritatis non est religiosa contemplatio . . . . . **154-155**, 101 et 105.

Unius potentiae terminatus ad actum alterius potentiae non est cognitio reflexa . . . . . **164**, 130.
Intensissimus consortium aliorum actuum non permittit . . . **170**, 139.
Infusus theologiae mysticae nequit provenire a scholastica. . . **197**, 199.
Supernaturalis nequit provenire a principio naturali . . . . ib.
Qui non provenit a principio infuso, infusus non est. . . . ib.
Infusus nequit praecontineri in habitu acquisito. . . . . ib.
Infusus nequit tribuere speciem habitui acquisito. . . . . **197-198**, 199.
Habitus acquisiti non habet unde sit infusus . . . . . **199**, 200.
Contemplationis inceptus in via continuaretur in patria, si separatio corporis et animae non praecederet . . . . **215**, 233.

ADAMUS

Non acquisivit novum habitum naturalem per experientiam habituum naturalium . . . . . **182**, 160.

ALIENATIO

Dialectica et mystica explicantur. . . . . **78**, 44.
Mysticae: *deliquium* videlicet, *extasis et raptus* causantur ab amore divino . . . . . **80**, 48-49.

AMOR

Appetitus sensitivi, sive *concupiscibilis*, est radix passionum omnium . . . . . **40**, 100.
Prima scilicet concupiscibilis passio, potest esse inordinatus ex parte obiecti et ex parte modi. . . . . **40**, 102-103.
Eius duplex remedium practicum. . . . . ib.
Unitivus diversam cognitionem experimentalem causat in incipientibus, proficientibus et perfectis . . . . . **22**, 20.
Divinus *summa amentia* dicitur; huiusque termini explicatio. . . **70**, 10.
Divinus habet decem gradus, quorum primus est *languere utiliter*, et explicatur . . . . . **72-73**, 20-22.
Eius secundus gradus est *quaerere incessanter*. Tertius est *operari indesinenter;* eorumque elucidatio. **73**, 23
Gradus quartus *sustinere infatigabiliter*. Quintus *appetere impatienter*. Sextus *currere velociter*, et explicantur. . . . **76**, 34-36.
Hi causant in anima morbum et medicamen. . . . . ib.
Divinus causat in anima ampliationem et restrictionem mysticas. . **76**, 35-36.
Divinus dicitur *fames, sitis et sagitta;* et quare. . . . . **77-78**, 38-41.
Divinus causat alienationem mysticam. . . . . **78**, 44.
Eius gradus septimus est *audere vehementer*. Octavus *stringere indissolubiliter;* qui eorumque effectus explicantur. . . . **79**, 45-46.
Divinus, cum ad duos immediate praeiactos gradus venit, causat mysticas alienationes seu sensationes: *deliquium* videlicet, *extasim et raptum* . . . . . **80**, 48-49.
Eius gradus nonus et *ardere suaviter*. . . . . 85, 74.
Gradus decimus est *assimilari totaliter*. . . . . **87**, 84.
In hoc celebratur matrimonium spirituale . . . . . ib.
Assimilatio totalis huius ultimi gradus est duplex. . . . . **87**, 84-85.
Dei est centrum animae . . . . . **111-112**, 12.
Viae erga Deum non visum est proprie amor : . . . . **213**, 224.

AMPLIATIO

Dialectica explicatur . . . . . **75**, 33.
Mystica elucidatur . . . . . **76**, 35-36.
Mystica aliter explicatur. . . . . **77**, 37.

ANGELUS

Potest exercere munus magistri dupliciter . . . . . **248**, 32.
Potest esse hominum magister . . . . . **248**, 33.
Solus non sufficit . . . . . **250-251**, 36-41.
Superior potest absolute illuminare angelum mediate inferiorem. . **252**, 43.
Non potest tamen attenta lege ordinis a Deo lata . . . . ib.
Potest illuminare hominem . . . . . ib.
Illuminat hominem confortando divinitus lumen naturale in intellectu humano . . . . . **253**, 45.
Cognovit multa mysteria media apostolorum praedicatione; et quomodo . . . . . **253-255**, 46-47.
Unus non exsequitur omnia . . . . . **255-256**, 50.
Bonus vexat animam ad bonum . . . . . **262-263**, 68.
Malus ad malum. (cf. verbo *Daemon*) . . . . . ib.
Non cognoscit arcana corris . . . . . **270**, 81.

ANIMA

Inhians perfectioni, triplici osculo ad suum dilectum accedit. . . 53, 166.
Debet valde modeste se gerere in receptione cuiuscumque favoris, sive a bono, sive a malo spiritu proveniat. . . . . **64**, 34.
Unitur Deo realiter et affective media gratia et caritate. . . . **86**, 79.
Eius centrum est amor Dei . . . . . **111-112**, 12.
Concutitur duplici contritione in hac vita . . . . . **112**, 12.
Non unita Deo non potest exercere theologiam mysticam. . . **135**, 52.
Tradita sublimissimae contemplationi debet non attendere ad obiectum secundarium . . . . . **165**, 132; **170**, 139.
Disponitur lumine directoris ut a Deo illuminetur . . . . **242**, 13.
Non potest habere daemonem ut directorem in exercitio mysticae theologiae . . . . . **256-257**, 53-55.
Nec in speculatione eius vel alterius facultatis . . . . . **257**, 56-59.
Non potest loqui cum angelo, si ignoratur an bonus vel malus sit . . . . . **258-260**, 60.
Vexatur ab angelo bono ad bonum . . . . . **262-263**, 68.
A malo ad malum . . . . . ib.

APPETITUS

Sensitivus dividitur in concupiscibilem et irascibilem. . . . 38, 93.
Concupiscibilis distinguitur realiter et specifice ab irascibili. . ib.
Irascibilis praestantior est concupiscibili . . . . . ib.
Est subiectum virtutis moralis . . . . . **51**, 158.

APPREHENSIO

Obiecti est mera conditio . . . . . **213**, 226.

ARCANUM

Cordis non cognoscitur ab angelo . . . . . **270**, 81.

ARGUMENTUM

Desumptum ab etymologia latina sapientiae non est inefficax ad probandum saporem theologiae mysticae . . . . . **158-159**, 115-117.

ARS

Dialectica invéniendi medium dicitur *pons asinorum* ob suam magnam difficultatem . . . . . **99**, 1.
Mystica est purgatio ipsius animae. . . . . **99**, 2.

ARTICULUS FIDEI

Habet idem obiectum *quod* et rationem *quae* ac fides et theologia mystica . . . . . **137**, 57.
Sufficit unus ad plura credibilia quae novam difficultatem non addunt . . . . . **144-145**, 78.

ATRIUM

Vitae spiritualis est via purgativa. . . . . **31**, 64.

ATTINGENTIA

Multiplex quam theologia mystica et scholastica habent circa principia et conclusiones, explicatur . . . . . **194-195**, 193.

ATTRIBUTUM

Divinum non est proprium obiectum primarium theologiae mysticae . . . . . **135**, 53.
Nec proprie obiectum secundarium . . . . . ib.

AVARITIA

Definitur . . . . . **36**, 83.
Maculat incipientes . . . . . ib.

B

BEATITUDO

Sumpta ut intuitio terminatur ad Deum sub ratione Deitatis . **131-132**, 49.
Sumpta ut beatitudo respicit Deum ut summum bonum . . . ib.
Ei non opponitur exercitium theologiae mysticae . . . . **209**, 217.

BEATUS

Nullus meditatur . . . . . **118-120**, 27-29.
Contemplatur divinitatem sine medio . . . . . **120-121**, 30-31.
Non curat de hoc universo . . . . . **267**, 77.

BONA

Petenda a Deo sunt in multiplici differentia. . . . . **91**, 11.
Supernaturalia absolute petenda sunt . . . . . **91**, 12-13.
Naturalia, prout conducunt ad supernaturalia, absolute petenda sunt . . . . . **91**, 14.
Considerata secundum se, conditionate postulanda sunt . . . ib.

C

CARITAS

Definitur **51**, 156
Nunquam dari potest sine virtutibus infusis. . . . . **51**, 159.
Requiritur ut virtutes acquisitae in statu perfecto sint. . . . ib.
Excitat ad contemplationem . . . . . **153-154**, 99-100.
Movet ut contemplatio terminetur ad Deum ut amabilem . . . ib.
Movet ut contemplatio religiosa sit . . . . . **154-155**, 101 et 105.
Manet in patria quoad speciem et modum . . . . . **212**, 222-223.
Viae est amissibilis . . . . . **213**, 225-226.

CARMELITA

Debet prae omnibus inhiare mysticae unioni . . . . . **56**, 168-169.
Convincitur ad eam aggrediendam. . . . . ib.
Non potest pervenire ad perfectionem sine ductu directoris. . . **272-273**, 87-88.

CASUS

Referuntur in quibus apparuit daemon ut director . . . . **263-266**, 70-73.
In nullo eorum fuit missus a Deo . . . . . ib.
Alius affertur in quo Deus dispensavit ut veniret ad dicendum verum . . . . . ib.
In hoc tamen daemoni creditum non fuit . . . . . ib.

CAUSA

Materialis purgationis passivae partis inferioris explicatur. . . **102**, 18.
Formalis declaratur . . . . . **102**, 19-20.
Finalis elucidatur . . . . . **102**, 21.
Efficiens principalis affertur. . . . . **102**, 22.
Duplex instrumentalis proponitur . . . . . **102-103**, 23-25.
Materialis purgationis passivae partis superioris explicatur. . . **103**, 28.
Formalis declaratur . . . . . ib.
Finalis elucidatur . . . . . ib.
Efficiens explanatur . . . . . **103**, 26-27.
Inferior subordinata superiori non potest elicere perfectissimum actum ipsius superioris . . . . . **227-228**, 263.
Potest elicere imperfectum per aliquid in ipsa a causa superiori impressum . . . . . ib.

CENTRUM

Animae est amor Dei . . . . . **111-112**, 12.
Corporis habet qualitatem conservativam illius . . . . . **110-111**, 11.

CERTITUDO

Habetur actu a scientia perfecta . . . . . **181**, 158.

CHRISTUS

Non est obiectum *quod* formale theologiae mysticae . . . . **116-122**, 21-34.
Est via secundum humanitatem et terminus secundum divinitatem. . **123-124**, 39.
Vide plura alia verbo *Humanitas*.
Non acquisivit novum habitum naturalem per experientiam habituum naturalium . . . . . **182-183**, 160.

CLARITAS

Tribuit perfectionem certitudini scientiae quoad nos et quoad se. . **225-226**, 258-259.

COGNITIO

Experimentalis diversa est in incipientibus, proficientibus et perfectis . . . . . **22**, 20.
Quae habetur de Deo in caliginosa contemplatione nullam perfectionem positivam intuetur . . . . . **121**, 33.
Nec terminari potest ad humanitatem Christi . . . . . **121**, 32-33.
Reflexa est duplex . . . . . **164**, 129-130.
Quae reflectit super actum voluntatis degustantem non est mystica theologia; et quare . . . . . **163-165**, 129-132.
Mystica non est, nec in se, nec in suo fundamento reflexiva. . . **165**, 133.
Naturalis confusa est imperfectior distincta. . . . . **223**, 251.
Mystica confusa est perfectior distincta . . . . . ib.

COMPLEXUS

Amoris unitivi diversimode causant experimentalem cognitionem in incipientibus, proficientibus et perfectis. . . . **22**, 20.

CONFESSIO GENERALIS

Debet fieri in ingressu viae spiritus. . . . . **29**, 54-55.
Omitti debet a scrupulosis . . . . . **29**, 56.
Est prima columna, super quam via purgativa primo consurgit. . **31**, 64.

CONNATURALITAS

Theologiae mysticae facit illam certiorem quoad nos scientiis naturalibus; et quare . . . . . **232**, 269.

CONSIDERATIO

Multiplex quae circa principia et conclusiones datur inter theologiam mysticam et scholasticam, explicatur. . . . . **194-195**, 193.

CONSULTATIO

Non requiritur necessario ad eligendum directorem . . . . **274-275**, 92.

CONTEMPLATIO

In communi definitur . . . . . **92**, 20.
Multipliciter dividitur . . . . . **92-93**, 20-26.
Est propria proficientium . . . . . **52**, 163.
Exigit omnes virtutes tam theologales, quam morales in subiecto. . ib.
Acquisita et infusa habent tres conditiones, in quibus conveniunt. . **94**, 31-32.
Diverso tamen modo, in quo differunt . . . . . ib.
Infusa definitur definitionisque bonitas ostenditur. . . . . **94**, 27.
Huius actus non est infusus . . . . . **94**, 28.
Quae resultat ex fruitione Dei est propriissime theologia mystica . . . . . **108**, 3.
Plura dicit seu includit . . . . . **108**, 4.
In beatitudine erit sine medio . . . . . **120-121**, 30-31.
Caliginosa nullam perfectionem positivam Dei intuetur . . . **121**, 33.

Caliginosa non potest terminari ad humanitatem sanctissimam Christi **121**, 32-33
Respicit subiectum, principium et obiectum diversimode. . . . **141-142**, 73-74.
Est actio immanens . . . . . **142-143**, 75.
Non tamen respicit suum principium ut obiectum . . . . ib.
Attingit se suumque principium ut obiectum secundarium . . . ib.
Habet ex caritatis motione quod in Deum ut amabilem terminetur . **153-154**, 99-100.
Quae non attingit obiectum ex motione caritatis, religiosa non est . . . . . **154-155**, 101 et 105.
Religiosa quantumvis minimae perfectionis sauvitatem percipit. . **154-155**, 102 et 106.
Imperfecta viae non est sine sapore . . . . . **155-156**, 107-108.
Patriae percipit perfectissimam suavitatem . . . . . **156**, 109.
Viae et patriae habent eandem rationem formalem *sub qua* . . **155-157**, 107-112.
Habet dulcedinem ab excellentia rei contemplatae . . . **154-155**, 104; **157-158**, 114.
Quae propriissima est solum elicitur a dono sapientiae . . . **158-159**, 115-118.
Quae non elicitur a dono sapientiae non est mystica theologia propriissime talis . . . . . ib.
Purgatrix non est a dono sapientiae; et quomodo; et quare . . **159-161**, 119-121.
Purgatrix respicit Deum sub ratione degustati; et quomodo; et quare . . . . . **161**, 122.
Causat tenebras offusissimas in subiecto non purgato . . . . ib.
Quae reflectit supra actum voluntatis degustantem non est mystica theologia; et quare . . . . . **163-165**, 129-132.
Non impeditur a creatura; et quomodo . . . . . **169-170**, 138-139.
Quae est per ascensum attingit obiectum secundarium prius quam primarium . . . . . **169-170**, 139.
Quae est per descensum e contrario . . . . . ib.
Quae nunc est, non daretur, si Deus de se nihil revelasset . . . **171**, 141.
Libera et necessaria non potest provenire simul ab eodem habitu. . **213-214**, 227-228.
Incepta in via continuaretur in patria, si separatio corporis et animae non praecederet . . . . . **215**, 233.
Perfectissima non potest elici a theologia scholastica subordinata dono sapientiae . . . . . **227-228**, 263.
Acquisita vero seu imperfecta potest elici . . . . . ib.

CONTEMPLATIVUS

Non intuetur perfectionem aliquam positivam in contemplatione caliginosa Dei . . . . . **121**, 33.
Debet non amandare a memoria ex proposito sanctissimam Christi humanitatem . . . . . **124-125**, 40.
Habens theologiam mysticam appetit videre Deum . . . . **214**, 229.
Vide plura alia verbo *Contemplatio* et verbo *Mysta.*

CONTRITIO

Duplex qua anima in hac vita concutitur, explicatur . . . . **111-112**, 12.

CORPUS

Potest illuminari quocumque lumine corporali . . . . . 242, 13.

CREATURA

Habet pulchritudinem a Deo derivatam, quam theologia mystica contemplatur . . . . . **125-126**, 41.
Est obiectum secundarium eius . . . . . **166-168**, 134-137.
Non impedit contemplationem Dei; et quomodo . . . . . **169-170**, 138-139.
Non potest attingi a theologia mystica sine habitudine ad Deum. . **170-171**, 140.

CURA

Huius universi non attinet ad beatum, attinet ad angelos . . . **267**, 77.

D

DAEMON

Potest raptus falsos fingere . . . . . **84**, 68.
Non potest esse director animae in exercitio mysticae theologiae. . **256-257**, 53-55.
Nec in speculatione mysticae vel alterius facultatis . . . . **257**, 56-59.
Audiendus non est, quamvis vera loquatur . . . . . **257-260**, 60-63.
Mentitur fere semper . . . . . ib.
Loquitur vera ut decipiat . . . . . ib.
Loquitur aliquando ex propriis, aliquando ex propria natura; et explicatur . . . . . ib.
Audiendus tamen non est . . . . . ib.
Apparuit ut director multis in casibus . . . . . **263-266**, 70-73.
Potuit mitti a Deo utente suo altissimo dominio . . . . . ib.
Firmans iuramento se mitti a Deo credendus non est . . . . **264-265**, 73.
Credendus tamen si signo Sacrae Scripturae vel simili firmet. . ib.
Docuit verum quadam occasione . . . . . **263-264**, 71.
Eius dicta occasionem tantum ad veritatem explicandam dederunt . . . . . ib.; **265-266**, 73.

DEFINITIO

Modi sciendi dialectici appropriatur theologiae mysticae . . . **19-20**, 4-5.
Theologiae mysticae diversimode ab aliquibus circumfertur . **21**, 11-13.
Theologiae mysticae unica debet esse et quare . . . . . **21**, 14-18.
Multiplex a pluribus doctoribus ad theologiam mysticam definiendam adinventa traditur . . . . . **22**, 19.
Proprior proponitur et explicatur . . . . . **22**, 21-24.
Viae purgativae traditur et explicatur . . . . . **27**, 43-44.
Superbiae affertur . . . . . **33**, 73.
Avaritiae proponitur . . . . . **36**, 83.
Viae illuminativae traditur et explanatur . . . . . **44**, 123-125.
Virtutis ut ambit tam acquisitas, quam infusas, affertur et elucidatur . . . . . **49**, 147-149.
Fidei proponitur et explicatur . . . . . **50**, 153.
Spei affertur . . . . . **51**, 155.
Caritatis traditur . . . . . **51**, 156.
Viae unitivae proponitur et elucidatur . . . . . **53**, 165.
Termini dialectici affertur et declaratur. . . . . **68**, 1.
Suppositionis dialecticae traditur . . . . . **72**, 19.
Adaptaturque mysticae suppositioni . . . . . ib.
Languoris affertur et explicatur . . . . . **74**, 24-26.
Extasis proponitur et elucidatur . . . . . **81**, 57.
Raptus affertur et declaratur . . . . . **82**, 62.
Orationis dialecticae traditur . . . . . **89**, 1.
Appropriaturque mysticae orationi . . . . . ib.
Orationis mysticae impropriae proponitur . . . . . **89**, 2.
Lectionis affertur . . . . . **90**, 5.
Gratitudinis seu gratiarum actionis traditur et explicatur. . . **90**, 8.
Petitionis seu orationis proprie et metaphysice sumptae ostenditur . . . . . **92**, 15.
Contemplationis in communi proponitur . . . . . **92**, 20.
Contemplationis infusae affertur . . . . . **94**, 27.
Huius bonitas ostenditur . . . . . ib.
Theologiae mysticae infusae est recta . . . . . **199-200**, 202.

DEFINITUM

Potest comprehendi in definitione ex intentione definientis et ex intentione definitionis; et explicatur . . . . . **204-205**, 211.

DEITAS

Participata est obiectum secundarium theologiae mysticae . . . **114-115**, 19.
Sumpta absolute est ratio formalis *quae* . . . . . **129-132**, 47-49.
Est idem ac veritas Dei in essendo . . . . . **135-136**, 54.
Dicit ordinem ad intellectum . . . . . **136**, 56.
Vide alia verbo *Deus*.

DELECTATIO

Adest in omni contemplatione religiosa quantumvis minimae perfectionis . . . . . **153-154**, 102 et 106.
Perfectissima est in contemplatione patriae. . . . . **156**, 109.
Quae a theologia mystica percipitur in attingentia sui obiecti, est dupliciter; et quomodo . . . . . **193**, 190.

DELIQUIUM

Eius causae assignantur **80**, 48-50
Est quoad substantiam idem cum extasi et raptu. . . . . **80**, 44-49.
Est diversum ab eis quoad accidentia consideratum. . . . ib.
Est et perfectum et imperfectum; et explicatur . . . . . **80**, 51-52.
Supernaturalia, naturalia et praeternaturalia, eorum causae, effectus et remedia proponuntur . . . . . **80-81**,53-56.
In subiecto imperfecto causatur a lumine causante extasim in subiecto perfecto . . . . . **81**, 58.
Causat passionem in externis sensibus et quare . . . . . **82**, 59.

DESPONSATIO MYSTICA

Celebratur dum anima pervenit ad gradum nonum divini amoris. **85**, 74.
Explicatur . . . . . **85-87**, 75-81.
Est triplex et explanatur . . . . . **86**, 76-77.
Fit per illapsum . . . . . 86, 80.
Differt tripliciter a mystico matrimonio . . . . . **86-87**, 81-83.
Hoc triplex discrimen aperitur . . . . . ib.

DEUS

Est superignotum obiectum theologiae mysticae. . . . . **20**, 8.
Est Director praecipuus in via spiritus. . . . . **30**, 60.
Unitur multipliciter creaturae tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis . . . . . **55-57**, 175-180.
Desponsatur animae tripliciter . . . . . 86, 76-77.
Est obiectum attributionis theologiae mysticae . . . . . **114**, 17.
Solus est obiectum *quod* illius . . . . . **127-129**, 42-46.
Sub ratione Deitatis terminat beatitudinem ut intuitio est. . . **131-132**, 49.
Ut summum bonum terminat eam ut beatitudo . . . . . ib.
Importat rationem formalem *sub qua* theologiae mysticae *ut amabilis et fruibilis* . . . . . **149-153**, 91-98.
Respicitur a contemplatione purgatrice sub ratione degustati; et quomodo; et quare . . . . . **161**, 122.
Est praecipuus director animarum . . . . . **237**, 1.
Solus non est animarum director . . . . . **237**, 2-4.

Est simpliciter Magister omnium . . . . . **238-239**, 6-7.
Solus potest operari in voluntate . . . . . **240-241**, 10.
Solus operatur immediate in anima . . . . . ib.
Potest assumere ministrum diaboli ut medium quo veritatem ostendat . . . . . **258-260**, 62; **263-266**, 71-73.
Non potest mittere diabolum ipsum ad directionem hominum attento angelorum ordine . . . . . **260**, 64.
Est director principalis . . . . . **279-280**, 102.
Odit directorem docentem verbo et non opere . . . . . **284**, 117.

DEVOTIO

Causatur a meditatione in incipientibus. . . . . **42**, 113.

DIABOLUS

Non potest mitti a Deo ad directionem hominum . . . . **256-266**, 51-73.
Vide alia verbo *Daemon*.

DIMINUTIO

Dialectica et remotio etiam dialectica explicantur. . . . . 84, 73.
Comparatur cum sponsalitio et matrimonio mysticis. . . . **84**, 73; **88**, 87.

DIRECTOR

Debet cognoscere inclinationes discipuli . . . . . **29**, 56-57.
Sit unus e multis . . . . . **30**, 58.
Exigitur necessario ad viam spiritus peragrandam . . . . **30-31**, 59-63.
Praecipuus est Deus . . . . . **30**, 60.
Debet necessario explorare tria signa in discipulis antequam e meditatione in contemplationem ingrediantur; et quae. . . **42-43**, 115-119.
Debet cognoscere vires animae ad recte instruendum discipulum in acquisitione virtutum . . . . . **44**, 126.
Debet vigilare omni sollicitudine in discernendo virtutes veras a vitiis. . . . . **48**, 146.
Iudicat prudenter discipulum esse constitutum in statu proficientium, dum videt discipulum elicere prompte actus virtutum. . **52**, 162
Notet signa diversa, quae proponuntur, ut recte agnoscat, rectoque tramite gregem suum dirigat . . . . . **58-59**, 6-13.
Mandet memoriae signa plura provenientia ab anima, ut eam recte manuducat; et proponuntur . . . . . **59-60**, 14-18.
Debet esse modestus . . . . . **63**, 31.
Collocet omne studium in assistendo discipulo residenti in purgationibus . . . . . **103**, 29.
Praecipuus est Deus . . . . . **237**, 1.
Non tamen solus . . . . . **237**, 2-4.
Otiosus censura est dignus . . . . . **237-239**, 5-7.
Attendat ad discipuli statum . . . . . **275-277**, 94.
Debet esse unus et plures; et explicatur . . . . . ib.
Debet praecipere aliquando discipulo ut cum aliis directoribus consulat . . . . . ib.
Principalis est Deus . . . . . **279-280**, 102.
Instrumentalis homo . . . . . ib.
Debet discere a Christo . . . . . **281**, 103-104.
Debet habere sapientiam speculativam et experimentalem . . . **281**, 105.
Debet esse bono intellectu praeditus . . . . . **244**, 20; **281-282**, 105-106.
Ornet sapientia idoneitatem . . . . . **282**, 107.

Habeat istam . . . . . ib.
Inscius non potest dirigere discipulum. . . . . ib.
Debet esse sapiens omni sapientia . . . . . **282**, 109.
Debet scire Sacrum Scripturam . . . . . **282-283**, 110.
Theologiam scholasticam et moralem . . . . . **283**, 111.
Philosophiam . . . . . **283**, 112.
Consideret attente diversas vias, quibus in caelum itur . . . . **283**, 113.
Expertus in dirigendo alios utilissimus est . . . . . **283**, 114.
Debet esse expertus in oratione . . . . . **283**, 115.
Inexpertus in ea non perficiet discipulum . . . . . **283-284**, 116-117.
Debet esse mitis . . . . . **284**, 118.
Mansuetus placet Deo et hominibus . . . . . **284**, 119.
Non expavescat propter defectus discipuli . . . . . ib.
Debet esse humilis. . . . . **284-285**, 120-122.

DISCIPULUS

Patiens purgationem passivam spiritus et sensus, sequatur in omnibus ductum directoris . . . . . **103**, 29.
Debet discere a Christo . . . . . **281**, 103.
Non potest dirigi a directore inscio . . . . . **282**, 108.
Nec perfici in via spiritus, si director sit inexpertus in oratione. . **283-284**, 116-117.
Nec esse humilis, si director humilis non est . . . . . **285**, 121.

DISCRETIO SPIRITUUM

Est gratia specialissima ad hypocrisim cognoscendam. . . . **66**, 43.

DISCURSUS

Aliqui theologici possunt efformari ab omni fideli . . . . . **190**, 182.

DIVERSITAS

Datur inter illuminationes angeli et hominis . . . . . **267-269**, 78.

DIVINITAS

Contemplatur a beato sine medio . . . . . **120-121**, 30-31.
Christi est terminus ad quem contemplativus ex humanitate sanctissima tendit . . . . . **123-124**, 39.
Vide alia verbo *Deitas.*

DIVISIO

Modi sciendi mystici traditur . . . . . 23, 25-26.
Explicatur amplius . . . . . 23-24, 27-28.
Modi sciendi mystici in viam purgativam, illuminativam et unitivam est recta . . . . . 26, 39.
Haec non est entitative diversa, sed eadem secundum diversos status; et quomodo . . . . . 26, 39-41.
Virtutis moralis quoad statum in polyticam, purgatoriam et purgati animi traditur et explicatur . . . . . 49-50, 150-151.
Dividitur virtus intellectualis . . . . . 51, 157.
Dividitur signum mysticum in materiale et formale . . . . 57, 2-3.
Subdividitur formale . . . . . 58, 4-5.
Dividitur terminus mysticus . . . . . 68, 4.

Dividitur in communem et singularem . . . . . **69**, 5-7.
In imperfectum et superperfectum . . . . . ib.
In dissimilem et contrarium . . . . . **70**, 9-11.
Dividitur oratio multipliciter . . . . . **92**, 17-19.
Dividitur contemplatio multipliciter . . . . . **93**, 21-26.
Dividitur oratio supernaturalis multipliciter . . . . . **95-96**, 33-40.
Divisio purgationis mysticae proponitur . . . . . **99**, 4.

DOCTOR

Humanus non causat veritatem, sed cognitionem veritatis quam docet . . . . . **240-241**, 10.
Operatur mediate in anima . . . . . ib.
Vide alia verbo *Director* et verbo *Magister*.

DOCTRINA

Sacra comprehendit theologiam mysticam acquisitam et theologiam scholasticam . . . . . **192**, 187.
Angelica est media inter doctrinam Dei et hominis doctrinam. . **251-252**, 43.
Humana est per modum locutionis . . . . . **267-269**, 78.

DONUM SAPIENTIAE

Est principium et terminus contemplationis sub diversa ratione. . **142-143**, 75.
Non elicit contemplationem purgatricem; et quomodo; et quare. . **159-161**, 119-121.

DOTES

Animae gloriosae sunt entitative naturales; et quare. . . . **162-163**, 127.

DULCEDO

Quae percipitur in contemplatione, provenit ab excellentia rei contemplatae . . . . . **154-155**, 104; **157-158**, 114.

E

ECCLESIA

Non potest requirere et inquirere circa doctrinam traditam ab angelo . . . . . **250-251**, 38-39.
Habet virtutem expulsivam et compulsivam contra daemones . . **264**, 72; **266**, 73.

ENS

Revelabile abstrahens a creato et increato non est obiectum *quod* primarium mysticae theologiae . . . . . **109-113**, 7-15.
Creatum nullatenus est propter se attingibile a mystica theologia . . . . . **110**, 9-10.
Est tamen a metaphysica . . . . . ib.
Divinum revelabile est obiectum extensivum theologiae mysticae . . . . . **113-114**, 16.
Creatum ut creatum attingitur a theologia mystica . . . . **115-116**, 20.
Est obiectum *quod* potentiae intellectivae tam in via, quam in patria . . . . . **117-118**, 24-25.

ETYMOLOGIA

Sapida scientia non est propria doni sapientiae . . . . **158**, 114.

EVIDENTIA

Multiplex explicatur . . . . . **179-181**, 155-157.
Importatur actu a scientia perfecta . . . . . **181**, 158.

EXAMEN

Conscientiae aliaque munia ad illud exspectantia non exigunt necessario directorem . . . . . **244-245**,23.
Nec est arduum . . . . . ib.

EXCELLENTIA

Virtutis heroicae supra virtutem communiter dictam non est absoluta . . . . . **206-207**, 213-214.

EXCESSUS

Virtutis heroicae supra virtutem communiter dictam est solum materialis; et quare . . . . . ib.
Theologiae mysticae infusae supra acquisitam est formalis. . . **206-207**, 214.

EXERCITIUM

Theologiae mysticae arduitatem ingentem secum affert . . . **20**, 10.
Aliarum scientiarum est dulce et familiare . . . . . ib.
Traditur quod ad incipientes attinet . . . . . **23**, 27.
Theologiae mysticae acquisitae non requirit habitum specialem. . **163**, 128.
Infusae vero requirit illum . . . . . **161-163**, 124-127.
Theologiae mysticae praerequirit in subiecto theologiam scholasticam . . . . . **189-190**, 180-182.
Theologiae mysticae non implicat cum beatitudine . . . . **208-211**, 216-219.
Theologiae mysticae est arduum . . . . . **245**, 23.

EXPERIENTIA

EXPERIMENTUM

De Deo praesupponitur ad actum, qui propriissime theologia mystica est . . . . . **153-154**, 100.
Quod sequitur ad unionem animae cum Deo non est naturale. . **161-162**, 123 et 126.
Habituum naturalium non est sufficiens ad alium novum habitum generandum seu acquirendum . . . . . **182-183**, 160.
Directoris in dirigendo alios est utilissimum . . . . . **283**, 114.
Non tamen necessarium . . . . . ib.
Si vero experimentum in oratione . . . . . **283**, 115.

EXPLICATIO

Multiplex scientiae affertur . . . . . **179-181**, 155-157.
Itidem est evidentiae . . . . . ib.

EXTASIS

Definitur eiusque definitio declaratur . . . . . **81**, 57.
Est quoad substantiam idem cum deliquio et raptu . . . . **80**, 48-49.
Quoad accidentia ab eis discriminatur . . . . . ib.

Causatur in subiecto perfecto ab eodem lumine, a quo in imperfecto subiecto deliquium . . . . . **81**, 58.
Non causat passionem in sensibus externis; et quare. . . . **82**, 59.
Evenit secundum vim apprehensivam et appetitivam; et quomodo. . **82**, 60.
Discriminatur a raptu . . . . . **83**, 63-66.

F

FACILITAS

Potest haberi circa mystica et non circa scholastica. **189**, 179; **191-193**, 186-189.

FAVOR

Sive a bono, sive a malo spiritu proveniat est signum spiritus superioris . . . . . **60-61**, 19-21.
Utriusque discrimen . . . . . ib.
Qui descendunt a spiritu superiori ad quatuor reducuntur classes. . **60**, 20.
Descendentes a divina Sapientia habent diversa signa; et quae. . **61-66**, 22-42.
Relinquens in anima veram humilitatem et confusionem provenit a bono spiritu . . . . . **61**, 23.
Et relinquens animam pacificam . . . . . **61**, 24.
Et relinquens modestiam . . . . . **63**, 30.
Et relinquens in recipiente modestiam tam in verbis quam in factis . . . . . **63**, 31-32.
Et inclinans ad obtemperandum directori . . . . . **64-65**, 36-37.
Et suadens aemulationem virtutum . . . . . ib.
Et abundans fructibus bonis tam ex parte sui, quam ex parte recipientis . . . . . **65**, 38-39.
Et suadens proprios profectus et defectus . . . . . **65**, 41.
Omnes alii saepe falsi sunt; quandoque vero et in paucis veri sunt . . . . . **63**, 33.
Quod fiant subiecto pleno fructibus bonis, non signat tales favores esse a bono spiritu; nec e contra. . . . . **65**, 40.
Relinquens hypocrisim in recipiente non est a bono spiritu. . . **65**, 40.

FIDELIS

Omnis habet sufficientem theologiam scholasticam necessariam ad mysticam exercendam . . . . . **189-190**, 178 et 180.
Omnis potest efformare aliquos discursus theologicos . . . . **190**, 182.

FIDES

Definitur eiusque definitio explicatur . . . . . **50**, 153.
Non est virtus intellectualis . . . . . **50**, 154.
Docet quod theologia mystica degustat . . . . . **135**, 52.
Habet idem obiectum *quod* et rationem *quae* ac theologia mystica . . . . . **135**, 53.
Eius ratio formalis est veritas prima loquens . . . . . **145**, 80.
Non autem revelatio divina prout se tenet ex parte potentiae. . **146-147**, 84.
Concurrit concomitanter et non formaliter ad elicientiam theologiae mysticae . . . . . **172-173**, 143; **177-179**, 154; **215**, 232.
Habet obscuritatem a se . . . . . **215**, 232.
Infallibilitatem vero participative . . . . . ib.
Requiritur diverso modo ad theologiam mysticam et scholasticam . . . . . **226-227**, 262.
In sensu quo dicitur gigni a theologia scholastica, perfectius gignitur a mystica . . . . . **228-230**, 264.

G

GAUDIUM

Pacificum, quo substantiae separatae Deo unitae fruuntur, appellatur *immanis quies* . . . . . **70**, 11.
Huius termini explicatio . . . . . ib.

GRATIA

Divina ultimo format humanam mentem . . . . . **241**, 12.

GRATITUDO
seu
GRATIARUM ACTIO

Definitur . . . . . **90**, 8.
Fit verbo et opere . . . . . **91**, 9.
Exhibita pro uno beneficio est medium ad aliud consequendum. . **91**, 10.

GULA

Spiritualis valde torquet incipientes . . . . . **37**, 90.

GUSTUS

Rerum spiritualium prius est quam earum visio seu intellectio. . **149-150**, 92.
Adest in omni contemplatione religiosa quantumvis minimae perfectionis . . . . . **153-154**, 102 et 106.
Adest in contemplatione imperfecta viae . . . . . **155-156**, 107-108.
Perfectissimus est in contemplatione patriae . . . . . **156**, 109.
Qui percipitur a viatore in exercitio theologiae mysticae assimilatur *flori* . . . . . **157**, 113.
Qui sequitur ad unionem animae cum Deo, non est naturalis. . **161-162**, 123 et 126.
Qui resultat ab unione animae cum Deo, necessario provenit ab ente supernaturali . . . . . **162-163**, 127.

H

HABITUS

Specialis non requiritur ad exercitium theologiae mysticae acquisitae . . . . . **163**, 128.
Theologiae mysticae acquisitae est idem cum theologia scholastica . . . . . **185-188**, 168-177.
Diversus vero habitus theologiae mysticae infusae . . . . **196-204**, 196-209.
Acquisitus nequit speciem sumere ab actu infuso . . . . **197-198**, 199.
Infusus habet unde valeat esse acquisitus . . . . . **198-199**, 200.
Duplex theologiae datur . . . . . **204-206**, 210-212.
Procedens supra omnem humanam industriam potest cognosci solummodo a fideli . . . . . **207-208**, 215.
Procedens ex speciali instinctu Spiritus Sancti est perfectior virtutibus theologicis solum ex parte modi procedendi. . . ib.
Qui dicunt vel non repugnantiam cum beatitudine explicantur. . **209**, 217.
Idem non potest esse simul principium contemplationis liberae et necessariae . . . . . **213-214**, 227-228.

Theologicus comprehendens theologiam scholasticam, dogmaticam, symbolicam, positivam et moralem est idem habitus. . **185**, 167.

HOMO

Insignitur naturali appetitu ad scientias . . . . . **54**, 169.
Relatus ad mundum est terminus superior . . . . . **68**, 3.
Relatus ad Deum est terminus inferior. . . . . ib.
Ei est magis propria ista inferioritas . . . . . ib.
Qua amissa, superioritas illa amittitur . . . . . ib.
Recuperavit per gratiam Christi subiectionem ad Deum, quam per culpam amisit . . . . . **68**, 4.
Potest esse mysticus eminentissimus, quamvis in theologia scholastica sciolus sit . . . . . **191**, 184.
Est magister modo deficienti . . . . . **238-239**, 6-7.
Docens causat aliquando species ad docendum deservientes. . **240-241**, 10.
Excitans alium ad visionem corporalem non est causa talis visionis . . . . . **241**, 11.
Excitans ad cognitionem earum quae ignorantur, est causa scientiae . . . . . ib.
Non tamen excitans ad considerandum ea quae sciuntur. . . ib.
Potest esse sui magister, improprie tamen . . . . . **243**, 15.
Non tamen potest esse proprie in addiscendo mysticam quoad speculationem . . . . . **243**, 17-18.
Nec quoad exercitium . . . . . **243-245**, 19-24.
Addiscens scientiam per inventionem propriam non est sui magister . . . . . **246**, 27-28.
Habens dotes, quae in directore desiderantur, non potest esse sui director . . . . . **246-247**, 29-30.
Potest sibi imponere legem . . . . . **247-248**, 31.
Qui consultatur circa res aliquas est vere magister . . . **251**, 40.
Omnis est subditus directioni angelorum . . . . . 253-255.46-47.
Decorus superiori gratia quam angelus non potest illuminare angelum . . . . . **255**, 47.
Nec in patria potest . . . . . **255**, 48.
Potest illuminari a lumine angelico . . . . . **255-256**, 50.
Vexatus a daemone mere passive se habet . . . . . **262**, 66.
Auscultans daemonem voluntarie concurrit . . . . . ib.
Potest petere a Deo quod a daemone vexetur; et quare . . . **262-263**, 67-68.
Non tamen quod mittat ad dirigendum eum . . . . . **263**, 69.
Vexatur a daemone ad malum . . . . . **262-263**, 68.
Audiens daemonem apparentem ut directorem non peccat, si non cognoscit eum . . . . . **264**, 72.
Peccat, si non constat esse missum a Deo . . . . . ib.
Eius tamen dictis assensum praebere non potest, sed Deo mittenti . . . . . ib.
Est alterius hominis director et magister **262-267**, 74-76,
Litteratissimus debet habere directorem . . . . . **273-274**, 89-90.
Est director instrumentalis . . . . . **279-280**, 102.

HUMANITAS CHRISTI

Est ostium contemplationis divinae . . . . . **118**, 26.
Est incipientibus via ad motum rectum . . . . . ib.
Est perfectis via ad motum obliquum . . . . . ib.
Non potest terminare contemplationem Dei in caligine . . **121**, 32-33.
Est via ad eius divinitatem . . . . . **123-124**, 39.
Non est ex proposito amandanda a memoria contemplativi. . **124-125**, 40.

HUMILITAS

Eius gradus duodecim oppositi gradibus superbiae afferuntur. . **34-36**, 76-82.
Personae quae recipit favorem, signat favorem esse a bono spiritu . . . . . **61**, 22.
Obligat ad quaerendum directorem . . . . . **275**, 92.
Debet esse in directore . . . . . **284-285**, 120-122.
Si non inveniatur in directore, discipulus humilis non erit. . . **285**, 121.

HYPOCRISIS

Relicta ex favore signat favorem esse a malo spiritu . . . . **65**, 42.
Est, qua homo a daemone actus non raro superiores communicationes mentitur . . . . . ib.
Cognoscetur a fructibus hypocritae et a modo quem servat in subitaneis, in tribulationibus et in assecutione vel non assecutione sui desiderii . . . . . **66-67**, 44-51.

I

IDIOMA

Idiomata diversa diversis nominibus appellant sapientiam. . . **158-159**, 115-116.

ILLUMINATIO

Sequitur necessario gustui . . . . . **162**, 126.
Humana cum divina comparata tamquam inutilis reputatur. . . **240**, 9.
Daemonis est impropria . . . . . **257**, 59.
Debet manifestare veritatem ut veritas est . . . . . **269-270**, 81.

IMPULSUS

Materiales et spirituales a languore mystico provenientes; eorumque effectus explicantur . . . . . **75**, 30-32.
Materiales sagittae comparantur . . . . . **75**, 31.

INCIPIENS

Potest considerari et absolute, et respective in qualibet via spiritus . . . . . **28**, 49.
Appellatur, qui patitur purgationem passivam tam sensus, quam spiritus; et quomodo . . . . . **28**, 48-51.
Debet deplorare propriam miseriam et implorare misericordiam divinam . . . . . **29**, 52-54.
Agat confessionem generalem in initio viae spiritus . . . . **29**, 54-55.
Omittat, si est scrupulosus . . . . . **29**, 56.
Debet manifestare inclinationes directori . . . . . **29-30**, 56-57.
Seligat ex multis directorem . . . . . **29-30**, 56-57.
Non potest aggredi viam spiritualem sine directore . . . **30-31**, 59-63.
Irretitur communiter superbiae vitio . . . . . **33**, 73-74.
Maculatur avaritia . . . . . **36**, 83.
Verberatur frequentissime a luxuria . . . . . **36-37**, 85-86.
Cruciatur triplici motivo a luxuria . . . . . **37**, 87-88.
Irretitur ab ira triplici laqueo; eorumque remedium . . . . **37**, 89.
Torquetur maximopere a gula spirituali . . . . . **37**, 90.
Laqueatur ab invidia; eiusque remedium . . . . . **38**, 91.

Angitur non raro ab acedia; eiusque remedium . . . . . **38**,92.
Debet evacuare peccata . . . . . **40**, 101.
Debet eradicare vitia . . . . . ib.
Debet regulare passiones . . . . . ib.
Debet dicare se mortificationi . . . . . **42**, 109-110.
Et meditationi . . . . . **42**, 112-113.
Ei est Christus via ad motum rectum . . . . . **118**, 26.
Meditatur semper . . . . . **120-121**, 30-31.
Percipit suavitatem et gustum in exercitio mysticae . . . . **154**, 103; **157**, 113.

INFUSIO

Est duplex; et explicatur . . . . . **198-199**, 200.

INSTRUCTIO

Humana cum divina instructione comparata tamquam inutilis reputatur . . . . . **240**, 9.

INTELLECTUS

Potest uniri absolute, quin voluntas uniatur . . . . . **55**, 174.
Non autem mystice . . . . . ib.
Habet ens pro obiecto *quod* tam in via, quam in patria . . . **117-118**, 24-25.
Importat rationes accidentis, proprietatis et potentiae diversimode . . . . . **141-142**, 73-74.
Agens est magister valde imperfecte . . . . . **242**, 14; **245**, 24-25.
Agens non potest esse separatus ab anima . . . . . **282**, 108; **283**, 117.

INVIDIA

Laqueat incipientes; eiusque remedium . . . . . **38**, 91.

IRA

Laqueat tripliciter incipientes . . . . . **37**, 89.

IRASCIBILIS

Eius passiones a diversis virtutibus moderantur. . . . . **41**, 104-107.

IUSTUS

Non administrat humana . . . . . **255**, 48.

L

LANGUOR

Definitur . . . . . **74**, 24.
Dividitur et explicatur . . . . . **74**, 25-26.
Causat in proficientibus regulariter impetus materiales. . . . **74**, 27.
Producit in perfectis impetus spirituales . . . . . ib.
Sumptus metaphysice explicatur . . . . . **74-75**, 28-29.
Eius materiales et spirituales impulsus; eorumque effectus elucidantur . . . . . **75**, 30-32.

LECTIO

Pars orationis definitur. . . . . **90**, 5.

LEX

Non assimilatur magistro . . . . . **247-248**, 31.

LOCUTIO

Corporea, imaginativa et intellectualis visionesque his similes explicantur . . . . . **96**, 45.
Omnis exhibenda est directori . . . . . **97**, 46.
Cum angelo non licet, si ignoratur an bonus vel malus sit. . . **258-260**, 60.

LOGICA

Est ianua omnium scientiarum . . . . . **19**, 1.
Est modus sciendi . . . . . ib.
Utens non est scientia . . . . . **172**, 142.

LUMEN

Corporale quodlibet potest illuminare corpus . . . . . **242**, 13.
Non tamen quodlibet lumen potest aequaliter illuminare spiritum. . ib.
Directoris creati proportionat animam ut a Deo illuminetur . . . ib.
Angelicum potest illuminare hominem . . . . . .
Tenens se ex parte intellectus non illustrat obiectum . . . . **146-147**, 82-84.

LUXURIA

Est frequentissime verber incipientium . . . . . **36-37**, 85-86.
Eius vitatio non est privative propria incipientium, sed etiam perfectorum **36**, 84
Cruciat incipientes triplici motivo . . . . . **37**, 87-88.
Eius triplex remedium . . . . . ib.

M

MAGISTER

Otiosus censura est dignus . . . . . **237-239**, 5-7.
Humanus non causat veritatem, sed cognitionem veritatis, quam docet . . . . . **240-241**, 10.
Ignarus magistri nomen non meretur . . . . . **246**, 28.

MAGISTERIUM

Humanum est abusivum et deficiens, si comparetur cum divino. . **245-246**, 26.
Non tamen est improprium . . . . . ib.
Cessabit post finem mundi . . . . . **267**, 77.
Non petit in magistro lumen intellectus perfectius quam in discipulo . . . . . **269-270**, 81.

MANIFESTATIO

Veritatis ut veritas est duo requirit . . . . . ib.

MATERIA

Circa quam operatur habitus theologiae mysticae non dicit repugnantiam cum beatitudine . . . . . **210**, 218.

MATRIMONIUM MYSTICUM

Differt tripliciter a mystica desponsatione; et explicatur . . . **86-87**, 81-83.
Celebratur, dum anima ascendit ad decimum gradum amoris divini . . . . . **87**, 84.
Ratum, consummatum et mysticum sponsalitium discriminantur; et quomodo . . . . . **87**, 86.
Ratum est mystica remotio; et quare . . . . . **88**, 88-89.
Ratum habet mirissimos effectus; qui citantur . . . . . **88**. 90.

MEDICUS

Infirmus medici nomen meretur . . . . . **246**, 28.

MEDITATIO

Definitur . . . . . **90**, 6.
Constat triplici parte . . . . . **90**, 7.
Est proprium exercitium incipientium . . . . . **42**, 112-113.
Et necessarium . . . . . ib.
Eius materia sunt quatuor novissima . . . . . **42**, 114.
Et peccata . . . . . ib.
Et mysteria Redemptoris Nostri . . . . . ib.
Relinquenda est et transeundum ad contemplationem tribus signis diligenter exploratis; et quae talia signa sint. . . . **42-43**, 115-119.
Non datur in beatitudine . . . . . **118-120**, 27-29.
Est semper exercitium incipientis . . . . . **120-121**, 30-31.
Proficientis non semper . . . . . ib.
Nec perfecti . . . . . ib.

MENS

Humana patitur tenebras offusissimas ex nimia claritate Dei. . **234-235**, 273.
Humana ultimo formatur per gratiam Dei . . . . . **241**, 12.

METAPHYSICA

Mystica non datur; et quare . . . . . **193**, 190.
Attingit Deum imperfectiori modo quam theologia mystica. . . **218**, 244.

MINISTER

Diaboli potest assumi a Deo ut medium quo veritatem ostendat. **258-260**, 62; **263-266**, 71-73.

MODESTIA

Dicitur a modo . . . . . **63**, 30.
Non est virtus specialis . . . . . **63**, 31.
Splendescens in verbis et factis signat communicatam esse a bono spiritu . . . . . **63**, 31-32.
Habenda est prae oculis in favoribus, sive a malo, sive a bono spiritu proveniant . . . . . **64**, 34.

MODUS

Sciendi est triplex . . . . . **23**, 25-26.
Explicatur . . . . . **23-24**, 27-28.
Docendi est duplex; et explicatur . . . . . **267-269**, 78.

MORTIFICATIO

Vitiorum et passionum moderatio pandit valvas orationi. . . **41**, 108.
Est duplex; et exterior et interior . . . . . **42**, 109-110.
Utraque est necessaria incipientibus . . . . . ib.
Utraque est relate ad illicita. . . . . **42**, 111.
Et relate ad licita . . . . . ib.
Eius necessitas suadetur . . . . . ib.

MUNUS

Diversum quod datur inter theologiam scholasticam et mysticam acquisitam, sufficit ut mysticus possit attingere faciliter mystica et non scholastica . . . . . **193**, 189.

MYSTA

Ad eum non attinet explanare considerationes obiecti . . . **107-108**, 1.

MYSTICUS

Potest esse eminentissimus in mystica, in theologia vero scholastica sciolus . . . . . **191**, 184.
Potest habere facilitatem in mystica et non in scholastica. **189**, 179; **191-192**, 186-189.
Omnis exercens theologiam mysticam habet scholasticam. . . **189-190**, 180-182.
Debet relinquere operationem distinctam . . . . . **221-222**, 250.
Non tamen confusam . . . . . ib.
Debet tendere in Deum per negationem sensibilium. . . . . **223**, 252.
Debet abnegare propriam voluntatem . . . . . **246-247**, 30.
Debet subdi directori humano . . . . . **271-273**, 82-88.
Debet tradere et subdere totaliter voluntatem suam directori. . **275-276**, 93-94.

N

NOMEN

Nomina Dei ad meditationem et contemplationem deservientia citantur . . . . . **96**, 41.
Magistri provenit ex eo quod docens habet scientiam . . . **246**, 27-28.
Nomina diversa habet sapientia . . . . . **158-159**, 115-116.

OBEDIENTIA

Religiosa est perfectior quam obedientia praestita directori. . **275**, 93-94.

O

OBIECTUM

Intellectus, voluntatis, concupiscibilis et irascibilis proponuntur. . 46, 132.
Theologiae mysticae est ei superignotum . . . . . **20**, 8.
Plurima sub se continet . . . . . **107-108**, 1.
Obiecta theologiae mysticae qua theologiae et qua mysticae assignantur . . . . . **108**, 2.
Quod primarium theologiae mysticae non est ens revelabile abstrahens a creato et increato . . . . . **109-113**, 7-15.
Principale theologiae mysticae coincidit cum formali adaequato. . **114-115**, 18-19.
Quod formale theologiae mysticae non est Christus qua homo. . **116-122**, 21-34.

Quod potentiae intellectivae tam in via, quam in patria est ens. . **117-118**, 24-25.
Quod theologiae mysticae est solus Deus. . . . . **127-129**, 42-46.
Commune per praedicationem non habet theologia mystica. . . **132-133**, 50.
Potentiae vitalis activae respicitur ab ea ut terminus . . . **139-140**, 68-71.
Passivae ut motivum . . . . . ib.
Nullatenus illustratur a lumine ex parte intellectus se tenente. . **146-147**, 82-84.
Non redditur obscurum a velamine se tenente ex parte intellectus . . . . . ib.
Secundarium mysticae theologiae sunt omnes creaturae . . . **166-168**, 134-137.
Potest sumi complexe et incomplexe . . . . . **194-195**, 193.

OBLATIO

Pars orationis practice proponitur . . . . . **91**, 9.

OBSCURITAS

Est solum conditio essentialis obiecti fidei. . . . . **143-145**, 76-80.
Quae refundit articulorum distinctionem, est nova difficultas ex parte nostri se tenens . . . . . **144-145**, 78.
Quae intrat in constitutionem rationis formalis *quae* fidei, aliquomodo se tenet ex parte nostri . . . . . **145**, 79.
Non convenit essentialiter theologiae mysticae . . . . . **208-211**, 216-219.

OPERATIO

Distincta derelinquenda est a mystica . . . . . **221-222**, 250.
Confusa vero non . . . . . ib.

ORATIO

Dialectica definitur . . . . . **89**, 1.
Appropriatur orationi mysticae . . . . . ib.
Mystica habetur mortificatione vitiorum . . . . . **41**, 108.
Persequitur passiones et vitia . . . . . ib.
Propria incipientium est meditatio; et quare . . . . . **42**, 112-113.
Sumpta improprie definitur . . . . . **89**, 2.
Habet sex partes . . . . . **89-90**, 3-4.
Omnes tam in mentali, quam in vocali oratione ad petitionem ordinantur . . . . . **92**, 15-16.
Multipliciter dividitur . . . . . **92**, 17-19.
Unionis affertur . . . . . **95**, 33.
Quietis proponitur . . . . . **95**, 38-39.
Recollectionis elucidatur . . . . . **95**, 36-37.
Impulsus affertur . . . . . **96**, 40.
Activa et passiva unionis proponitur . . . . . **95**, 34-35.
Activa et passiva recollectionis elucidantur . . . . . **95**, 36-37.
Hae omnes explicantur . . . . . **95-96**, 33-40.
Dominica obligat nos ad directorem habendum . . . . . **274-275**, 91-92.

ORDO

Impositus angelis non est erga eorum voluntates. . . . . **252-253**, 45.
Est erga illuminationem intellectus . . . . . ib.

OSCULUM

Triplex proponitur, quo anima accedit ad suum dilectum. . . **53**, 166.

OSTIUM

Ad contemplationem divinam est humanitas Christi . . . . . **118**, 26.

P

PASSIO

Definitur . . . . . **38-39**, 94-97.
Est tripliciter . . . . . **38**, 96.
Omnes concupiscibilis sunt sex . . . . . **39**, 98-99.
Omnes iracibilis sunt quinque . . . . . ib.
Omnes radicantur in amore concupiscibilis . . . . . **40**, 100.
Omnes appetitus ex se nec bonae, nec malae sunt . . . . **40**, 101.
Omnes concupiscibilis regulantur virtute temperantiae. . . . **40**, 103.
Prima concupiscibilis, *amor* scilicet, potest esse inordinatus ex parte obiecti . . . . . **40**, 102-103.
Et ex parte modi . . . . . ib.
Eius duplex remedium practicum proponitur . . . . . ib.
Omnes irascibilis moderantur a diversis virtutibus . . . . **41**, 104-107.

PATER

Omnium simpliciter est Deus . . . . . **238-239**, 6-7.
Homo vero est pater modo deficienti . . . . . ib.

D. PAULUS

Aptavit suam mysticam doctrinam mentibus audientium . . . **122-123**, 35-38.

PECCATUM

Pertinet diversimode ut terminus *a quo* ad vias purgativam, illuminativam et unitivam . . . . . **24**, 29-34.

PERFECTIO

Non potest obtineri sine directore . . . . . **30-31**, 59-63.
Theologiae mysticae potest referri ad duplex extremum comparationis . . . . . **216**, 234.
Non potest consequi a Carmelita sine directore . . . . **272-273**, 87-88.

PERFECTUS

Potest considerari et absolute et respective in qualibet via spiritus . . . . . 28, 49.
Ei est humanitas Christi via ad motum obliquum . . . . **118**, 26.
Non semper meditatur . . . . . **120-121**, 30-31.

PETITIO

Pars ultima orationis est post gratiarum actionem . . . . **89**, 1.
Definitur . . . . . **92**, 15.
Praerequirit tam in mentali, quam in vocali oratione, quod ceterae orationis partes ad eam ordinentur . . . . . **92**, 15-16.

PHILOSOPHIA

Debet sciri a directore . . . . . **283**, 112.

POTENTIA

Rationalis, quae et quomodo recipiat virtutem . . . . . **45**, 129.
Rationalis sunt intellectus et voluntas . . . . . **45**, 130-131.
Et recipiunt virtutes . . . . . ib.
Sensitivae aliae sunt cognoscitivae . . . . . ib.
Aliae sunt appetitivae . . . . . ib.
Omnes recipiunt habitum . . . . . ib.
Cognoscitivae ut habitum tantum . . . . . ib.
Appetitivae vero et ut virtutem . . . . . ib.
Intellectiva habet ens pro obiecto *quod* tam in via, quam in patria . . . . . **117-118**, 24-25.
Vitalis passiva respicit suum terminum ut obiectum motivum. . **139-140**, 68-71.
Activa vero ut terminum . . . . . ib.
Haec praecontinet aliquomodo suum terminum . . . . . **140-141**, 69-72.

POTESTAS

Datur in homine ad alium dirigendum in via spiritus . . . . **266-267**, 74-76.
Datur in ecclesia contra daemones . . . . . **264**, 72; **266**, 73.

PRINCIPIUM

Elicitivum theologiae mysticae non est ratio *sub qua* illius. . **137-138**, 59-63.
Non respicitur ut obiectum ab actione immanenti . . . . **142-143**, 75.
Theologiae principia possunt considerari dupliciter; et quomodo . . . . . **194-195**, 193.
Eadem principia attinguntur a theologia mystica et scholastica. . ib.
Naturale nequit elicere actum supernaturalem . . . . . **197-198**, 199.
Non infusum nequit actum infusum . . . . . ib.
Plura dantur ut theologia mystica certior sit scholastica . . . **226-227**, 261-262.

PROFICIENS

Potest considerari et absolute et respective in qualibet via spiritus . . . . . **28**, 49.
Eius exercitium est acquisitio virtutum . . . . . **44-45**, 126-128.
Non semper meditatur . . . . . **120-121**, 30-31.

PROPHETIA

Non permanebit in patria . . . . . **212**, 222-223.

PULCHRITUDO

Quae in creaturis contemplatur a theologia mystica derivatur a Deo . . . . . **125-126**, 41.

PURGATIO

Pertinet diversimode ad vias purgativam, illuminativam et unitivam . . . . . **24**, 30; **25**, 35.
Activa sensus attinet ad viam purgativam . . . . . **28**, 47.
Et activa spiritus . . . . . ib.
Passiva sensus attinet solum per accidens ad viam purgativam. . **28**, 51.
Et passiva spiritus . . . . . ib.
Est ars mystica ad inveniendum medium . . . . . **99**, 2.

Describitur . . . . . 99, 3.
Eius materia circa *quam* affertur . . . . . ib.
Multipliciter dividitur . . . . . 99, 4.
Activa, quaecumque sit, pertinet ad incipientes . . . . . 99, 5.
Passiva vero ad proficientes . . . . . 100, 5.
Activa et passiva tam sensus, quam spiritus servant ordinem. . 100, 6-7.
Activa sensus in quo consistat ? . . . . . 100, 8.
Activa sensuum externorum et internorum practice proponitur. . 100-101, 9-11.
Et activa intellectus et voluntatis . . . . . 101, 12-15.
Et activa partis affectivae sensuum 27, 43; 38, 93;
Sensitiva est medium ut pars inferior conformetur cum superiori. . 103, 26.
Et superioris partis purgatio ut cum Deo conformetur. . . . ib.

Q

QUALITATES

Eiusdem speciei cum dotibus corporis gloriosi possunt poni a Deo in corporibus vitae expertibus; et quare. . . . 163, 127.

R

RADIX

Multiplex datur ut theologia mystica certior sit scholastica. . . 226-227, 261-262.

RAPTUS

Definitur . . . . . 82, 62.
Discriminatur ab extasi . . . . . 82-83; 62-66.
Verus evenit solum animabus perfectis. . . . . 84, 67.
Causatur solummodo a Deo . . . . . ib.
Fictus potest causari a daemone . . . . . 84, 68.
Qui est proprie talis non compatitur cum visione imaginaria, quae fit mediis speciebus sensibilibus . . . . . 84, 71.
Compatitur cum visione, quae fit mediis speciebus spiritualibus. . ib.

REFLEXIO

Est duplex . . . . . 164, 129-130.

REMOTIO

Dialectica et dialectica diminutio explicantur . . . . . 84, 73.
Comparantur cum sponsalitio et matrimonio mysticis . . . . ib.

RES

Spirituales prius gustantur quam videantur; et quomodo. . . 149-150, 92.

RESTRICTIO

Dialectica explicatur . . . . . 75, 33.
Mystica explicatur . . . . . 76, 35-36.
Mystica aliter explicatur . . . . . 77, 37.

REVELATIO

Divina prout se tenet ex parte potentiae, nullatenus est ratio formalis in obiecto fidei . . . . . **146-147**, 84.

S

SAPIENTIA

Habet diversa nomina . . . . . **158-159**, 115-116.
Cognoscit suum obiectum per altissimam causam in omni genere. . **184-185**, 165.
Contrahit scientiam ut sic diversimode a scientia particulariter dicta . . . . . ib.
Attingit obiectum habitus principiorum . . . . . **196**, 194.
Speculativa et experimentalis debet haberi a directore . . . **281**, 105.
Omnem debet director habere . . . . . **282**, 109.

SAPIENTIA MYSTICA

Est non spiritualibus obscura . . . . . **22**, 23.
Est spiritualibus clara . . . . . ib.
Est scientia amoris . . . . . **54**, 170.
Comparatur gratis . . . . . **55**, 171.

SAPOR

Percipitur in contemplatione imperfecta viae . . . . . **155-156**, 107-108.

SCIENTIA

Omnis praeter theologiam mysticam perficit solummodo intellectum, et quare . . . . . **20**, 9.
Eius exercitium est dulce et familiare . . . . . **20**, 10.
Appetitur naturaliter ab homine . . . . . **54**, 169.
Multiplex explicatur . . . . . **179-181**, 155-157.
Infusa est vere scientia . . . . . ib.
Quaelibet est certa et evidens, diversimode tamen . . . . ib.
Perfecta dicit actu certitudinem et evidentiam . . . . . **181**, 158.
Non tamen eodem modo . . . . . ib.
Sumpta communiter diversimode contrahitur seu participatur a sapientia et scientia particulariter dicta . . . . . **184-185**, 165.
Omnis naturalis est imperfectior theologia mystica infusa et acquisita . . . . . **216**, 235-236.
Omnis famulatur theologiae scholasticae . . . . . **218-219**, 246.
Et mysticae . . . . . ib.
Excedens omnes scientias speculativas, excedit etiam practicas. . **224**, 255.
Naturalis est certior fide solum secundum quid . . . . . **230**, 265.
Naturalis est certior et minus certa quoad nos quam theologia mystica sub diversa consideratione . . . . . **230-232**, 266-269.

SCRIPTURA SACRA

Debet sciri a directore. . . . . **282-283**, 110.

SEPARATIO

Corporis et animae obstat ne contemplatio incepta in via eadem continuetur in patria . . . . . **215**, 233.

SIGNUM

Triplex a directoribus explorandum antequam transferant discipulos ad contemplationem, proponitur . . . . . **43**, 115-119.
Quod signat purgationem activam perfectam fuisse, signat transeundum in illuminativam viam . . . . . **43**, 121.
Aliud ut director cognoscat vitia discipuli esse repressa, proponitur . . . . . **52**, 162.
Diversa conspiciuntur passim in eadem anima . . . . . **57**, 1.
Eius divisio in materiale et formale affertur. . . . . **57**, 2-3.
Formale aliud est bonum, aliud malum. . . . . **58**, 4-5.
Formale bonum aliud est creatum, aliud increatum . . . . ib.
Multiplex materiale proponitur ad recte dirigendum animas. . . **58-59**, 6-13.
Multiplex proveniens ab anima notatur. . . . . **59-60**, 14-18.
Proponuntur ea, quae signant favorem esse a sapientia divina. . **61-66**, 22-42.
Explanantur ea, quae signant turbationem occurentem inter favores supernaturales esse vel non a bono, vel malo spiritu. . **61-63**, 25-29.
Proponuntur ea, quae signant favorem esse a bono spiritu. . . **64-65**, 36-37.
Aliud ad cognoscendum favorem esse a bono spiritu affertur. . **65**, 38-39.
Aliud explanatur . . . . . **65**, 41.
Proponuntur quae signant seu manifestant hypocritas . . . . **66-67**, 44-51.
Relate ad quae subiecta, haec immediate dicta intelligantur. . **67**, 52.
Proponuntur, quae deserviunt ad cognoscendum deliquia supernaturalia, naturalia et praeternaturalia . . . . . **80-81**, 53-55.
Alia ad discernendum falsum a vero raptu . . . . . **84**, 69-72.

SITIS MYSTICA

Causat varios effectus . . . . . **78**, 42.
Causat desiderium laborum . . . . . ib.

SPES

Definitur . . . . . **51**, 155.

SPIRITUS

Non potest illuminari aequaliter a quolibet lumine . . . . **242**, 13.

SPONSALITIUM

Mysticum discriminatur a matrimonio mystico rato et consummato . . . . . **87**, 86.

STATUS

Discipuli attendatur a directore . . . . . **275-277**, 94.

SUAVITAS

Adest in omni contemplatione religiosa quantumvis minimae perfectionis . . . . . **153-154**, 102-106.
Et in contemplatione viae . . . . . **155-156**, 107-108.
In contemplatione patriae est perfectissima . . . . . **156**, 109.
Minoris perfectionis in via . . . . . ib.
Quae experitur a mystica theologia, est simpliciter supernaturalis . . . . . **163**, 127.

SUPERBIA

Definitur . . . . . **33**, 73.
Fatigat plurimum incipientes . . . . . **33**, 73-74.
Habet quatuor species . . . . . **33**, 74.
Habet duodecim gradus . . . . . **33**, 75.
Proponuntur . . . . . **34-36**, 76-82.
Habet triplex remedium . . . . . **36**, 82.

SUPERNATURALITAS

Convenit seu invenitur tantum extrinsece in actu theologiae mysticae acquisitae . . . . . **194**, 191.

SUPPOSITIO

Dialectica definitur . . . . . **72**, 19.
Adaptatur suppositioni mysticae . . . . . ib.

T

TEMPERANTIA

Regulat omnes passiones concupiscibilis . . . . . **40**, 103.

TEMPUS

Insumendum in omnibus viis transeunter designatur . . . . **23-24**, 27-28.
Eius longum spatium non est signum ad meditationem relinquendam . . . . . **43**, 120.

TENEBRAE

Offusissimae causantur a contemplatione in subiecto non purgato . . . . . **161**, 122.
Offusissimas mens humana ob Dei claritatem patitur. . . . **234-235**, 273.

TERMINUS

Dialecticus definitur . . . . . **68**, 1.
Mystici praecipui in unione mystica sunt Deus et homo. . . **68**, 2.
Mysticus alius *Creator*, alius creatura rationalis . . . . . **68**, 4.
Mysticus dividitur in communem et singularem . . . . . **69**, 5-7.
Communis in imperfectum et superperfectum . . . . . ib.
Communis iterum dividitur in dissimilem et contrarium . . . **70**, 9-11.
Omnes praedicti habent sub se plures alios terminos. . . . **70**, 12.
Termini *macula, liquefactio, languor, fervor, gustus, contactus, amplexus, osculum, mors, anihilatio et transformatio* explicantur . . . . . **71-72**, 13-16.
Mysticus habet proprietates quasdam . . . . . **72**, 17.
Et proponuntur quae conveniunt termino dialectico. . . . . **72**, 18.
Potentiae vitalis activae praecontinetur aliquomodo in ea. . . **140-141**, 69-72

THEOLOGIA
in
COMMUNI

Dicitur sacra; et quare . . . . . **20**, 7.

THEOLOGIA MYSTICA

Est ianua caelestis academiae . . . . . **19**, 2.
Ducit nos in cognitionem rei summe ignotae. . . . . **19**, 3.
Est ianua scientiarum beatorum . . . . . **19**, 2-3.
Aequiparatur modo sciendi dialecticorum . . . . . **19-20**, 4-5.
Est et dicitur sacra, sancta et arcana . . . . . **20**, 6-7.
Est sacratior et ocultior omnibus theologiae partibus . . . . **20**, 8.
Perficit intellectum et voluntatem . . . . . **20**, 9.
Eius exercitium affert arduitatem ingentem . . . . . **20**, 10.
Eius definitio diversimode ab aliquibus circumfertur . . . . **21**, 11-13.
Debet definiri unica definitione . . . . . **21**, 14-18.
Eius diversae definitiones proponuntur . . . . . **22**, 19.
Eius proprior definitio traditur et explicatur. . . . . **22-23**, 21-24.
Dicitur *irrationalis, amens, nesciaque sapientia;* et explicatur. . **69**, 6.
Diversae eius acceptiones . . . . . **108**, 3.
Eius obiectum *quod* primarium non est ens revelabile abstrahens a creato et increato . . . . . **109-113**, 7-15.
Nullatenus attingit ens creatum propter se . . . . . **110**, 9-10.
Eius obiectum extensivum est ens divinum revelabile . . . . **113-114**, 16.
Non habet obiectum principalitatis; et quare . . . . . **114-115**, 18-19.
Attingit entia creata ut creata . . . . . **115-116**, 20.
Eius obiectum *quod* formale non est Christus quatenus homo. . **116-122**, 21-24.
Habet idem obiectum tam in via, quam in patria . . . . **117-118**, 24-25.
Contemplatur in creaturis pluchritudinem derivatam a Deo. . . **125-126**, 41.
Eius obiectum *quod* est solus Deus . . . . . **127-129**, 42-46.
Eius ratio formalis *quae* est Deitas . . . . . **129-132**, 47-49.
Assimilatur beatitudini prout est visio intuitiva . . . . **131-132**, 49.
Non habet obiectum commune per praedicationem . . . . **132-133**, 50.
Est Dei gustativa . . . . . **133-135**, 51.
Non potest exerceri ab anima non unita . . . . . **135**, 52.
Degustat quod fides docet . . . . . ib.
Habet idem obiectum *quod* et rationem *quae* ac fides et articuli . . . . . **135**, 53.
Eius ratio *sub qua* non est suum principium elicitivum . . . **137-138**, 59-63.
Habet unicam rationem formalem *sub qua*. . . . . **148-149**, 87-90.
Debet considerari prius secundum diversitatem ipsius a scholastica, dogmatica et aliis quam secundum diversitatem graduum quos importat . . . . . **148-149**, 88-89.
Eius ratio formalis *sub qua* est Deus ut amabilis et fruibilis. . **149-153**, 91-98.
Propriissima solum elicitur a dono sapientiae . . . . **158-159**, 115-118.
Non potest attingere creaturam sine habitudine ad Deum . . . **170-171**, 140.
Est proprie scientia . . . . . **173-177**, 144-153.
Non remanet scientia sanctorum, si auferatur expressio mysticae. . **173-174**, 145.
Cruciat et recreat suavissime . . . . . ib.
Est scientia veritatis, verae iustitiae, religionis et sanctitatis. . . ib.
Maiorem connexionem cum fide habet quam scholastica . . **172**, 143; **177-179**, 154.
Habet certitudinem . . . . . **179-181**, 155 et 157.
Habet evidentiam consequentiae et consequentis, diversimode tamen . . . . . ib.
Actualis est actus discursus terminative . . . . . **179-182**, 156 et 159.
Est scientia experimentalis . . . . . **182-183**, 160.
Est perfectissime sapientia . . . . . **183-185**, 161-165.
Acquisita est idem habitus cum theologia scholastica. . . . **185-188**, 168-177.
Acquisita habet eandem rationem formalem *sub qua* cum scholastica . . . . . **188**, 177.
Perfectissima potest subsequi ad theologiam scholasticam imperfectam . . . . . **190-191**, 183.
Dupliciter delectatur in attingentia sui obiecti; et quomodo. . . **193**, 190.

Attingit eadem principia quae scholastica . . . . . **194-195**, 193.
Attingit ipsum objectum habitus principiorum . . . . . **196**, 194.
Attingit degustando omnia divina, quae scholastica cognoscendo attingit . . . . . **196**, 195.
Infusa est habitus diversus a scholastica . . . . . **196-204**, 196-209.
Infusae usus non est ad nostrum libitum . . . . . **199**, 201.
Infusae definitio est recta . . . . . **199-200**, 202.
Acquisita et infusa non sunt intra eandem lineam virtutis supernaturalis . . . . . **207**, 214.
Non est essentialiter obscura . . . . . **208-211**, 216-219.
Manet in patria . . . . . ib.
Erit in patria sine imperfectionibus viae . . . . . **211-212**, 220-221.
Perfectissima manet in patria quoad speciem; et quare . . . **212-213**, 222-223.
Acquisita manet in patria quoad speciem solummodo; et quare. . ib.
Abstrahit a claritate et obscuritate . . . . . **214**, 228.
Est clara exactive . . . . . **214-215**, 228-231.
Procedit accidentaliter ex per se obscuris . . . . . **215**, 231.
Dependet et non dependet a fide; et explicatur . . . . . **215**, 232.
Infusa et acquisita est perfectior omnibus scientiis naturalibus. . **216**, 235-236.
Infusa est perfectior scholastica . . . . . **216**, 237-238.
Et acquisita . . . . . **216-218**, 239-243.
Tendit in Deum multis modis . . . . . **218-219**, 246.
Defendit scholasticam . . . . . **219-220**, 247.
Est certior omni scientia naturali. . . . . **223-224**, 253-255.
Est quoad se certior scholastica . . . . . **224-225**, 256-258.
Est quoad nos certior scholastica et scientiis naturalibus. . . **225-226**, 259-260.
Acquisita attingit obiectum perfectiori et certiori modo quam scholastica . . . . . **226-227**, 261-262.
Gignit fidem perfectiori modo quam scholastica. . . . . **228-230**, 264.
Est certior fide solum secundum quid. . . . . **230**, 265.
Procedit circa res divinas secundum connaturalitatem ad ipsas. . **230-232**, 266-268.
Est et dicitur vere mystica . . . . . **232-234**, 270-272.
Est tenebrosissima . . . . . **234-235**, 273.
Procedit diverso modo ac scholastica in Dei cognitione . . . **235-236**, 274.
Est et dicitur mystica ex fine et modo procedendi . . . . ib.
Eius obiectum secundarium sunt omnes creaturae . . . . . **166-168**, 134-137.

THEOLOGIA SCHOLASTICA

Considerat vitia, virtutes et alia per ordinem ad Deum . . . **115-116**, 20.
Habet idem obiectum *quod* tam in via, quam in patria . . . **117-118**, 24-25.
Non demonstrat suum obiectum incomplexum . . . . . **133**, 51.
Demonstrat complexum . . . . . ib.
Habet intimam connexionem cum fide . . . . . **177-179**, 154.
Est necessaria omnibus fidelibus . . . . . **190**, 181.
Praecedit experimentalem . . . . . **190**, 182.
Habet eandem abstractionem a materia cum mystica acquisita . **192**, 188.
Nequit elicere actum infusum theologiae mysticae . . . . **197-198**, 199.
Non potest non esse habitus distinctus a mystica infusa. . . **198-199**, 200.
Eius usus est ad nostrum libitum . . . . . **199**, 201.
Est imperfectior infusa . . . . . **216**, 237-238.
Et a theologia mystica acquisita . . . . . **216-218**, 239-243.
Est secundum quid perfectior fide . . . . . **219-220**, 247.
Est eodem modo perfectior mystica . . . . . ib.
Defendit mysticam . . . . . ib.
Est fructuosissima, si mysticam non excludat . . . . . **220-221**, 248-249.
Fructuosa non est, si mysticam excludat . . . . . ib.

Est prior mystica ordine generationis . . . . . **220-221**, 249.
Non est prior mystica ordine perfectionis . . . . . ib.
Subordinata dono sapientiae non potest elicere contemplationem perfectissimam . . . . . **227-228**, 263.
Potest tamen elicere contemplationem imperfectam seu acquisitam . . . . . ib.
Disponit ad infusionem fidei . . . . . **228-230**, 264.
Debet sciri a directore simulque moralis . . . . . **283**, 111.

THEOLOGUS

Scholasticus non est, qui suam theologiam in amorem Dei non ordinat . . . . . **189**, 180; **196**, 195.

TORMENTA

Quae in purgationibus patiuntur, citantur . . . . . **103**, 29.

TRINITAS SANCTISSIMA

Dicitur *superdea;* et explicatur . . . . . **69**, 8.

TURBATIO

Provenit in communicatione supernaturali aliquando a superioritate spiritus . . . . . **61-63**, 25-29.
Aliquando a spiritus contrarietate . . . . . ib.
Quando ab uno, quando ab alio proveniat, declaratur . . . . ib.

U

UNIO

Animae cum Deo est talis perfectionis qualis theologia mystica. . **157**, 112.

UNIO MYSTICA

Debet intendi ab omnibus et praecipue a Carmelitis. . . . **54**, 168-169.
Est animae felicitas inchoata . . . . . **55**, 172.
Est et intellectualis et affectiva . . . . . **55**, 174.
Una sine alia non potest dari . . . . . ib.
Diversae dantur tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis; et explicantur . . . . . **55-57**, 175-180.
Formalis cognoscitiva quando detur . . . . . **56**, 179.
Affectiva vero quando ? . . . . . ib.
Tam realis, quam affectiva, quae fit media gratia et caritate, est communis omnibus iustis . . . . . **86**, 79.
Quae fit per illapsum, fundat mysticum sponsalitium . . . . **86**, 80.

USUS

Theologiae scholasticae est ad nostrum libitum . . . . **199**, 201.
Theologiae mysticae infusae non . . . . . ib.

V

VELAMEN

Tenens se ex parte intellectus non reddit obiectum eius obscurum . . . . . **146-147**, 82-84.

VERBA

Corporea, imaginaria et spiritualia traduntur . . . . . **96-97**, 42-45.
Proveniens a causa superiori potest intelligi, quin prius fuerit in sensu . . . . . **96**, 42-44.
Non autem proveniens a causa inferiori . . . . . ib.
Corporea et imaginaria sunt valde exposita daemonis fallaciae. . **97**, 46.
Successiva, formalia et substantialia explanantur. . . . . **97-99**, 48-58.
Successivorum triplex causa affertur . . . . . ib.
Omnium horum effectus proponuntur . . . . . ib.
Et causae . . . . . ib.
Et signa . . . . . ib.
Et differentiae inter ea versantes . . . . . ib.

VERITAS

Dei in essendo est idem ac Deitas . . . . . **135-136**, 54.
Quae ponitur in definitione contemplationis est veritas in essendo . . . . . ib.
Quae ponitur in definitione contemplationis, omnino proprie significat primam veritatem in essendo . . . . . **136**, 55.
Quae ponitur in definitione contemplationis, non est ratio *sub qua* specificative theologiae mysticae . . . . . ib.
Quae intrat in constitutionem rationis formalis *quae* fidei, nullatenus est ex parte nostri . . . . . **145**, 79.
Prima loquens est ratio formalis fidei . . . . . **145**, 80.
Manifestata angelo ab homine non est illuminatio . . . . **269-270**, 80-81.
Nec manifestata angelo superiori ab inferiori . . . . . ib.

VIA

Purgativa, illuminativa et unitiva adumbrantur in Moyse. . . **25-26**, 36-38.
Purgativa ostendit hominis naturam . . . . . **27**, 42.
Purgativa est modus sciendi mysticus . . . . . ib.
Comparatur *definitioni*, quae modus sciendi particularis est apud dialecticos . . . . . ib.
Definitur . . . . . **27**, 43-44.
Includit purgationem activam tam sensus, quam spiritus . . . **28**, 47.
Includit solum per accidens passivam purgationem utriusque. . **28**, 51.
In ea deploranda est propria miseria . . . . . **29**, 52-54.
Et imploranda divina misericordia . . . . . ib.
Et facienda est confessio generalis . . . . . **29**, 54-55.
Est atrium vitae spiritualis . . . . . **31**, 64.
In ea ingrediens debellet primo vitium, quod magis viget. . . **31**, 66.
Illuminativa aequiparatur *divisioni*, quae est modus particularis sciendi apud dialecticos . . . . . **44**, 122.
Definitur . . . . . **44**, 123-125.
Eius exercitium est virtutum acquisitio. . . . . **44-45**, 126-128.
Unitiva est perfectior inter omnes vias . . . . . **52**, 164.
Aequiparatur *argumentationi* dialecticae . . . . . ib.
Definitur et explicatur . . . . . **53-54**, 165-167.
Omnes tres praedictae viae servant inter se ordinem . . . . **99-100**, 5-7.
Ad contemplationem divinam est Christi humanitas . . . . **118**, 26.

VIATOR

Omnis meditatur; et quomodo . . . . . **118-121**, 27-31.
Percipit gustum in exercitio theologiae mysticae, qui gustus assimilatur *flori* . . . . . **157**, 113.

VIRTUS

Pertinet diversimode ad vias purgativam, illuminativam et unitivam . . . . . **24**, 31; **25**, 35.
Nullatenus compatitur in patria cum vitiis . . . . . **32-33**, 69-71.
Compatitur in via cum vitiis quoad substantiam tantum . . . ib.
Omnis, quae moderat passionibus irascibilis, affertur. . . . . **41**, 104-107.
Eius acquisitio est proficientium exercitium. . . . . **44-45**, 126-128.
Potest recipi solummodo in intellectu, voluntate, concupiscibili et irascibili . . . . . **45-46**, 131.
Perficiens in ordine ad verum subiectatur in intellectu. . . . **46**, 133.
Perficiens in ordine ad bonum subiectatur in appetitu. . . . ib.
Unica sufficit in voluntate pro qualibet actuum serie. . . . **47**, 141.
Non autem in intellectu. . . . . ib.
Ut ambit tam acquisitas, quam infusas definitur. . . . . **49**, 147-149.
Moralis quoad statum dividitur . . . . . **49-50**, 150-151.
Omnis theologalis designatur . . . . . **50**, 152.
Intellectualis dividitur . . . . . **51**, 157.
Moralis a more dicitur . . . . . **51**, 158.
Huius subiectum est appetitus . . . . . ib.
Omnis infusa connectitur semper cum caritate . . . . . **51**, 159.
Et omnis acquisita in statu perfecto . . . . . ib.
Omnis pertinet ad omnes tres status viae perfectionis. . . . **52**, 161.
Omnis tamen ut purgatoria pertinet ad viam illuminativam. . ib.
Eam elicere suum actum sine pugna vitiorum contrariorum, est signum status proficientium . . . . . **52**, 162.
Omnis tam theologalis, quam moralis exigitur in subiecto proficiente contemplationi dicato . . . . . **52**, 163.
Consideratur a theologia scholastica per ordinem ad Deum . . **115-116**, 20.
Elevans potentiam ad elicientiam theologiae mysticae non potest dici ratio formalis . . . . . **138-139**, 64-66.
Heroica excedit solum materialiter virtutem communiter dictam; et quare . . . . . **206-207**, 213-214.
Heroica et communiter dicta sunt intra eandem lineam virtutis supernaturalis . . . . . ib.
Heroica non dicit excellentiam absolutam supra virtutem communiter dictam . . . . . ib.

VISIO

Moysis. Exod., XIX, signat vias purgativam, illuminativam et unitivam . . . . . **25-26**. 36-38.
Corporea, imaginaria et intellectualis explicantur . . . . **96**, 45.
Obscura, quae in via de Deo habetur, est idem ac nullatenus videre . . . . . **236**, 274.

VITIUM

Pertinet diversimode ut terminus *a quo* ad vias purgativam, illuminativam et unitivam . . . . . **24-25**, 29-34.
Eius extirpatio attinet ad viam purgativam . . . . . **31**, 65-66.
Quod magis viget, primo extirpandum est. **31**, 66,

Eius numerus est maior quam virtutum numerus. . . . . **31**, 67.
Omne ad septem capita reducitur . . . . . ib.
Tandiu animam foedat, quandiu in eius expulsione moratur. . **32**, 68.
Nullatenus compatitur cum virtutibus quae radicantur in gratia consummata . . . . . **32-33**, 69-71.
Consideratum in esse habitus non compatitur cum virtutibus viae . . . . . ib.
Consideratum autem in esse qualitatis compatitur . . . . ib.
Superbiae vitium habet triplex remedium . . . . . **36**, 82.
Consideratur a theologia scholastica per ordinem ad Deum . . **115-116**, 20.

VOLUNTAS

Nec absolute, nec mystice unitur, quin intellectus uniatur. . . **55**, 174.
Propria debet abnegari a mystico . . . . . **247**, 30.
Angelorum voluntatibus non est impositus ordo . . . . **252-253**, 45.

VOTUM

Obediendi uni directori est validum et licitum. . . . . **277-279**, 95-101.

Catalogus Auctorum

annotatis operum editionibus quae in hoc primo tomo citantur.

ABULENSIS Cf. Tostatus.

AGUIRRE (Joseph Saenz-), O. S. B. (1630-1699) *S. Anselmi, archiepiscopi Cantuarensis,... theologia commentariis et disputationibus, tum dogmaticis, tum scholasticis illustrata.* Romae, ex typ. Dominici Antonii Herculis, 1688-1690. 3 t. in-fol.

ALBERTUS MAGNUS (B.-), O. P. (1193-1280). *Opera omnia.* Parisiis, L. Vivès, 1890-1899. 38 t. in-8°.

ALESSANDRO DI SAN FRANCESCO, C. D. (1588-1630). Cf. Ioannes a Cruce (S.-).

ALVAREZ (Didacus-), O. P. Archiepiscopus Tranensis. (†1635). *Disputationes theologicae in primam secundae.* Trani, typ. Constantini Vitalis, 1617. in-fol.

AMBROSIUS (S.-), Episc. Medion. (†397). *Opera omnia.* Migne, P. L.., t. 14-17; Parisiis, 1845.

AMBROSIUS NOVIDIUS FRACCUS FERENTINAS. (†304). *Sacrorum Fastorum libri XII, cum romanibus consuetudinibus per totum annum...* Romae, apud M. Antonium Bladum Asulanum, 1547. in-8°.

ANASTASIO DE S. TERESA, C. D., tomus VII[us] operis *Reforma de los Descalzos de Nuestra Señora del Carmen de la Primitiva observancia.* Madrid, en la imprenta real, por Don Miguel Francisco Rodriguez, 1739. in-fol.

ANDRES DE LA ENCARNACION, C. D. (†1795). *Memorias historiales;* tomo IV : *Asuntos de los manuscritos que habia en el archivo general de los Carmelitas Descaizos.* Ms. 12.254 Biblioteca Nacional de España, Madrid.

ANSELMUS (S.-), Archiep. Cantuarensis. (1033-1109). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 158-159. Parisiis, 1853-1854.

ANTIOCHUS, Laurae S. Sabinae monachus. (†629). *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 89, col. 1415-1856. Parisiis, 1860.

ANTONIUS AB ANNUNTIATIONE, C. D. (†1714). *Disceptatio mystica de oratione et contemplatione.* Compluti, Franciscus Garcia Fernandez, 1683. in-8°.

— *Quodlibeta theologica, mystica et moralia.* Matriti, 1712. in-4°.

ANTONIUS A SPIRITU SANCTO, C. D. Episc. Angulensis. (1618-1674). *Directorium mysticum in quo tres difficillimae viae, scilicet Purgativa, Illuminativa et Unitiva undique elucidantur.* Ed. cura P. Bernardi a Ss. Sacramento, C. D. Parisiis, apud L. Vivès, 1904. in-8°

ARAUJO (Franciscus de-), O. P. (†1664). *Commentaria in universam Aristotelis metaphysicam.* t. I Burgis et Salmanticae ex off. typ. Ioan.-Bapt. Varesii et Antoniae Ramirez viduae, 1617; t. II Salmanticae apud Antoniam Ramirez, 1631. in-fol.

— *Commentaria in Primam D. Thomae.* Matriti, 1647. 2 t. in-fol.

ARISTOTELES. (384-322 ante Chr.) *Aristotelis opera edidit Academia regia Borussica.* Berolini. 1831-1870; 5 t. in-4°, quorum duo primi *Aristoles graece ex recensione Immanuelis Bekkeri* (Berolini, apud Georgium Reimerum, 1831).

— *Aristotelis opera omnia graece et latine, cum indice nominum et rerum absolutissimo.* Parisiis. Firmin-Didot et Soc., 1848-1874. 5 t. in-8°.

ATHANASIUS (S.-), Episc. Alexandr. (†373). *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 25-28. Parisiis, 1857.

AUGUSTINUS (S.-), Episc. Hippon. (354-430). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 32-47. Parisiis, 1841-1849.

BALDUINUS IUNIUS, O. S. Fr. de observ. *De Romano Pontifice.* Moguntiae, 1615.

BALMA (Hugo, alias Henricus de -), O. Min. (XIII s.). *De mystica Theologia.* in « *Opera omnia S. Bonaventurae* », ed. Peltier, t. VIII, pp. 1-54. Parisiis, L. Vivès, 1866.

BANCEL (Ludovicus-), O. P. (†1685). *Brevis universae theologiae tam moralis quam scholasticae cursus.* Avenione, 1684-1692. 7 t. in-12°.

BANEZ (Fr. Dominicus-), O. P. (1527-1604). *Scholastica commentaria in Primam Partem Angelici Doctoris S. Thomae.* Duaci, typ. Petri Borremans, 1614. 2 t. in-fol.

— *Scholastica commentaria in Secundam Secundae Angelici Doctoris S. Thomae,* ib., 1615. 2 t. in-fol.

BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A Ss. SACRAMENTO, C. D. *Collectio scriptorum Ordinis Carmelitarum Excalceatorum utriusque Congregationis et sexus.* Savonae, typ. A. Ricci, 1884. 2 t. in-8°.

BARTOLO. (1313-1357). *Opera.* Lugduni, 1552. 12 vol. in 5 tomos in-fol.

BASILIUS (S.- Magnus). (329-379). *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 29-32. Parisiis, 1857.

BEKKER (Immanuel-) cf. Aristoteles.

BENEDICTUS MARIA A S. CRUCE (Zimmerman), C. D. *Les saints déserts dans l'Ordre des Carmes Déchaussés.* in *Chroniques du Carmel,* 1898, pp. 300-303; 338-341; 372-376;- 1899, pp. 82-86; 122-126; 163-165; 194-197.

BERNADOT (M. V.-), O. P. *Le texte authentique du Cantique spirituel de saint Jean de la Croix.* in *La Vie Spirituelle,* t. VII, n° 6 (Mars 1923), pp. [154]-[161].

BERNARDUS (S.-). (1091-1153). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 182-185. Parisiis, 1854-1855.

BERTHOLD-IGNACE DE SAINTE ANNE, C. D. (1819-1890) *Vie de la Mère Anne de Jésus Coadjutrice de sainte Thérèse dans l'œuvre de la Réforme du Carmel et Fondatrice de l'Ordre en France et en Belgique.* Malines, Dessain, 1876-1882. 2 t. in-8°.

Biblia sacra vulgatae editionis Sixti V Pont. Max. iussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita. Ed. critica. P. Michaelis Hetzenauer, O. Min. Cap. Editio altera emendatior. Ratisbonae et Romae, Fr. Pustet, 1922. in-8°.

Biblia sacra cum glossa ordinaria a STRABO FULDENSI *Monacho Benedict. collecta... et Postilla* NIC. LIRANI FRANC. *cum additionibus* PAULI BURGENSIS EPISC. *ac* MATTHIAE THORINGI *replicis Theolog Duacensium studio emendatis.* Antverpiae, apud Ioannem Meursium, 1634. 6 t. in-fol.

Bibliotheca Carmelitico-Lusitana, historica, critica, chronologica, auctore P. N. Carmelitano. Romae, Ioannes Generosus Salomonius, 1754. in-4°.

BONAVENTURA (S.-), O. S. Min., Cardinalis. (1221-1274). *Opera omnia.* Ad Aquas claras (Quaracchi), 1882-1902. 10 t. in-fol.

— *Opera omnia.* Editio accurate recognita... cura et studio A. C. Peltier. Parisiis, L. Vivès, 1864-1871. 15 t. in-4°.

BONELLI (Benedictus-). *Podromus ad opera omnia S Bonaventurae.* Venetiis, Bassani, 1767.

Bullarium Capucinorum. cf. Michael Helveticus Tugiensis.

Bulletin Hispanique, t. XXIV (1922). Bordeaux, Feret & Fils.

BZOVIUS (Abraham-Polonus), O. P. *Romanus Pontifex seu de praestantia, officio, autoritate, virtutibus, felicitate, rebusque praeclare gestis Romanorum Pontificum a D. Petro usque ad Paulum V P. Optim. Max. Commentarius.* In-fol. sine indicatione loci impressionis; licentiae impr. datae sunt Romae 1618 et Coloniae Agrippinae 1619.

CAIETANUS (Thomas de Vio-), O. P., Cardinalis. (1469-1534). *Commentaria in Summam theologiae S. Thomae Aquinatis.* in-fol. t. IV-XII *Operum omnium S. Thomae Aq.* editionis Leoninae. Romae, typ. polyglotta, 1888-1906.

— *Super praedicabilia Porphyrii et Aristotelis Praedicamenta ac Posteriorum analyticorum libros et opusculum S. Thomae De Ente et Essentia praeclarissima commentaria, annotationes ac quaestiones,* etc. Venetiis apud Hieronymum Scotum, 1554. in-fol.

CARAMUEL (DD. Ioannes-). *Caramuelis Dominicus : hoc est, Venerabilis P. Dominici a Iesu-Maria Parthenii Ordinis Carmelit. Excalceat. Generalis, virtutes, labores, prodigia, ecstases, et revelationes; quibus lectorum instruitur ingenium, et voluntas formatur.* Est opus universis Ascetis et Contemplativis :... maxime necessarium. Viennae in Austria, apud Matthaeum Cosmerovium, 1655. in-fol.

CARPZOVIUS (Benedictus-). *Practica nova imperialis Saxonica rerum criminalium in partes III divisa.* Wittebergae, sumpt. Haered. D. Tobiae Mevii et Eberti Schumacheri; Francofurti, typ. Balthas. Christophori Wustii, Sen., 1684. 3 t. in-fol.

CASSIANUS (Ioannes-). (†450). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 49-50; Parisiis, 1846.

CHEVALIER (Fr. Ph.-), O. S. B. *Le cantique spirituel de saint Jean de la Croix a-t-il été interpolé ?* in *Bulletin Hispanique,* t. XXIV, n° 4 (oct.-déc., 1922). Bordeaux, Feret & Fils.

Chroniques du Carmel. Alost (et alibi), 1889 et sqq.

CHRYSOSTOMUS. cf. Ioannes Chrysostomus.

CICERO (Marcus Tullius-). (106-43 ante Chr.) *Opera uno volumine comprehensa ex recensione Ioannis Augusti Ernestii studiose recognita edidit Car. Frid. Aug. Nobbe.* Lipsiae, ex off. Caroli Tauchnitii, 1827. in-4°.

CLAUDUS CLAUDIANUS (365-408). *Claudi Claudiani poetae praegloriosissimi quae exstant, Gaspar Barthius recensuit et animadversionum librum adiecit.* Hanoviae, in Bibliopolio Willeriano, 1612. 2 t. in-8°.

— *Œuvres complètes.* Collection Nisard. Paris, Firmin-Didot, 1850.

CLEMENS ALEXANDRINUS (c. 160-217). *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 8-9. Parisiis, 1857.

COMPLUTENSES. (XVII s.). seu *Collegium Complutense philosophicum Discalceatorum Fratrum Ordinis B. M. de Monte Carmeli* ARTIUM CURSUS. Francofurti ad Moenum, sumpt. Gasparis ab Rath, 1629. 4 t. in-4°. — Lugduni, sumpt. Ioannis-Amati Candy, 1637, 4 t. in-4°.

COMPLUTENSES ABBREVIATI cf. Ioannes ab Annuntiatione.

CONCILIA cf. Labbeus.

Constitutiones Fratrum Discalceatorum Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo Primitivae observantiae Congregationis Hispaniae a SS. D. N. Alex. Papa VII confirmatae die 3 Iulii anno MDCLVIII Pontificatus sui anno quarto. Matriti, ex off. Haeredum Antonii a Roman, 1701, in-8°.

— *Constitutiones Fratrum Discalceatorum Congregationis Sancti Eliae Ordinis Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo.* Romae, typographia Menicanti, 1847. in-12°.

CORNELIUS A LAPIDE (Petrus-, alias van der Steen), S. I. (1566-1637). *Commentaria in Scripturam Sacram.* Parisiis, L. Vivès, 1857-1861. 23 t. in-8°.

COSMAS DE VILLIERS, O. CARM. (XVIII s.) *Bibliotheca Carmelitana notis criticis et dissertationibus illustrata.* Aurelianis, I. Rouzeau-Montaut et M. Couret de Villeneuve, 1752. 2 t. in-fol.

DAVID AUGUSTANUS, O. Min. († 1271 vel 1272). *De profectu religiosorum.* (Opusculum falso S. Bonaventurae adscriptum.) In editione Peltier *Operum omnium S. Bonaventurae,* t. XII, pp. 327-442; Parisiis, L. Vivès, 1864-1871. Deest in editione Quaracchi.

— *Speculum disciplinae ad novitios.* (Opusculum falso S. Bonaventurae adscriptum.) In ed. Peltier, t. XII, pp. 443-497. In ed. Quaracchi (1898), t. VIII, pp. 583-622.

Defensa o Apologia de el libro intitulado Subida del alma a Dios, y entrada de el alma al Parayso Espiritual escrito en dos tomos. Ms. huius operis anonymi in conventu nostro Burgensi asservatur.

DENZIGER (Henricus-) -BANNWART (Clemens-), S. I. *Enchiridion Symbolorum, Definitionum et Declarationum de rebus fidei et morum.* Editio 10. Friburgi Brisgoviae, sumptibus Herder, 1908. in-8°.

DIONYSIUS AREOPAGITA (Pseudo-). (V s.). *Opera omnia.* Argentorati, 1503,

— *Opera omnia.* Ed. Corderii (graece et latine); Migne, P. G., t. 3-4. Parisiis, 1857.

— *Translatio antiqua (latina),* quae datur apud B. Albertum Magnum, O. P., tomo XIV *Operum omnium,* ed. L. Vivès, Parisiis, 1892.

DIONYSIUS CARTUSIANUS (alias-van Ryckel). (1402-1471). *Opera omnia.* Monstrolii-Tornaci, typis Cartusiae S. M. de Pratis, 1896-1912. 41 t. in-4°.

DOMINICUS DE MARINIS. cf. Marinis.

EDUARDO DE S. TERESA, C. D., *Prelados ó Superiores de la Congregación de España.* in *El Monte Carmelo* (Burgos), t. VII, num. 148 - t. XI, num. 236 (desde el 1° de Septiembre de 1906, p. 649 hasta el 1° de Mayo de 1910, p. 346).

El duendo crítico de Madrid. Obra historica politica del siglo pasado adornada con más de 100 grabados en madera, varias vistas y retratos de personages que figuran en ella. Publicada por una sociedad de artistas. Madrid imprenta de D. Domingo Vila 1844. in-8°, pp. 192. Constat ex duabus partibus : a) *Escritos del duende crítico de Madrid* (pp. 5-136); b) *Biografia de Don Manuel Freire de Silva ó sea F. Manuel de san José Carmelita Descalzo, autor del Duende crítico de Madrid.* (pp. 137-192). Quae *Biografia* datur iuxta antiquum Ms.

El Monte Carmelo. Madrid-Santander-Burgos, 15 de Enero, 1900, sqq.

ESTIUS (Guilielmus-). *In omnes Divi Pauli et septem catholicas apostolorum epistolas* Lovanii, typ. I. P. G. Michel, 1778. 12 t. in-8°.

Etudes Carmélitaines Historiques et Critiques sur les Traditions, les Privilèges et la Mystique de l'Ordre par les Carmes Déchaussés. Février, 1911, et suiv.

FERRARA (Franciscus de Sylvestris Ferrariensis), O. P. († 1528). *Commentaria in Summam contra Gentiles.* In editione Leonina *Operum omnium S. Thomae Aquinatis,* t. XIII (comprehendit lib. I et II). Romae, 1918.

FERRE (Fr. Vincentius-), O. P. († 1682). *Tractatus theologici in Primam et Primam secundae D. Thomae.* Salmanticae, 1675-1690. 6 t. in-fol.

FLANDRIA (Magister Dominicus de -), O. P. († 1500). *Quaestionum super XII libros Metaphisicea* (sic). Venetiis, MCCCCXCIX die XX augusti (sine paginatione).

FLORENCIO DEL NINO JESUS, C. D. *Reparos a la crítica de un crítico.* in *Mensajero de Santa Teresa,* t. I, num. 6, 9, 10, 11, etc. (1923-1924), pp. 170-177; 284-289; 323-328; 361-367; etc.

— *La Orden de Santa Teresa, la Fundación de la Propaganda Fide y las Misiones Carmelitanas.* Madrid, Nieto y C^{a}, 1923. in-8°.

— *El V. P. Fr. Juan de Jesús Maria Preposito General de los Carmelitas Descalzos* (1564-1615). *Su vida, sus escritos y sus virtudes.* Burgos, tip. de « *El Monte Carmelo* », 1919. in-8°.

FRANCISCUS A SANCTA MARIA, C. D. (1567-1649). *Reforma de los Descalzos de Nuestra Señora del Carmen de la Primitiva observancia; hecha por santa Teresa de de Jesus en la antiquisima Religion, fundada por el gran Profeta Elias.* t. I (in-fol.) Madrid, por Diego Diaz de la Carrera, 1644; t. II, Madrid, 1720 (sine nomine editoris). (Ceteri tomi aliis auctoribus debentur).

FRANCISCUS SALESIUS (S.-), Episc. Gen. (1567-1622). *Œuvres complètes.* Nancy, Vagner, 1865-1866. 10 t. in-8°.

FRANCISCUS A S. THOMA, C. D. (†1707). *Medula Mystica, sacada de las divinas letras, de los santos Padres, y de los mas classicos doctores mysticos, y escolasticos.* Segunda impression, añadida por su autor. Madrid, Manuel Ruiz de Murga, 1702.

GABRIEL A S. VINCENTIO, C. D. (†1671). *In universam Primam partem Summae Angelicae.* Romae, typis Philippi Mariae Mancini, 1664.

GELLIUS (Aulus-). *Noctium atticarum commentarius.* Lugduni Batavorum, apud Hieronymum de Vogel, 1644. in-12°.

GERARDO DE SAN JUAN DE LA CRUZ, C. D. (†1922). cf. Ioannes a Cruce.

GERSON (Ioannes Charlier-), (1363-1429). *Opera omnia.* Antwerpiae, sumptibus Societatis, 1706. 5 t. in-fol.

Glossa ordinaria. cf. *Biblia sacra cum glossa ordinaria.*

GODEFRIDUS VITERBIENSIS, (†1191). *Pantheon sive Memoria Saeculorum.* Migne, P. L., t. 198, col. 875-1044; Parisiis, 1855.

GODINEZ (Michael Wading, alias-), S. I. (1591-1644). *Praxis theologiae mysticae.* Opusculum selectum et latine redditum a P. Emmanuele Ignatio de la Reguera eiusdem societatis. Parisiis, P. Lethielleux, 1921. in-8°.

GONET (I. Bapt.-), O. P. (†1681). *Clypeus Theologiae thomisticae contra novos eius impugnatores.* Parisiis, L. Vivès, 1875-1876. 6 t. in-8°.

GOTHOFREDUS. cf. Godefridus Viterbiensis.

GREGOIRE DE S. JOSEPH, C. D. cf. Theresia (S.-)

GREGORIUS MAGNUS (S.-), Papa (540-604). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 75-79. Parisiis, 1849.

GROSTHEAD (Robertus-), Episc. Lincolniensis. (c. 1175-1253). *Commentarius in Theologiam mysticam Dionysii Areopagitae.* Exstat in editione Argentoratensi (Strasbourg), 1503, *Operum Dionysii Areopagitae.*

GUADALUPE (Andreas de Guiros de-), O. Min. (†1668). *Mystica theologia supernaturalis infusa ex sacra pagina, D. Dionysio Areopagita, D. Bonaventura aliisque SS. PP. et doctoribus computa.* Matriti, ex typ. regia, 1665. In-fol.

GUIBERTUS (Abbas de Novigento). (†1124). *Sermo in verba Sapientiae.* Migne, P. L., t. 184, col. 1031-1044.

GUIGO I (V prior maioris Cartusiae). (1083-1137) (1). *Epistola seu tractatus ad fratres de Monte Dei.* Migne, P. L., t. 184, col. 307-364; Parisiis, 1854.

---

(1) Dum hic *catalogus auctorum* praelo dandus erat, in lucem venit continuatio et finis articuli Patris A. WILMART : *Les écrits spirituels des deux Guiges [Revue d'Ascétique et de Mystique,* t. V, num. 18 (avril 1924), pp. 127-158]. In articulo probatur : 1) opus *Scala claustralium,* circa a. 1145 conscriptum, non Guigoni I, sed Guigoni II tribuendum esse (cf. pp. 127-135 et 158); — 2) opus vero *Epistola seu tractatus ad fratres de Monte Dei,* similiter circa a. 1145 compositum, Guillelmum, abbatem Sancti-Theodorici et postea monachum o. cisters. Signiacensem, auctorem habuisse (cf. pp. 144-158). Ideoque nota (7) pag. 90 et nota (9) pag. 91 corrigendae sunt.

— *Scala claustralium sive tractatus de modo orandi.* Migne, P. L., t. 184, col. 475-484 (Parisiis, 1854); et t. 40, col. 997-1004 (Parisiis, 1841), ubi inter *spuria* S. Augustini datur sub titulo « *Scala Paradisi* », sed absque prologo et epilogo.

HANNIBALDUS. (XIII s.). *Scriptum super libris Magistri Sententiarum ad Hannibaldum Hannibaldensem.* In editione L. Vivès *Operum omnium D. Thomae,* t. XXX, Parisiis, 1878.

HENRICUS DE BALMA, cf. Balma.

HETZENAUER (Michael-) cf. *Biblia Sacra.*

HIERONYMUS (S.-). (344-420). *Opera Omnia.* Migne, P. L., t. 22-30. Parisiis, 1845-1846.

HORATIUS (Quintus-Flaccus). (65-8 a. Chr.). *Opera.* Ed. M. F. Dubner. Parisiis, V. Lecoffre.

HOYERUS (Fr. Michael-). *Flammulae amoris S. P. Augustini versibus et iconibus exornatae.* Antverpiae, apud Henricum et Cornel. Verdussen, 1708.

HUGO AETHERIANUS. (XII s.). *De Haeresibus quas Graeci in Latinos devolvunt libri tres, sive Quod Spiritus Sanctus ex utroque, Patre scilicet et Filio, procedat, contra Graecos.* Migne, P. L., t. 202, col. 227-396, Parisiis, 1855.

HUGO A S. VICTORE. (1097-1141). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 175-177. Parisiis, 1854.

HUGO DE BALMA. cf. Balma.

HURTADO (Thomas-), Cler. Reg. minor. (†1659). *Tractatus varii Resolutionum moralium.* Lugduni, sumptibus Laurentii Anisson, 1651. 2 t. in-fol.

HURTER, S. I. *Nomenclator literarius Theologiae Catholicae.* Oeniponte, Libraria academica Wagneriana, 1903-1913. 5 t. in-8°.

ILDEPHONSUS A S. AUGUSTINO.

INNOCENTIUS III Papa. (1160-1216). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 214-217. Parisiis, 1855.

IOANNES AB ANNUNTIATIONE, C. D. (†1701). *Collegii Complutensis Fr. Discalceatorum B. M. de Monte Carmeli* ARTIUM CURSUS *ad breviorem formam collectus, et novo ordine atque faciliori stylo dispositus.* Lugduni, Petrus Chevalier, 1670. 5 t. in-4°.

IOANNES CHRYSOSTOMUS (S.-), Patriarcha Constantin. (344 ?-407) *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 48-64. Parisiis, 1859-1860.

IOANNES CLIMACUS. (VI-VII s.). *Opera omnia.* Interprete Matthae Radero, S. I. (graec. et lat.) Lutetiae Parisiorum, sumptibus Sebastiani Cramoisy, 1633. In-fol.

IOANNES A CRUCE, (S.-), C. D. (1542-1591). *Obras del Místico Doctor san Juan de la Cruz.* Edición crítica... con introducciones y notas del P. Gerardo de S. Juan de la Cruz, C. D. Toledo, V^a é Hijos de J. Pelaez, 1912-1914. 3 t. in-8°.

— *Opere spirituali del Beato Padre F. Giovanni della Croce...* Tradotte dalla Spagnuola nella lingua Italiana dal P. F. Alessandro di san Francesco. In Venetia, appresso Bertani, 1680.

— *The ascent of Mount Carmel. Translated by* DAVID LEWIS. London, Thomas Baker, 1906. in-8°.

IOANNES DAMASCENUS. (†c. 749). *Opera omnia.* Migne, P. G., t., 94-96. Parisiis, 1860.

IOANNES HIEROSOLYMITANUS XLIV (vel XLII?) (?). (Floruit circa a. 400). *Opus imperfectum in Matthaeum.* Migne, P. G., t. 56, col. 601-612. Parisiis, 1859.

IOANNES A IESU MARIA (Ven.-), C. D. (1564-1615). *Opera omnia.* Coloniae Agrippinae apud Iodocum Kalcovium, 1650. 4 t. in-fol.

— *Opera omnia,* Florentiae (typis variis), 1771-1774. 3 t. in-fol. Cura P. Ildephonsi a S. Aloysio, C. D.

IOANNES A S. THOMA, O. P. (†1644). *Cursus theologicus in Summam theologicam D. Thomae.* Nova editio, Parisiis, L. Vivès, 1883-1886. 10 t. in-8°.

IOSEPH A IESU MARIA (QUIROGA), C. D. *Subida del alma á Dios y Entrada en el Parayso Espiritual...* En la imprenta de Maria Estevez, viuda. Año de 1694. In-8° (20-15 cm.), pp. 520, sine indicatione loci editionis; probabiliter est secunda editio Salmanticensis, cum licentia Ordinarii concessa fuerit Salmanticae, die 17 maii 1694 : « *Para que pueda dar y dé á la estampa é impresion segunda vez el libro...* » — Hoc volumen quo opera continet: 1) *Subida del alma á Dios que aspira á la divina union,* pp. 1-210; et 2) *Entrada del alma al Parayso Espiritual (que es la segunda parte de la Subida del alma á Dios y Entrada en el Parayso Espiritual),* pp. 211-480 Tabla de autoridades y Indice pp. 481-510; 511-520.

IOSEPH A SPIRITU SANCTO (Lusitanus), C. D. (1609-1674). *Cadena mystica Carmelitana de los autores Carmelitas Descalzos, Por quien se ha renovado en nuestro siglo la Doctrina de la Theologia mystica... Formada en metodo de las Colaciones Espirituales del Carmelo Heremitico.* Madrid, Antonio Gonçalez de Reyes. 1678. In-fol.

ISIDORUS A S. IOSEPH-PETRUS A S. ANDREA, C. D. (†1666; 1671). *Historia generalis Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Virginis Mariae de Monte Carmelo Congregationis S. Eliae.* Romae, typis Philippi Mariae Mancini, 1668-1671. 2 t. in-fol.

IUSTUS RICLEI. *Paulo V Pontifici Maximo.*

JOSÉ DE S. JUAN DE LA CRUZ, C. D. *Apuntes bio-bibliograficos* in *El Monte Carmelo,* t. VII, num. 1 (Enero 1906), pp. 20-22.

JOSÉ DE S. TERESA, C. D. tomus IV^us^ operis *Reforma de los Descalzos de Nuestra Señora del Carmen de la Primitiva observancia.* Madrid, Julian Paredes, 1684. in-fol.

LABBEUS (Philippus-), S. I. (1594-1680) — COSSARTIUS (Gabriel-), S. I. *Sacrosancta Concilia ad regiam editionem exacta quae olim quarta parte prodiit auctior.* Venetiis, 1728-1733. 21 t. in-fol.

LAURENTIUS A S. THERESIA, C. D. (†1670). *Specilegium theologicum seu difficiliores Controversiae selectae ex Summa sancti Thomae discussae, et resolutae ad mentem eiusdem Angelici Doctoris.* Opus posthumum. Romae, ex typ. Iosephi Vannaccii, 1682. 5 t. in-fol.

LINCOLNIENSIS cf. Grosthead.

LOPEZ EZQUERRA (Ioseph-). *Lucerna mystica pro directoribus animarum.* Bassani, 1782, sed prostant Venetiis apud Remondini. In-8°.

LUCRETIUS CARUS. (95-51 a. Chr.). *Œuvres complètes,* Collection Nisard. Paris, J. J. Dubochet et C^ie^, 1843.

LYRA (seu Nicolaus Lyranus). (†1340). Cf. *Biblia sacra cum glossa ordinaria...*

MAGISTER SENTENTIARUM cf. Petrus Lombardus.

MANDONNET (Pierre -), O. P. *Des écrits authentiques de S. Thomas d'Aquin.* Seconde édition revue et corrigée. Fribourg, impr. de l'Œuvre de Saint-Paul, 1910. in-8°.

MANUEL DE SAN JOSEPH, C. D. tomus VIII^us^ operis *Reforma de los Descalzos de Nuestra Señora del Carmen de la Primitiva observancia.* Año de MDCCLILIX (sic). in-fol., pp. XLII-838 -VIII. Ms. asservatur in conventu nostro Burgensi.

MARIE-AMAND DE S. JOSEPH, C. D. *Remarques sur l'édition critique des œuvres de s. Jean de la Croix. in « La Vie Spirituelle »,* t. IX, n° 2 (Novembre, 1923), pp. [43]-[47].

MARIE-JOSEPH DU S. C., C. D.; cf. *Etudes Carmélitaines.*

MARINIS (Dominicus de -), Archiepisc. Avenion. (†1669). *Expositio commentaria in totam Primam Partem Angelici Doctoris Sancti Thomae.* Lugduni, sumpt. Philippi Borde. et Laur. Arnaud, 1662. In-fol.

MARO cf. Virgilius.

MARTIALIS (Marcus Valerius -). (c. 43-105). *Œuvres complètes.* Collection Nisard. Paris, Firmin-Didot, 1878.

MARTIALIS A S. IOANNE BAPTISTA, C. D. (1666-1736). *Bibliotheca scriptorum utriusque Congregationis et sexus Carmelitarum Excalceatorum.* Burdigalae, typis Petri Sejourne, 1730. In-4°.

MARTIN DE SAN VICENTE, C. D. (XVIII s.). *Declamacion funeral en las exequias celebradas en nuestro convento de Carmelitas Descalzos de San Lucar en Barrameda por N. R. P. General Joseph del Espiritu Santo, predicada por el P. Martin de san Vicente.* Impresa en Cadiz 1736.

MATTHIAS THORINGUS cf. *Biblia sacra cum glossa ordinaria...*

MENOCHIUS (Iacobus-) *De praesumptione, Coniecturis, signis et indiciis commentaria in sex distincta libros et recens in lucem edita.* Coloniae Agrippinae, apud Antonium Hierat, 1628. In-fol.

MENOCHIUS (Ioannes Stephanus —), S. I. (+ 1655). *Biblia sacra Vulgatae editionis cum commentariis Menochii e societate Jesu, quibus accedit supplementum a P. Tourneminio.* Gandae, P. J. van Ryckegem, 1829-1830. 15 t. in-8°.

Mensajero de Santa Teresa. Madrid, 15 de Marzo, 1923 sqq.

MICHAEL HELVETICUS-TUGIENSIS. *Bullarium Capucinorum.* Romae, typ. Ioan. Zempel, 1740-1752. 7 t. in-fol.

MIGNE (Iacobus Paulus-). (1800-1875). *Patrologiae cursus completus:* Series I latina, 222 t. in-4°, Parisiis, 1841 sqq.;-Series II graeca, 166 t. in-4°, Parisiis, 1857 sqq.

NAZARIUS (Ioannes Paulus-Cremonensis), O. P. (1565-1645 vel 1646). *Commentaria et controversiae in primam partem D. Thomae Aquinatis.* Bononiae, apud Haeredes Ioannis Rossii, 1619-1627. 6 t. in-fol.

ORIGENES (185-253). *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 11-17. Parisiis, 1857-1860.

PALANCO (Franciscus —) O. Min. *Opera omnia.* Matriti, typ. regia, 1703-1722. 10 t. in-fol.

PAULUS BURGENSIS (seu Paulus a S. Maria), Episc. (+ 1435). cf. *Biblia sacra cum glossa ordinaria...*

PAULUS WINFRIDUS DIACONUS (+795 vel 797). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 95, col. 419-1704. Parisiis, 1851.

PETRUS LOMBARDUS (Magister Sententiarum), Episc. Paris. (†1160). *Libri quatuor sententiarum.* cf. tom. VII-XI *Operum omnium D .Thomae Aquinatis editionis* L. Vivès, Parisiis, 1871-1876.

PHILIPPUS A SS. TRINITATE, C. D. (1603-1671). *Summa theologiae mysticae.* Ed. cura P. Bertholdi-Ignatii a S. Anna, C. D. Bruxellis, Alfredus Vromant, 1874. 3 t. in-8°.

PLUTARCHUS CHAERONENSIS (+ c. 125). *Opera moralia, graece et latine.* Parisiis, Ambr. Firmin-Didot, 1868. In-8°.

PORPHYRIUS (232 vel 233-304). *ΠΟΡΦΥΡΙΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΟΥ ΑΦΟΡΜΑΙ ΠΡΟΣ ΤΑ ΝΟΗΤΑ (Porphyrii Philosophi Sententiae ad intelligibilia ducentes).* Graece et latine inveniuntur pp. XXXI-XLVIII in opere *ΠΛΩΤΙΝΟΣ. Plotini Enneades* cum Marsilii Ficini interpretatione castigata iterum ediderunt Frid. Creuzer et Georg. Henricus Moser. Primum accedunt *Porphyrii et Procli Institutiones et Prisciniani Philosophi Solutiones* ex codice sangermanensi edidit et annotatione critica instruxit Fr. Dübner. Parisiis, Ambr. Firmin-Didot, 1855.

POULAIN (Aug. —) S. I. *Des grâces d'oraison. Traité de théologie mystique.* 7e et 8e éd. Paris, Gabriel Beauchesne & Cie, 1909. in-8°.

Protocolo deste convento de la Concepcion de Carmelitas Descalzos de Ecija dispuesto por N° reverendo Padre Fray Antonio de Jesus Maria. Hizose el año de 1657. Opus a quibusdam aliis postea persecutum. Ms. asservatur in archivo novi conventus Astigitani (Écija).

QUINTILIUS (Marcus Fabius —) (I s). *Oratoriae Institutiones.* Collection Nisard. Paris, Firmin-Didot, 1858. In-8°.

Revue d'Ascétique et de Mystique. Toulouse-Paris, 1920 et suiv.

RICHARDUS A S. VICTORE, (†1173). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 196. Parisiis, 1855.

ROBYNS (Jean-Paul —). *L'esprit de la Doctrine Celeste de S. Terese Et ses Sentiments Divins reünis pour la plus grande commodité des Lecteurs.* A Anvers, chez Jean Paul Robyns, 1707. in-8°.

RODULPHUS DE BIBRACO, O. Min. (c. 1360). *De septem itineribus aeternitatis.* cf. *Opera omnia S. Bonaventurae,* ed. Peltier (Parisiis, L. Vivès, 1864-1871), t. VIII, pp. 393-482. Deest in ed. Quaracchi.

RUPERTUS (Hieronymus-), O. S. B. (†1135). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 167-170. Parisiis, 1854.

SALMANTICENSES (XVII-XVIII s.). *Collegii Salmanticensis Carmelitarum Discalceatorum Cursus theologicus Summam theologicam Ang. Doct. D. Thomae complectens.* (i. e. Cursus Dogmaticus). Parisiis, V. Palmé, 1870-1882. 20 t. in-8°.

Schola Veritatis

SENECA (2-66). *Œuvres complètes.* Collection Nisard. Paris, Firmin-Didot, 1855.

SILVERIO DE SANTA TERESA, C. D. cf. Theresia (S.-).

SILVESTER MAZOLINI DE PRIERO, O. P. (+ 1523). *Summae Sylvestrianae quae summa summarum merito nuncupantur.* Antverpiae, ex off. Philippi Nutii, 1581. 2 t. in-fol.

— *Conflatum in duo distinctum volumina.* Romae, 1516.

SOLINUS (Iulius-). *Ioannis Camertis Minoritani, Artium et sacrae Theologiae Doctoris, in* CIVLII Solini *ΠΟΛΥΪΣΤΩΡΑ Enarationes.* Viennae Austriae, per Ioan. Singrenium impensis honesti Lucae Alante, 1520. In-fol.

STRABO (Walafridus-Fuldensis) (807-849). cf. *Biblia sacra cum glossa ordinaria...*

SUAREZ (Franciscus-), S. I. (1548-1617). *Opera omnia.* Parisiis, L. Vivès, 1856-1878. 28 t. in-8°.

SYLVESTER cf. Silvester.

THERESIA (S.), C. D. (1515-1582). *Obras de Sta Teresa de Jesús* editadas y anotadas por el P. Silverio de santa Teresa, C. D. Burgos, « El Monte Carmelo », 1915-1919. 6 t. in-8°. (Desunt epistolae).

— *Lettres de Sainte Thérèse* traduites par le R. P. Grégoire de S. Joseph, C. D. 2e ed., Rome, Pustet, 1905. 3 t. in-8°.

THOMAS A IESU (Ven.-), C. D. (1564-1627). *Opera omnia.* Coloniae Agrippinae, apud Ioan. Wilhelmum Friessem iuniorem, 1684. 2 t. in-fol.

THOMAS A KOTTZING vel KOCZEN (XV s.) *Tractatus de Elevatione mentis in Deum cui titulus est Alphabetum divini amoris.* cf. *Opera omnia Ioannis Gerson,* t. III, col. 769-800; Antwerpiae, sumptibus Societatis, 1706.

THOMAS AQUINAS (S.-), O. P. (1225-1274). *Opera omnia iussu impensaque Leonis XIII P. M. edita.* Romae, typ. polyglotta, 1882-1918. (Hucusque 13 t. in-fol.; editio nondum est completa).

— *Opera omnia.* Parisiis, L. Vivès, 1871-1876. 31 t. in-8°.

THOMAS A. S. RAPHAELE, C. D. (XVIII s.) *Bibliothecae Carmelitanae P. Martialis parva correctio.* Ms. 333-121 universitatis Hispalensis.

— *Memorias de los Carmelitas Descalzos de Andalucia Baja.* Tomo secundo. Año de 1784. Ms. 332-29 universitatis Hispalensis.

TOSTATUS (Alphonsus-), Episc. Abulensis, (1400-1455). *Opera omnia.* Coloniae Agrippinae, sumpt. Ioan. Gymnici et Anton. Hierati, 1613. 13 t. in-fol.

TUSCH (alias TUSCUS) *Practicarum conclusionum iuris in omni Foro frequentantium.* Romae, ex typ. Stephani Pauli, 1605. 8 t. in-fol.

VALERIUS MAXIMUS (Is.). *Dictorum Factorumque Memorabilium libri IX.* Antverpiae, apud Hieronymum Verdussen, 1678.

VALLGORNERA (Thomas a-), O. P. (1595-1665). *Mystica theologia divi Thomae utriusque Theologiae scholasticae et mysticae Principis.* Editio tertia. (J. J. Berthier). Augustae Taurinorum, P. Marietti, 1911. 2 t. in-8°.

VAZQUEZ (Gabriel —), S. I. (1551-1604). *Commentaria ac Disputationes in primam partem Sancti Thomae.* Lugduni, sumpt. Iacobi Cardon, 1631. In-fol.

La Vie Spirituelle Ascétique et Mystique. Saint-Maximin (Var), Octobre 1919 et suiv.

VILLER (Marcellus-), S. I. *Le « Speculum Monachorum » et la « Dévotion Moderne ».* Cf. *Revue d'Ascétique et de Mystique,* t. III, num. 9 (Janv. 1922), pp. 45-56.

— *Nider est-il l'auteur de l'« Alphabetum Divini Amoris » ?* cf. ib., t. IV, num. 16 (Oct. 1923), pp. 367-381.

VINCENTIUS FERRERIUS (S.), O. P. (1350-1419). *Tractatus Vitae Spiritualis.* Salmanticae, 1543.

— *Les Traités de la Vie et Perfection spirituelles de S. Vincent Ferrier et du B. Albert le Grand, traduits et expliqués...* par le R. P. Matthieu-Joseph Rousset. Paris, Lethielleux, 1899. pet. in-8°.

VIRGILIUS (Publius Maro-) (70-19 a. Chr.) *Opera.* Nouvelle édition publiée par E. Benoist-M. Duvau. 23e éd., Paris, Hachette, 1917. (Petit. in-8°).

— *Œuvres complètes.* Collection Nisard. Paris, J. J. Dubochet, 1843.

WADDINGEN (Lucas-), O. Min. (1588-1657). *Scriptores Ordinis Minorum.* Romae, 1650. In-fol.

WASTELIUS (Petrus —), O. Carm. (+ 1658). *Ioannis Nepotis Sylvani Hierosolymitani Episcopi XLIV... Opera omnia cum vindiciis.* Bruxellae, typ. Ioannis Mommartii, 1643, 2 t. in-fol.

WILMART (André-), O. S. B. *Les écrits spirituels des deux Guiges.* in *Revue d'Ascétique et de Mystique,* t. V, num. 17 (Janvier 1924), pp. 59-79.

Index onomasticus auctorum

Numerus pinguior paginam designat, alius vero numerum marginalem.

ABULENSIS cf. Tostatus.
AGUIRRE (Ioseph Saenz-). **1**.
ALBERTUS MAGNUS (B.-). **3**, 7-8; **217**, 242; **223**, 252; **236**, 274.
ALLESSANDRO DI SAN FRANCESCO. **130**, 48.
ALPHONSUS AB ANGELIS. **298**.
ALVAREZ (Didacus-). **265**, 73.
AMBROSIUS (S.-). **XIX**; **20**, 6; **210**, 218; **219**, 247; **235**, 274.
AMBROSIUS NOVIDIUS FRACCUS FERENTINAS. **XX**.
ANASTASIO DE SANTA TERESA. **XIII**; **XVII**; **290**.
ANDREAS A MATRE DEI. **298**.
ANDRES DE LA ENCARNACION. **XIII**; **XIV**.
ANSELMUS (S.-). **XXI**.
ANTIOCHUS (Abbas-). **193**, 190; **221**, 249.
ANTONINUS (S.-) **263**, 70.
ANTONIUS AB ANNUNTIATIONE. **1**; **27-28**, 46; **85**, 74; **94**, 31; **124**, 39; **127**; **139**, 66; **148**, 85, 89; **149**, 89-91; **222-223**, 250; **260** 64; **278**, 96; **287**.
ANTONIUS A S. IOANNE BAPTISTA. **298**.
ANTONIUS A. S. IOSEPH. **XVI**.
ANTONIUS A MATRE DEI. **289**; **297**.
ANTONIUS A SPIRITU SANCTO. **38**, 94; **40**, 100; **55**, 172; **65**, 39; **87**, 83; **88**, 88; **95**, 32; **101**, 14; **137**, 58; **204**; 210; **287-288**.
ARAUJO. **146**, 81; **260**, 64; **263**, 70.
ARISTOTELES, **19**, 1; **41**, 105; **46**, 135; **49**, 147; **55**, 175; **68**, 1; **89**, 1; **94**, 30; **111**, 11; **132**, 50; **139**, 67; **145**, 81; **155**. 106;**176**, 152; **179**, 155; **180**, 156; **181**, 158; **187**, 173, 176; **190**, 182; **205**, 211; **206**, 214; **207**, 214-215; **219**, 247; **243**, 17; **244**, 20; **246**, 27; **247**, 31; **258**, 62; **272**, 85; **283**, 115.
ATHANASIUS (S.-). **167**, 136; **258**, 62.
AUGUSTINUS (S.-). **51**, 158; **57**; **89**, 1; **90**, 5; **111**, 11; **116**, 21; **122**, 37; **123**, 38; **167**, 137; **184**, 163; **190**, 183; **196**, 194; **199**, 200; **219**, 247; **228-229**, 264; **235**, 274; **239**, 8; **240**, 9-10; **241**, 11; **251**, 41; **253**, 45; **255**, 47.
BALMA (Hugo, alias Henricus de-). **44**, 123; **116**.
BANCEL. **189**, 180; **190**, 181; **194**, 191; **196**, 195; **206**, 212.
BANEZ. **138**, 64; **142**, 74; **143**, 76; **145**, 81; **147**, 84; **219**, 247; **228**, 263.
BARBOSA. **296**.
BARTHOLOMAEUS A S. ANGELO-HENRICUS M. A SS. SACRAM. **IX**; **XVII**; **287-293**; **295-298**; **300**.
BARTOLO. **67**, 48.
BASILIUS (S.-). **275-276**, 94.
BENEDICTUS MARIA A S. CRUCE (Zimmerman). **XIII**; **300**.
BERNADOT. **7**, 26.
BERNARDUS (S.-). **XXI**; **XXX**; **17**, 61; **30**, 61; **33-35**, 75-81; **52**, 162; **53**, 166; **74**, 24; **90**, 5; **91**, 8; **101**, 13; **123**, 38; **173**, 145; **221**, 249; **272**, 83; **274**, 90, 92; **279**, 101.
BERNARDUS A Ss. SACRAM. **288**.

BERTHOLD-IGNACE DE SAINTE ANNE. **300**.
BIBLIOTHECA CARMELITICO-LUSITANA. **288**; **296**.
BLASIUS A CONCEPTIONE. **289**.
BOETIUS. **10**, 36.
BONAVENTURA (S.-) **29**, 52; **36**, 84; **44**, 123; **63**, 33; **64**, 34; **70**, 10; **116**; **273-274**, 89-90.
BONELLI. **44**, 123; **70**, 10.
BOSSUET. **292**.
BULLETIN HISPANIQUE. **7**, 26.
BZOVIUS (Abraham-). **XXI**.
CAIETANUS. **26**, 41; **46**, 132; **50**, 151; **68**, 1; **82**, 59; **113**, 6; **127**; **128**, 46; **129**, 48; **132**, 50; **136**, 56; **143**, 76; **144**, 77-78; **145**, 81; **178**, 154; **214**, 228; **223**, 263, **233**, 271; **264**, 72.
CARAMUEL (Ioannes-). **243**, 18; **292**.
CARPZOVIUS. **67**, 48.
CASSIANUS. **31**, 61; **89**, 1.
CHEVALIER. **7**, 26.
CHRONIQUES DU CARAMEL. **300**.
CICERO. **8**, 29.
CLAUDUS CLAUDIANUS. **XXIV-XXV**.
CLEMENS ALEXANDRINUS. **176**, 151.
COMPLUTENSES. **XV**; **19**; **27**, 42, 44; **45**, 130; **47**, 137; **51**, 157; **55**, 175; **57**; **68**, 1; **72**, 18-19; **75**, 33; **78**, 44; **85**, 73; **89**, 1; **99**, 1; **108**, 1; **114**, 17; **115**, 19; **128**, 46; **139**, 67; **141**, 74; **164**, 130; **172**, 142-143; **180**, 156-157; **181**, 158; **190**, 182; **192**, 188; **196**, 194; **204**, 211; **228**, 263; **231**, 268; **288-289**.
COMPLUTENSES ABBREVIATI cf. Ioannes ab Annuntiatione.
CONCILIA. **24**, 29.
CONSTITUTIONES O. N. Congreg. Hisp. **9**, 34; **30**, 59; **273**, 87-88.
CORNELIUS A LAPIDE. **8**, 32; **159**, 116; **173**, 145.
COSMAS DE VILLIERS. **IX**; **XVII**; **288-293**; **295-298**; **300**.
DAVID AUGUSTANUS. **63**, 33.
DENZIGER-BANNWART. **24**, 29; **126**, 41.
DIONYSIUS AREOPAGITA (Pseudo-). **2**, 6; **3**, 6-8; **4**, 14; **7**, 25; **20**, 8; **25**, 36; **64**, 34; **69**, 6-8; **70**, 9-11; **93**, 25; **109**, 6, 8; **110**, 8; **127**, 43; **128**, 46; **159**, 116; **174-175**, 147; **176**, 152; **200**,203; **216**, 239-241; **223**, 252; **232--233**, 270; **233**, 271; **234**, 273; **236**, 274; **248**, 33; **252**,43; **254**, 47; **260**, 64; **262**, 68.
DIONYSIUS CARTUSIANUS. **22**, 19; **28**, 47; **82**, 59; **127**.
DOMINICUS A S. THERESIA. **297**.
EDUARDO DE SANTA TERESA. **X-XIII**; **XVII**; **289**; **292**; **298**.
EL DUENDE CRITICO DE MADRID. **X-XIII**; **XVII**.
EL MONTE CARMELO. **X-XIII**; **XVII**; **289**; **291-293**; **298**.
EMMANUEL. **XI**.
EMMANUEL A S. IOSEPH. **XI-XII**.
EMMANUEL A S. THOMA AQUINATE. **XI**.
ESTIUS. **122**, 36.
ETUDES CARMELITAINES. **287-288**.
FERNANDO DE MATHA. **294**.
FERRARA. **135**, 53; **281**, 106.
FERRE. **113**, 6; **175**, 149; **221**, 249; **229**, 264; **254**, 47.
FLANDRIA. **146**, 81.
FLORENCIO DEL NINO JESUS.**7**, 26; **288-289**; **293**; **300**.
FRANCISCUS A S. MARIA. **263-264**, 71; **289-291**; **295**; **300**.

FRANCISCUS SALESIUS. **278**, 96-98; **279**, 99.
FRANCISCUS A S. THOMA. **28**, 47, 49, 51; **64**, 33; **152**, 96; **185**, 166; **291**.
GABRIEL A S. VINCENTIO. **109**, 6; **291**.
GAMS. **288**.
GELLIUS (Aulus-). **8**, 29.
GERARDO DE SAN JUAN DE LA CRUZ. **7**, 26; **293-295**.
GERSON. **22**, 19.
GODEFRIDUS VITERBIENSIS. **XXI**.
GODINEZ. **152**, 96.
GONET. **175**, 149; **194**, 191; **195**, 193; **205**, 212; **220**, 247.
GREGOIRE DE SAINT JOSEPH. **X**; **24**, 24; **278**, 96.
GREGORIUS MAGNUS (S. -). **XXII**; 23, 24; **33**, 74; **42**, 111; **48**, 146; **150**, 93; **155**, 106; **156**, 111; **158**, 114; **210**, 218; **283**, 110..
GROSTHEAD (Robertus-, Lincolniensis). **116**.
GUADALUPE (Andreas de-). **110**, 8; **273**, 90.
GUIBERTUS. **17**, 61.
GUIGO I. **90**, 5; **91**, 8.
HANNIBALDUS HANNIBALDENSIS. **118**, 26; **120**, 29-30; **175**, 149.
HESIODUS. **246**, 27.
HIERONYMUS (S.-). **XXI**; **221**, 249; **239**, 7; **245**, 26; **246**, 30; **254**, 46; **255**, 47; **258**, 62.
HORATIUS. **XXI**; **XXV**.
HOYERUS. **111**, 11.
HUGO AETHERIANUS. **XXI**.
HUGO A S. VICTORE. **113**, 16; **122**, 37.
HURTADO. **256**, 52; **260**, 64; **264**, 71.
HURTER. **XIII-XV**; **XVII**; **287-289**; **291-293**; **295-298**; **300**.
ILDEPHONSUS AB ANGELIS. **298**.
ILDEPHONSUS A S. AUGUSTINO. **5**, 16.
ILDEPHONSUS MICH. **200**, 202.
INNOCENTIUS III. **264-265**, 73.
IOANNES AB ANNUNTIATIONE. **XV**; **19**; **27**, 42; **45**, 130; **51**, 157; **55**, 175; **57**; **72**, 18-19; **75**, 33; **78**, 44; **85**, 73; **89**, 1; **99**, 1; **108**, 1; **140**, 69-71; **141**, 72, 74; **142-143**, 75; **159**, 117; **170**, 140; **172**, 142-143; **180**, 156-157; **181**, 158; **190**, 182; **192**, 188; **204**, 211; **228**, 263; **231**, 268; **232**, 269; **289**; **292**; **297**.
IOANNES CHRYSOSTOMUS (S.-). **XXII**; **212**, 221; **219**, 247; **238**, 5-7; **239**, 7; **272**, 84; **274**, 90; **281-282**, 106.
IOANNES CLIMACUS. **89**, 1.
IOANNES A CONCEPTIONE. **XI**.
IOANNES A CRUCE. **3**, 10; **4**, 10-13; **5**, 17, 20; **6**, 21, 23; **7**, 26; **15**, 54; **23**, 24; **26**, 37; **28**, 48-50; **30**, 60; **31**, 62, 65; **33**, 73; **34-36**, 75-81; **36**, 83, 85; **37**, 87-90; **43**, 115-116; **60**, 16, 19, 20; **64**, 33, 35; **71**, 13, 15; **73**, 20, 23; **74**, 28; **76**, 35; **77**, 37; **79**, 44, 46; **82**, 62; **85**, 74; **87**, 84; **97**, 48, 50, 53; **98**, 53-54, 56-57; **103**, 29; **112**, 12-13; **115**, 19; **119**, 28-29; **120**, 30-31; **124**, 40; **125-126**, 41; **129-131**, 48; **131**, 49; **133-134**, 51; **148**, 86; **152-153**, 97-98; **154**, 104; **160**, 119-121; **161**, 122; **165**, 132; **167-168**, 137; **169**, 138-139; **170**, 139; **175**, 148; **179**, 154; **183**, 161; **184**, 162, 164; **198**, 200; **199**, 201; **200**, 203-204; **201**, 204-205; **203**, 208; **216**, 238; **217**, 239; **222**, 250; **226-227**, 26[illegible]; 233, 272; **234-235**, 273; **237**, 2; **246**, 26; **249-250**, 35; **253**, 45; **259**, 62; **271**, 82-83; **275**, 94; **277**, 95-96; **279**, 101-102; **280**, 102; **281**, 105; **282**, 109; **284**, 117; **285**, 121-122; **292**.
IOANNES DAMASCENUS. **89**, 2; **92**, 15.
IOANNES HIEROSOLYMITANUS XLIV (?). **238**, 5-7; **239**, 7; **281-282**, 106.

IOANNES A IESU MARIA (Ven.-). **5**, 18; **51**, 160; **90**, 3; **109**, 4; **133**, 51; **153**, 99; **154**, 100; **292-293**.
IOANNES A S. THOMA. **163-164**, 129-131; **175**, 149; **187**, 176.
IOSEPH A IESU MARIA (Quiroga). **5**, 18; **73**, 23; **128**, 44; **293-295**.
IOSEPH A SPIRITU SANCTO (Lusitanus). **5**, 18; **28**, 49; **50**, 151; **71**, 13; **96**, 41; **109**, 5; **128**, 43; **290**; **295-296**.
ISIDORUS A S. IOSEPH-PETRUS A S. ANDREA. **300**.
IUNIUS (Balduinus-). **XIX**.
JOSE DE S. JUAN DE LA CRUZ. **291**.
JOSEPH DE SANTA TERESA. **290**; **295-296**; **300**.
LABBEUS (Philippus-). **24**, 29.
LAURENTIUS IUSTINIANUS. **244**, 20.
LAURENTIUS A S. THERESIA. **171**, 140; **215**, 233; **296**.
LEANDRO DE GRANADA. **290**.
LOPEZ EZQUERRA (Ioseph-). **58**, 7; **80**, 50; **84**, 71; **88**, 90; **98**, 55; **225**, 258; **284**, 119.
LOPEZ NAVARRO (Gabriel-). **294**.
LUCRETIUS CARUS. **XXVI**.
LYRANUS (Nicolaus-). **6**, 21; **8**, 30-31; **159**, 116; **258**, 62.
MANDONNET (Pierre-). **118**, 26.
MANUEL DE SAN GERONIMO. **290**.
MANUEL DE SAN JOSEPH. **XIII**; **XVII**; **290**.
MARIE-AMAND DE S. JOSEPH. **7**, 26.
MARIE-JOSEPH DU S. CŒUR, **287-288**.
MARINIS (Dominicus de-). **190**, 181.
MARTIALIS. **XXV**.
MARTIALIS A S. IOANNE BAPTISTA. **IX-X**; **XIV**; **XVI-XVII**; **287-293**; **295-298**; **300**.
MARTIN DE SAN VICENTE. **XIII**.
MENOCHIUS. (Iacobus-). **67**, 48.
MENOCHIUS (Ioannes Stephanus-). **173**, 144.
MENSAJERO DE SANTA TERESA. **7**, 26.
MICHAEL A CHRISTO. **IX**.
MICHAEL HELVETICUS TUGIENSIS. **220**, 248.
MICHAEL A SS. TRINITATE. **288-289**.
NAZARIUS. **146**, 81.
NIDER. **22**, 19.
ORIGENES. **6**, 21.
PALANCO. **175**, 149; **193**, 191; **197**, 199; **199**, 201; **200**, 202; **204-205**, 211; **232**, 269.
PAULUS AB OMNIBUS SANCTIS. **295**.
PAULUS A CONCEPTIONE. **X**; **XVI**.
PAULUS WINFRIDUS DIACONUS. **XXX**.
PETRUS A CRUCE. **IX**.
PETRUS LOMBARDUS. **49**, 147; **51**, 156; **113**, 16; **136**, 55.
PHILIPPUS A SS. TRINITATE. **5**, 18; **38**, 94; **40**, 100; **55**, 172; **75**, 31; **80**, 49; **88**, 88; **94**, 27; **127**; **137**, 58; **204**, 210; **296-297**.
PLANES (Bernardino-). **294**.
PLUTARCHUS. **258**, 62.
PORPHYRIUS. **12**, 42.
POSSIDONIUS. **273-274**, 90.
POULAIN. **XIII-XIV**.
PROTOCOLO DESTE CONVENTO DE... CARM. DESC. DE ECIJA. **IX**; **XI**; **XVII**.
QUINTILIUS (Marcus Fabius-). **XXVIII**.
REGULA O. N. **9**, 34.

REVUE D'ASCETIQUE ET DE MYSTIQUE. **22**, 19; **63**, 33; **90**, 5; **91**, 8.
RICHARDUS A S. VICTORE. **74**, 25; **158**, 115; **159**, 117.
RICLEI (Iustus-). **XXIII-XXIV**.
ROBYNS. **276**, 94.
RODULPHUS DE BIBRACO. **70**, 10.
RUPERTUS (Hieronymus-). **2**, 4.
SALMANTICENSES. **XVI**; **11**, 41; **17**, 61; **47**, 137, 141; **49**, 147; **51**, 155, 160; **107-108**, 1; **114**, 17; **131**, 49; **135**, 52-53; **136**, 54, 56; **137**, 59; **142**, 75; **144**, 77-78; **146**, 82; **147**, 84; **155**, 105; **157**, 113; **162-163**, 127; **172**, 143; **180**, 156; **182**, 160; **186**, 173; **187**, 174; **190**, 180; **194**, 191; **195**, 193; **196**, 194; **197**, 199; **200**, 202-203; **203**, 207; **206**, 212, 214; **207**, 214; **213**, 226; **214**, 228; **215**, 233; **219**, 247; **220**, 247; **224**, 256; **232**, 269; **251-252**, 43; **266**, 74; **268**, 78; **269-270**, 81; **297-298**.
SCHOLA VERITATIS. **5**, 16.
SEBASTIANUS A S. IOACHIM. **298**.
SENECA. **XXII**; **66**, 45.
SILVESTER MAZOLINI DE PRIERO. **XX**; **178**, 154.
SIXTUS QUINTUS. **220**, 248.
SOLINUS (Iulius-). **10**, 36.
STRABO (Walafridus-). **253**, 46; **254**, 47.
SUAREZ. **92**, 17; **182**, 160.
TERESIA (S.-). **X**; **5**, 17; **8**, 31; **9**, 34; **10**, 36; **24**, 29; **26**, 41; **30**, 58; **31**, 62, 65; **42**, 112; **43**, 120; **44**, 126; **61**, 23-24; **62**, 26-27; **64**, 33; **66**, 46; **75**, 30-32; **77**, 38-39; **80**, 48-49; **81**, 56; **83**, 63, 66; **85**, 75; **86**, 81; **87**, 81, 83; **88**, 90; **92**, 18-19; **95**, 35-38; **98**, 55, 57; **112**, 12; **124**, 40; **128**, 44; **165**, 132; **199**, 201; **229-230**, 264; **237**, 2; **244**, 20; **271**, 82; **276**, 94; **278**, 96-98; **281**, 105; **282**, 106; **284-285**, 120.
THOMAS A IESU (Ven.-). **5**, 18; **74**, 27; **124**, 39; **128**, 44; **298-303**.
THOMAS A KOTTZING seu KOCZEN. **22**, 19.
THOMAS AQUINAS (S.-). Loci e S. Thomae operibus deprompti non indicantur, quia nimis numerosi sunt.
THOMAS A S. RAPHAELE. **IX-X**; **XIII**; **XVI-XVII**.
TOSTATUS. **10**, 37.
TUSCH. **67**, 48.
VALERIUS MAXIMUS. **8**, 29.
VALLGORNERA. **22**, 19; **27**, 46; **56**, 177; **95**, 32; **137**, 58; **149**, 91; **176**, 150; **196**, 197; **221**, 249; **244**, 20.
VAZQUEZ, **175**, 149.
VICTOR ANTIOCHENUS. **258**, 62.
LA VIE SPIRITUELLE. **XIII**; **7**, 26.
VILLER (Marcellus-). **22**, 19; **63**, 33.
VINCENTIUS FERRERIUS (S.-). **272**, 86; **274**, 90.
VIRGILIUS. **XXII-XXV**; **64**, 35.
WADDINGEN. **70**, 10.
WASTELIUS. **238**, 5.
WILMART (André-). **90**, 5; **91**, 8.

Index synopticus

Pag.

Ratio huius novae editionis VII
Vita Patris Iosephi a Spiritu Sancto IX
Epistola dedicatoria XIX
Facultates et censurae XXVII

TOTIUS OPERIS PROLEGOMENA

Prolegomenon I *Quis est, qui hoc mysticum opus scribit?* 1
Prolegomenon II *De materia quae in hoc opere continetur* 2
Prolegomenon III *De loco in quo scripta est haec mystica theologia* 5
Prolegomenon IV *Quo tempore cursus iste elaboratus est?* 7
Prolegomenon V *De fine cuius gratia hoc opus scriptum est* 9
Prolegomenon VI *De modo quo cursus noster scribitur* 10
§. I. De nomine ac divisione huius operis 10
§. II. De nomine quo prima pars insignitur ac de aliis huc spectantibus. . . 12
§. III. Disputationum prooemialium ratio 13
§. IV. Forma ac distributio eorum quae quatuor tomos complent 13
§. V. De methodo in secundo, tertio, quarto et quinto tomo observanda . . . 15
Prolegomenon VII *Quibus auxiliis opus hoc factum est* 16

MYSTICA ISAGOGE

LIBER PRIMUS

DE MODO SCIENDI MYSTICO

Continet quatuor Syntagmata.

SYNTAGMA I

De modo sciendo mystico in communi.

Continet IV Lectiones.

LECTIO I Theologia mystica ducit nos in cognitionem Dei summe ignoti. . 19
LECTIO II Proponuntur diversae definitiones theologiae mysticae et seligitur proprior 21
LECTIO III Modus sciendi mysticus dividitur 23
LECTIO IV Praedicta divisio auctoritate firmatur 25

SYNTAGMA II

De via purgativa, quae est modus particularis sciendi Deum.

Continet IX Lectiones.

LECTIO I Definitur et dividitur via purgativa 27
LECTIO II Proponitur primum incipientium exercitium 29

LECTIO III Cum quo confessio generalis, quam aggredientes viam spiritus tacere debent, facienda sit 30
LECTIO IV De extirpatione vitiorum 31
LECTIO V De superbia et de gradibus humilitatis ad hoc capitale vitium extirpandum 33
LECTIO VI De aliis vitiis capitalibus et eorum remediis 36
LECTIO VII De divisione appetitus sensitivi in concupiscibilem et irascibilem, de horum obiectis et de definitione passionis 38
LECTIO VIII De passionibus et de earum remediis 40
LECTIO IX De mortificatione, meditatione et tempore in ea persolvendo . . 41

SYNTAGMA III

De via illuminativa, quae est secundus modus Deum in particulari sciendi.

Continet VII Lectiones.

LECTIO I De definitione viae illuminativae, et de exercitio eorum qui in illa morantur, et de potentiis rationalibus et sensitivis 44
LECTIO II De obiectis dictarum potentiarum et de actibus sensitivarum . . . 46
LECTIO III De actibus intellectus et voluntatis 46
LECTIO IV De ordine actuum intellectus et voluntatis 48
LECTIO V De definitione virtutis in communi 48
LECTIO VI De divisione virtutis 49
LECTIO VII Proponuntur signa ad cognoscendum discipulum profecisse in acquisitione virtutum 52

SYNTAGMA IV

De via unitiva, quae est tertius modus particularis Deum sciendi.

Continet III Lectiones.

LECTIO I De definitione viae unitivae 53
LECTIO II De sollicitudine qua inhianda est unio cum Deo 54
LECTIO III De divisione unionis 55

LIBER SECUNDUS

DE SIGNIS

Continet unicum syntagma.

SYNTAGMA UNICUM

De signis mysticis

Continet VIII Lectiones.

LECTIO I De difficultate quae invenitur in discernendo spiritus et de divisione signi mystici 57
LECTIO II De multiplici signo materiali 58
LECTIO III De multiplici signo formali 59
LECTIO IV De signis a superiori spiritu provenientibus et de conditionibus ad dignoscendum 60

LECTIO V De prima et secunda conditione quas favor spiritus superioris secum affert 61
LECTIO VI De tertia conditione 63
LECTIO VII De aliis conditionibus 64
LECTIO VIII De remediis ad dignoscendum hypocritas ex Christi Domini verbis et D. Thomae auctoritate depromptis 66

LIBER TERTIUS

DE TERMINIS

Continet II Syntagmata.

SYNTAGMA I

De termino mystico.

Continet II Lectiones.

LECTIO I Dividitur multipliciter terminus mysticus 68
LECTIO II De terminis singularibus 71

SYNTAGMA II

De proprietatibus termini mystici.

Continet quatuor §§.

§. I.

De suppositione mystica.

Continet III Lectiones.

LECTIO I De triplici gradu amoris quo anima divinisatur 72
LECTIO II De definitione languoris, qui est primus amoris gradus, ex D. Bernardo desumpta 74
LECTIO III De impulsibus materialibus et spiritualibus qui ab anima languente resultant 75

§. II.

De ampliatione et restrictione mysticis.

Continet II Lectiones.

LECTIO I De gradu 4, 5 et 6 amoris quo anima mystice ampliatur et restringitur. 76
LECTIO II Explicantur aliter ampliatio et restrictio mysticae auctoritate N. Extatici Doctoris 77

§. III.

De mystica alienatione.

Continet V Lectiones.

LECTIO I De gradu 7 et 8 amoris quo anima mystice alienatur 79
LECTIO II De deliquio 80

LECTIO III De extasi 81
LECTIO IV De raptu 82
LECTIO V De aliquibus signis ad dignoscendos veros raptus eorumque causas. 84

§. IV.

De diminutione et restrictione mysticis.

Continet III Lectiones.

LECTIO I De mystica desponsatione et de modis quibus celebratur . . . 85
LECTIO II De triplici differentia quae inter mysticam desponsationem et matrimonium mysticum versatur 86
LECTIO III De tempore quo celebratur mysticum matrimonium et de modis quibus fit tam in via quam in patria 87

LIBER QUARTUS

DE ORATIONE, NOMINE ET VEBRO

Continet II Syntagmata.

SYNTAGMA I

De oratione.

Continet VI Lectiones.

LECTIO I De definitione orationis improprie acceptae et de eius tribus prioribus partibus 89
LECTIO II De definitione gratitudinis, quae est quarta orationis pars, de oblatione sui et petitione; et de his quae petenda sunt a Deo, et de modo ea petendi 90
LECTIO III De definitione metaphysica orationis, de huius divisione et de definitione contemplationis 92
LECTIO IV De contemplatione evangelica et philosophica, de huius definitione et de illius divisione 93
LECTIO V De definitione contemplationis infusae eiusque discrimine ab acquisitia. 94
LECTIO VI De aliis divisionibus contemplationis seu orationis supernaturalis. 95

SYNTAGMA II

De nomine et verbo.

Continet II Lectiones.

LECTIO I De verbis seu locutionibus corporeis, imaginariis et spiritualibus. . 96
LECTIO II De verbis seu locutionibus successivis, formalibus et substantialibus, de earum causis, et effectibus, et differentia 97

LIBER QUINTUS

DE ARTE INVENIENDI MEDIUM

Continet unicum syntagma.

SYNTAGMA UNICUM

De arte mystica inveniendi medium ad unionem.

Continet V Lectiones.

LECTIO I Describitur purgatio mystica in communi, dividitur tempusque in ea insummendum designatur 99

LECTIO II De purgatione sensuum exteriorum et interiorum, et potentiarum rationalium, et de modo in tali purgatione observando 100
LECTIO III De purgatione passiva partis sensitivae eiusque causis materiali, formali et finali 102
LECTIO IV De causis efficientibus principali et instrumentalibus purgationem passivam sensus causantibus 102
LECTIO V ET ULTIMA De ultimo medio artis mysticae seu de purgatione passiva partis rationalis et de eius causis materiali, formali, efficienti et finali. 103

Disputationes prooemiales ad mystica praedicabilia

DISPUTATIO PRIMA

De obiecto, natura et nomine mysticae theologiae ac de aliis huc spectantibus.

Continet XII Quaestiones.

QUAESTIO I

Utrum obiectum primarium theologiae mysticae sit ens revelabile abstrahens a creato et increato ?

§. 1. Nonnulla praelibantur et sententiae referuntur 107
§. 2. Reiicitur prima seu affirmativa sententia 109
§. 3. Respondetur contrariorum argumentis 113

QUAESTIO II

Utrum Christus Dominus, qua homo, sit obiectum quod **formale mysticae theologiae?**

§. 1. Dubium deciditur 116
§. 2. Argumenta adversariorum soluta 122

QUAESTIO III

Utrum solus Deus et sub ratione Deitatis sit obiectum formale **mysticae theologiae?**

§. 1. Veritas tenenda duplici conclusione statuitur 127
§. 2. Respondetur argumentis 132

QUAESTIO IV

Utrum ratio sub qua **obiecti theologiae mysticae sit principium elicitivum ipsius?**

§. 1. Veritas tenenda statuitur 137
§. 2. Obiectiones contra dicta solvuntur 138
§. 3. Argumentis contra conclusionem respondetur 143

QUAESTIO V

Quaenam sit ratio sub qua **in obiecto theologiae mysticae?**

§. 1. Proponuntur sententiae et vera eligitur 147
§. 2. Argumentorum solutio 153
§. 3. Argumentis aliis contra secundam conclusionem respondetur 158

QUAESTIO VI

Quod sit obiectum secundarium mysticae theologiae?

§. 1. Proponitur sententia communis 166
§. 2. Respondetur argumentis 169

QUAESTIO VII

Utrum theologia mystica sub expressione mysticae sit scientia?

§. 1. Titulus breviter explicatus; sensus controversiae apertus; dubiumque decisum. 172
§. 2. Fundamenta alia ex D. Thoma adducuntur 175
§. 3. Solvuntur argumenta 177
§. 4. Consectarium pro quaestionis complemento 183

QUAESTIO VIII

Utrum theologia mystica sit idem habitus cum theologia scholastica?

§. 1. Brevis admonitio et prima pro veritate stabilienda conclusio 185
§. 2. Opposita nostrae conclusioni et dictis rationibus diruuntur 189
§. 3. Proponitur secunda conclusio 196
§. 4. Quae hanc conclusionem impugnant, enervantur 204

QUAESTIO IX

Utrum theologia mystica sit essentialiter obscura?

§. 1. Veritas tenenda statuitur 208
§. 2. Argumenta solvuntur 211

QUAESTIO X

Utrum theologia mystica perfectior sit omnibus aliis scientiis?

§. 1. Declaratur status quaestionis et diversis conclusionibus dirimitur controversia. 216
§. 2. Argumentis respondetur 218

QUAESTIO XI

Utrum theologia mystica omnibus aliis scientiis certior sit?

§. 1. Variis conclusionibus respondetur quaesito 223
§. 2. Solvuntur obiecta 226

QUAESTIO XII

Utrum haec nostra scientia recte dicatur mystica?

§. 1. Brevis dubii decisio 232
§. 2. Argumenta diluta 234

DISPUTATIO SECUNDA

De mystico directore

Continet VI Quaestiones.

QUAESTIO I

Utrum solus Deus sit animarum Magister?

§. 1. Proponitur catholica veritas 237
§. 2. Solvuntur obiecta 237

QUAESTIO II

Utrum aliquis possit esse magister suiipsius?

§. 1. Breviter aliqua supponuntur dubiumque duplici conclusione deciditur . . 243
§. 2. Argumenta contra utramque conclusionem soluta 245

QUAESTIO III

Utrum in mysticis possit angelus hominem edocere?

§. 1. Deciditur dubium 248
§. 2. Respondetur argumentis contra primam conclusionem 251

QUAESTIO IV

Utrum diabolus esse possit hominum doctor ac director?

§. 1. Daemonem non posse esse instructorem animarum asseritur post brevem aliquorum praemissionem 256
§. 2. Occurritur argumentis contra utramque conclusionem 257

QUAESTIO V

Utrum homo possit esse hominis director?

§. 1. Proponitur et probatur affirmativa conclusio 266
§. 2. Respondetur argumentis 267

QUAESTIO VI

Utrum asceta debeat hominem magistrum habere?

§. 1. Vera sententia proponitur 271
§. 2. Occurritur motivis oppositis 273
§. 3 et ultimus. Assignantur dotes quibus fulgere debet director spiritualis . . 281

APPENDIX

Notitiae bio-bibliographicae auctorum Carmelitarum, quorum auctoritas in hoc primo tomo adducitur 287

INDICES

Index locorum Sacrae Scripturae 305
Index rerum notabilium 313
Catalogus auctorum annotatis operum editionibus quae in hoc primo tomo citantur. 347
Index onomasticus auctorum 357
Index synopticus 362

D. O. M.

HONOR ET GLORIA

Typographica dicta " Les Presses Gruuthuuse " Brugis, (Belgii)

STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BV5080 .J67 C001 V001
CURSUS THEOLOGIAE MYSTICO-SCHOLASTICAE
3 0311 00037 9631

BV
5080 38301
.J67 Jose del Espiritu Sancto
AUTHOR
V. 1 CURSUS THEOLOGIAE MYSTICO-
TITLE
SCHOLASTICAE IN SEX TOMOS .....
DATE DUE BORROWER'S